Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.

+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.

+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.

+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
AUCTORITATE,
ac
NECESSITATE
EPISCOPORUM;

Cui adjuncti,

Tractatus de Missionibus ad Propagandam fidem, &c. PHILIPPI ROVENII Archi-Episc. Philipp.

Tractatus aureus de Sacramento Confessionis B. CAROLI BORROMEI Card.

Instructio pro Confessariis S. FRANCISCI de SALES Episc. Genevens.

ET

Damnati casus ab ALEXANDRO Papa VII. *felic. record.*

Compilatore

GUILIELMO BEYER,
S. T. Licent.

Non intratur in veritatem, nisi per charitatem.

BRUXELLIS,
Typis JOACHIMI à METELEN, M. D. C. LXIX.

Digitized by Google

Non possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate, 2 Cor. 13.

Ita & hi resistunt veritati, sed ultra non proficient, insipientia enim eorum, manifesta erit omnibus. 2 Timoth. 3.

Qui nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem autem ipse sequitur aves volantes. Prov. 10.

BIBL. VRIJE UNIVERSITEIT

Digitized by Google

Facultas Superiorum.

CUm Eximius vir, *Joseph Cousebant* à sana doctrina, ac multiplici utilitate commendet librum, cui titulus, *Tractatus de auctoritate ac necessitate Episcoporum*, auctore R. D. GUILIELMO BEYER, *S. Theol. licent. &c.* Facultatem illum imprimendi concedimus, Datum Jul. 23. Anno 1668.

JOANNES,

Episc. Castor. Vic. Apost.

Digitized by Google

APPROBATIO.

LIbrum de auctoritate, ac necessitate Episcoporum, ab admodum Rever. D. GUILIELMO BEYER, S. T. L. &c. conscriptum, legi mandato R^mi in Christo Patris, JOANNIS, Episc. Castor. Vic. Apost. in quo, vir eruditissimus, observantiam & obedientiam erga Episcopos, & Vicarios Apostolicos, egregiè suadet, ac ipsam fidei Catholicæ munimen, incrementum, & Ecclesiasticæ concordiæ firmamentum esse, solidè demonstrat. Utinam doctrina hæc ab omnibus legatur, populis in concionibus frequenter exponatur, ac omnium Catholicorum pectoribus medullitus inhæreat. Ita censeo die 16. Julii, Anno D. 1668.

JOSEPH COUSEBANT,
Theol. Parisiens.
Protonotarius Apostolicus.

Illu-

Digitized by Google



Illustrissimo ac Reverendissimo Domino

D. CAROLO FRANCISCO AIROLDO,

Comiti Leuci, Dynastæ Toparchiarum Bellagii, Abbati Sti Abundii, nec non, Sedis Apostolicæ, per Provincias Belgii, & Comitatum Burgundiæ Internuncio, &c.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

MAgnus ille, atque Apollinis oraculo, mortalium sapientissimus, moralis Philosophiæ parens, Socrates, non domesticis modò, sed & omnibus aliis, qui ade-

Digitized by Google

rant, admirationem maximam movit, cùm juvenili amictu, florentique ætati potius quàm ipsius severitati apto, se in medio spectantium circulo sisteret. Miræ novitatis causam percunctantibus, respondisse fertur: Agathonem comptis moribus, venustoque amictu, ac decoro vultu compellaturus, decenti habitu, & ornatu, id agendum censui. Tibi verò, Illustrissime Domine, admirationem movebit, me minus conspicuum, nec magni census virum, immo tuæ ignotum Celsitudini, coram te comparere, huncque exiguum libellum, de Episcoporum auctoritate ac necessitate, debita cum animi submissione & reverentia, in applausum læti, ac felicissimi adventus ad Belgium, post molestissimum iter, in strenam offerre.

Enimverò Illustrissime Domine, propugnari satis Hierarchia ordinis Episcopalis non potest, cui novi quotidie, etiam in ipsa Ecclesia Catholica, adversariorum conatus, perniciem intentant, adeò ut *filii matris suæ* pugnent pertinaciter contra eam, eamque dehonestare conantur, quibus meritò improperatur, illud

Digitized by Google

illud Cæleſtin. Pap. ad Epiſc. Gall *deſinat novitas, laceſcere vetuſtatem.* Atque ut juſta ſemper exſtitit, ordinis illius Hierarchici defenſio, cujus religio nuſquam potuit citra ſacrilegium violari: ita maximè, calamitoſo hoc tempore, *in quo diminutæ ſunt veritates à filiis hominum*, neceſſaria eſt, cùm videmus ſacram illius arcem, non unius, aut alterius hominis auſu nefario, ſed publica multorum conſpiratione, qui poſuerunt *mendacium ſpem ſuam*, non tacitis, ut olim, cuniculis, ſed aperta vi, & evidentibus arietum machinis, non in angulo orbis, ſed præcipuis Chriſtiani orbis Regnis & provinciis, Belgio, Anglia, Gallia, Hiſpania, utriſque Indiis, & alibi quaſſari.

Novi equidem, alliſas iri, & irrito impetu, ad hanc petram, divina ſoliditate fundatam, perventuras hoſtium ſagittas. Novi quàm fruſtra, in veritatis exitium, mendacia, calumniæ concitentur; injuſtitiæ ruinam, temeritas conſpiret; in Eccleſiaſtici regiminis æternitatem, nupera nonnullorum æmulantium commenta & convitia repullulent. Sed novi etiam, quàm ſit zelotes Deus, quàm non patia-

Digitized by Google

tur, segnes ac tepidos, sponsæ suæ Ecclesiæ, in hoc corruptissimo sæculo, in quo *vana locuti sunt, unusquisque ad proximum suum*, defensores; quàm denique invisam habeat illorum audaciam, qui capiti membra confundere, avellere à parentibus liberos, divina omnia humanaque miscere, in augustæ Hierarchiæ locum, miseram quandam Anarchiam, temerario ausu substituere, tota animorum contentione meditentur.

Statui ergo, Illustrissime Domine, mandato Rever. Vic. Apost. Episc. & Superioris mei legitimi, cujus zelus, in domo Dei, indies crescit & ardet, post Sanctissimos, & eruditissimos Magistros meos, ego minimus quidem & obscurus in Ecclesia, hunc tractatulum de auctoritate ac necessitate Episcoporum, Vigilum, Pastorum, Doctorum, Patrum, sponsæ Christi Jesu, in lucem cum bona venia vestra edere, & accensa vetustatis lampade, caliginem illam immo rigerorum, & tumultuantum in Ecclesia dispellere, quam constantissimæ veritati, & tot retro sæculorum consensione firmatæ, cæca malignitas quorundam offundit;

Scrip-

Scripturæ ac traditionis regulam, quæ in Christiana fide potissimum dominatur, humanis inventis, & ratiunculis objeci; quæque in Conciliorum sanctionibus, Pontificum oraculis, Patrum monumentis, Theologorum, ac juris Canonici peritorum voluminibus, sparsa de hoc argumento undique erant, & disseminata, in hujus unius corpusculi compagem, quanta potui diligentia, collegi.

Cum autem perspectum habeam, complurium adhuc hominum mentibus, quasdam veteris illius corruptelæ insidere reliquias, quam suo olim sæculo vigentem B. Salvian. Massil. Antistes, in Epist. ad Salon. Coantistit. justissimè sugillat, dicens, *tam imbecilla sunt judicia hujus temporis, ac pœnè tam nulla; ut hi, qui legunt, non tam considerent, quid legant, quam cujus legant: nec tam dictionis vim atque virtutem, quàm dictatoris cogitent dignitatem.* Circumspiciens proinde, ac considerans memetipsum, nec ullam in me undique omnino manantem deprehendens dignitatem, aut nominis celebritatem, quâ lectores ad tractatus hujus perlustrationem allici que-

Digitized by Google

ant; consultissimum arbitratus sum, mutuari de alieno, quod nequaquam suppetere cernebam ex proprio. *Levavi* igitur *oculos meos, in montes, unde veniat auxilium mihi.*

Et cum multi observarentur ejusmodi montes, duo mihi præ cæteris oculos perculerunt. Emin^mus. ac R^mus. Princeps JACOBUS, S. R. E. Cardinalis ROSPIGLIOSUS, ut aliquod, quamvis exiguum valde, debitæ meæ observantiæ & gratitudinis, erga SACRAM PURPURAM monumentum existeret, propter plusquam paternam ejus benignitatem ac benevolentiam, quâ me, immeritum omnino & indignum, complecti dignatus, dum in Belgio, in minoribus, negotia Sedis Apostolicæ vigilantissimè perageret.

Sed quia magnitudo, quâ supremo Ecclesiæ Capiti, Patruo suo, hodie assidet, & sublimes orbis terrarum curæ, ac majestas ejus me deterret, ut meâ inconditâ Scriptiunculâ, *Eminentiam* suam, ex ultimo occidentis angulo, alloquerer, ne tangens montem tam excelsum, lapidarer, malui *Julium* illud *sidus oloris*, respectuoso silentio venerari, & admira-

Digitized by Google

mirari, & ad Illuſtriſſimæ veſtræ gratiæ ſinum, qui in Nuntiatura Apoſtolica, legitimè & canonicè cum ſummo applauſu bonorum, & præcipuè Cleri noſtri patientis, & indefeſſè adventum præſtolantis, ſucceſſiſti, ut ad alterum montem, quo abſcondar & protegar ab æmulis, refugium capere.

Enuntient alii laudes, & virtutes animi, & corporis ornamenta, generiſque ſplendores Illuſtriſſime Comes, quorum eſt copioſum eloquium, & vis in pulpitis diſſerendi magis trita, nobis ſufficit, quod te nobis Legatum, id eſt, Angelum ſuum fert, Apoſtolica Sedes, Angelum veræ pacis, verè victorioſum; feciſti enim in itinere ad Belgium, quod magnis victoriis æquivalere poteſt, dum Principum animos per Italiam, Sabaudiam, Germaniam, aliaſque Provincias ad pacem vel inflexeras, vel in pace confirmaveras, & ut arma, unanimi conſenſu, adverſus communem Chriſtianitatis hoſtem, Orientis Imperatorem Mahumetis ſectatorem, impenderent. Nemo quippe bellando, de Chriſtiano orbe melius meritus eſt. Plus quibuſcunque armis

Digitized by Google

mis profuit ſapientia tua: tantum in illa pace momenti eſt.

Dabis tamen, Illuſtriſſime Domine veniam, ſi ita tibi, hanc laudem tribuam, ut & alterius putem eſſe. Illuminant mundum ſydera, ſed à ſole illuſtrata ut ſua ipſis virtus inſit, ab hoc, quò maximè proſunt, habent. Fallor: ſupra ſolem & ſydera, ſupra quidquid in cælis benefi-cum nobis, ac ſalutare conſpicitur, quæ-rendum eſt, quod dicam. Operam tu, ut pax & ſtabilis firmaque foret, feliciter na-vaſti: ſed *Clementis* IX. R. P. M. man-dato & auſpiciis. Tu conatum, ille auc-toritatem contulit: multum effecit pruden-tia tua, ſed ab illo hauſta, adjuta, dire-cta: Non parum tuæ (quantum par eſt) plus ejus voluntati eſt tributum.

Quid hic aliud, niſi vices geſſit ejus, qui eſt pax noſtra & fecit utraque unum, in ſanguine ſuo, hodierno Circumciſio-nis ſuæ die, incipiente fluere; nec eſt diſ-ſenſionis Deus, ſed pacis? At pacis admi-niſtros Deus Angelos habet; uti Deus pacis, ſic & Angeli pacis ſunt. Quod Angeli Deo, hoc tu, CLEMENTI fuiſti. Beavit ille populos, pacavit ter-

ras,

Digitized by Google

ras, conciliavit Reges, quorum discordia, mundi ruina est. Ad hoc te Legatum, hoc est, Angelum suum fecit. Vivat, & Deum pacis nobis ille representet diu, diu tu, pro Angelo pacis sis. Nobis, inquam Christianis, quibus pacem Christus reliquit.

Petantur bello, qui ipsum oppugnant, vertantur in illos arma sanguine quo debuerunt, huc usque tincta. Videat victos *Clemens*, ut pacatos, quos voluit, videt. Notentur ejus anni, non temporum spatiis, sed beneficiis. Primus pace Christianis data, signatus est; alter pace, Ecclesiis Gallicanis, glorioſè restituta, in gratiam & gloriam Episcoporum, in æternum memorabilis; alter victoria de Turcis aliisque insignis sit: similes vivat plurimos pro Ecclesia sponsa Christi Jesu, & quod olim operari dignatus est Altissimus, in *Clemente* VIII. operetur in *Clemente* IX. in laudem gloriæ gratiæ crucifixi Dei hominis.

Tu Illustrissime Princeps, in tantorum operum, vigiliarum, sollicitudinis, laborum partem veni: R^mum. Vicarium Apostolicum in fœderatis Provinciis (qui nuper.

Digitized by Google

per in prima ſua, ac honorifica audientia omnem humanitatis, ac benevolentiæ Veſtræ favorem expertus, ut exultabundo corde audit, & applaudit Clerus) eum, inquam Vicarium, indeſinenter luctantem, adjuva: Auctoritatem ejus, imo Sedis Apoſtolicæ, quæ in illo violatur, manu-tene: Clerum latitantem & gementem, Sedique Apoſtolicæ deditiſſimum fideique orthodoxæ retinentiſſimum, protege: æmulos & refractarios comprime, compelle; Auctorem cum hoc fœtu ſuo (rudis quidem ſtyli, & inſulſæ minervæ) benigno oculo conſpice, & tuere, & ab acerbis invidorum cenſorum morſibus, & venenatis aculeis vendica; & me libertati Chriſtianæ aſſere; ac tandem felicitatis, quam in terris ſperes, apex eſto, in Eccleſia, & *in Evangelio laborare cum* CLEMENTE.

Illuſtriß. ac Reverendiſſimæ Vræ. gratiæ totis animi viſceribus

Servus, Sacellanus, Cliens, humillimus & obſequentiſſimus

Ipſis Calendis Januarii Anni NOVI M,DC.LXIX.

GUILIELMUS BEYER.

Digitized by Google

Epistola

Illustr. ac Reverendissimi D. Domini,

JACOBI ROSPIGLIOSI,

Olim per Belgium, Burg. Internuncii Apostolici; nunc S. R. E. Principis, ac Eminmi. Presbyteri Cardinalis,

Ad Auctorem.

Reverende in Christo Domine,

ACcepi tres libros, à R. V. nuper transmissos, qui sanè uberem ejus affectum denotant, dum me, nullis officiis invitata tam abundè sibi proposuit ornandum. Illos ubi per occupationes licuerit, avidè pervolvam, & amicos quoque in partem eruditissimæ lectionis advocabo: eum verò præsertim qui de Augustissima Gente Austriaca agit Excellentissimo Marchioni Gubernatori, pergratanter accepturo, concedam. Cæterùm quemadmodum R. V. benevolentiæ suæ documentis, me perhumaniter prævenit, ita vicem rependere quibuscunque occasionibus gestiam: rogoque ut eas confidenter subministret, credatque studium operamque meam ad recolendas R. V. egregias dotes ac merita semper præstò futuram. Bruxellis pridie Idus Augusti

R. V.

Studiosissimus in Domino

JACOBUS ROSPIGLIOSUS

Abbas S. Mariæ

GUILIELMO BEYER P. A.

Digitized by Google

Altera Epistola ejusdem ad eundem.

Reverende in Christo Domine.

PErgrato animo accepi libros, à R. V. mihi missos eosque amicis hujusmodi rerum studiosis communes faciam, convenit enim eruditissimos ingenii vestri partus, publico beneficio evulgari. Neque poterunt non singulari omnium applausu excipi, postquam autor sapientissimum summi Pontificis calculum promeritus est. Multâ pariter cum oblectatione perlegi Rythmos Propheticos, quos quidem eventu comprobari peropto quatenus Pacem, & quietem communem anunnciant. Velim porro R. V. certò credat, effusæ quâ me ornat humanitati, respondere propensissimam meam voluntatem, curandi quodlibet ejus commodum & incrementum. Gratissimum mihi erit ut R. V. horum sensuum, datis occasionibus, experimentum sumat, meque benevolentia sua docorare pergat.

Bruxellis 18. Sept. 1666.

R^æ. V^æ.

Studiosissimus in Domino

JACOBUS ROSPIGLIOSUS,

Abbas S. Mariæ.

Revè-

Digitized by Google

Reverendissimo D. Domino, ac Patri

JOANNI,

Episcopo Castorienſi

Per unitas Belgii Provincias,

Vicario Apostolico.

NOn inter infimas, *Reverendissime Pater*, Lampades, seu lucernas mysticas candelabri Ecclesiastici, esse, Hierarchicum Ordinis Episcopalis statum, nemo verè Catholicus est qui dubitet. Lampas est fulgidissima, ex qua potestas sacrata, luxque gratiæ specialis, depromitur à ministris Dei, ad eam accedentibus, per quam possint munia sacra rectè obire, & cum fulgore interiori, coram Domino, in ministeriis suis dignè, stare. Ex illa etiam ignis ardens zeli gloriæ Dei, ac salutis proximi desumitur, quo possint ipsi, non solum lucere, sed & ardere, & alios accendere, igne illo cælico, quem Dominus venit mittere in terram, & vehementer optat accendi.

Tolle ab Ecclesia, eminentem illam lampadem Ordinis sacri Hierarchici, & Sacerdotii, à Christo instituti, quid nisi confusio & caligo? Quid nisi Babylon quædam, aut Ægyptus tenebrosa? Talis reperitur confusio, apud Novatores, talis & caligo: dum pro libito suo, ex Sacerdotibus faciunt Laicos, & contra, sine oleo, sine unctione, sine Ordine, sine luce gratiæ. Unde in eorum ministeriis, nihil sublime, nihil decorum, nihil fulgidum sed repit in terra, omne ministerium eorum, nec de cælo trahit

 origi-

Digitized by Google

originem, aut lucem: vile est, populare est, quod & infimæ fæcis hominibus committitur. Aperiant ergo, & elevent oculos, qui ab eis fascinati sunt, & videant splendorem Ordinum sacrorum, & præcipuè Episcopalis, in Ecclesia vera effulgentem, instar lampadis in candelabro sublimi positæ, ut lucem fundat omnibus, qui in domo sunt.

Verùm non de his solum auctoribus querimur, apud quos, omnia semper nova sunt, de quibus, nos monet Cypr. Epist. 52. Anton. nec curiosos nos esse debere, quid illi doceant, cum foris doceant. *Aliud, proh dolor! in ipsa Ecclesia Dei malum est, qua nonnulli ejus filii, vel ex ignorantia veritatem Hierarchicarum, vel etiam odio & invidia, splendorem Ordinis Episcopalis non ferentes, vel eum, non ut oportet venerantur, vel etiam contumeliosè contemnunt, de quibus merito S. Aug. lib. 3. adversus Jul. c. 3.* Mira sunt, quæ dicitis, nova sunt, quæ dicitis, falsa sunt, quæ dicitis. *Quique novellam Ecclesiam, antiquæ fidei, & SS. PP. incognitam, intrudere conantur, de quibus illud Job c. 12. verendum est.* Palpabunt quasi in tenebris, & non in luce, & errare faciet eos, quasi ebrios. *Quique, ut Melch. Can. loc. com. lib. 9. c. 9. ait,* Philosophiam Evangeliis præferunt, quibus Averroës Paulus, & Alexander Aphrodisæus Petrus, Aristoteles Christus, Plato non divinus, sed Deus. *Qui* omnia pro tempore, nihil pro veritate, *inquit Opt. Milev. non attendentes illud Hier. ad Ctetiph.* Ego semper studeo, audientibus loqui, quod publicè in Ecclesia didiceram, nec Philosophorum argumenta sectari, sed Apo-

stolo-

Digitized by Google

ſtolorum ſimplicitati acquieſcere, ſciens illud ſcriptum: perdam ſapientiam ſapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.

Ego igitur R.me Domine, quamvis ingenio & eloquentia parum, vel nihil poſſim, multoque minus didicerim ſapientiam, *nec noverim* ſcientiam Sanctorum; *imo potius* ſtultiſſimus virorum, *confiſus tamen de clementiſſima Domini pietate, qui* ſcientiam, *&* os, *ea poſtulantibus*, dat omnibus affluenter, *juſſu veſtro hoc opuſculum exile quidem, ex probatiſſimis tamen auctoribus, compilavi, in quo quid antiqui Patres, Concilia, & Eccleſiæ fides, de auctoritate, ac neceſſitate Epiſcoporum ſenſerint, & docuerint luculenter, & ad oculum patebit; eumque Tractatum, Ordini Hierarchico Epiſcoporum proprium, Rmæ. Vræ. Grat. quæ apud nos, Epiſcopalibus inſulis inſignita, apprimè effulget, debita cum animi ſubmiſſione, do, conſecro, reddo. Venio igitur, Rme. Domine, (ut verbis le Maiſtre Doct. Sorb. in ſimili ferme argumento, utar,) Magnitudinis Vræ. faſtigium adoraturus, non defenſurus, reverentiæ fretus, non audaciæ; modeſtiam præ me ferens, non facundiam, & incurvis miti obſequio cervicibus, in clientelam adſcribi ſupplicans, non adhiberi poſtulans ad Patrocinium. Injuriam quippe tribunalis Epiſcopalis auctoritati, & Eccleſiæ majeſtati infligit, qui arroganti opinione ſuarum tumidus litterarum, in illius opem ſe natum ducit, qui ab humanis Atlantibus, cauſam ſacrorum pendere exiſtimat, & ſubtilioris doctrinæ adminiculis, reddi firmius ac ſtabilius credit, quod ſemel fuerit Epiſcopalium ſuffragiorum gravitate conſtitutum.*

Digitized by Google

Quamobrem Episcopalibus sententiis prostratum errorem, domitamque superbiam, grandioribus copiis aggredi, quid foret aliud, quam ridiculo conflictu, in excisos & exanimes truncos æstuare eorumque insaniam imitari, qui ad certamen imbelles, ad Epinicia & festivos victoriæ cantus generosi, nonnisi debellatis hostibus, in audaciam exardescunt, & è prælio redeuntibus, auxiliarem manum porrigunt, quibus tum decet maximè, de fortitudinis laude gloriari?

Lætetur ergo magnitudo Episcoporum, quòd hostes nacta sit, quos sterneret: quòd Ecclesiæ, cujus est nobilissima portio, fortunam senserit; in quam statis temporibus, velut æstu quodam incitati errores, intumescunt, & creberrimè, motus ac trepidatio renascitur: quasi ipsius saluti, quæ per bella, & sanguinem crevit, nihil magis quàm otiosa tranquillitas noceat, eique tam fatale sit, odiis ac inimicitiis non carere, quàm intimorum seditiosis artibus non profligari.

Cum igitur ingenioso sit artificis, inquit zelosissimus ille le Maistre, & nos cum illo, magnarum rerum tentare compendia, nec imperitorum est, immensi corporis molem, picturæ brevioris finibus includere, ægrè stylum & tabulam subeunt, quæ sui magnitudine, animi imbecillitatem superant, nec facile est, in magnis argumentis, cum facundia, & ornatu versari, quæ suo splendore mentis aciem obruunt, neque possunt accurata cogitatione comprehendi. Inde nobis metus, & formidinis occasio dum omni titulorum gloria, omni nominum fastu, majorem Præsulum dignitatem, cujus meritum vix angelis

gelis patet, solius Dei Sapientiæ satis exploratum, aliquot paginis, tanquam breviore quadam imagine, & contractiore forma, nitimur adumbrare.

Verendum certè, ne mihi, pro tam arduo facinore tentato, non famæ præmia succurrant, sed audacis, & effrenis licentiæ pœna, statuatur. Verum quoniam veluti à portu navis, jussu Reverendissimæ Vræ. auctoritatis atque impetu profecta; neque amplius gubernaculo paret, aut mentis nostræ consilio regitur: hoc unum arbitror superest, temeritati remedium, favorem stellarum emereri, & quorum in imperio versamur, numinum subsidia, conscid nostræ temeritatis Religione deprecari.

Faveat igitur conatui nostro, Reverendissima Vra. Benignitas; faveant infulati vultus; frontes Christi insignibus, atque ornamentis illustratæ indulgeant consiliorum audaciæ præcipiti, quam non tam famæ desideria, quàm religionis, ac veritatis asserendæ studia pro modulo inflammarunt. Hæc si munimina nos ambiant, si hæc arma nobis militent, si hæc purpura, nos laciniis obtegat, quasi in Jovis sinu, tuti conquiescimus, nec fulgura illa, quorum terror sternit debiles quorundam animos, pertimescimus, & si totus illabitur orbis, impavidos ferient ruinæ.

Virtutum vestrarum, Rme. Vir Præconem hic agere, haud difficilè, nisi timerem denuo offensam, dum enim nuper Tractatum meum, de Eccles. Hierarchia, Reverendissimæ Vræ. Grat. pro debito officii mei, dedicarem, & dedicando, paulò fusius in laudum præconiis, balbutiendo effusus essem, quàm humillimas, quàm excusatorias, imò inhibitorias,

Digitized by Google

inopinato nobis transmisisti litteras. Quas iterum in lucem edere votum erat, nisi modestia & humilitas vestra inhibuisset. Tacendo igitur, & obediendo, loquar ego victorias; & tu vir modestissime, te deprimendo, in sublimi exaltaberis Ecclesiæ Candelabro.

Sufficit utrique Clero V.ro, quod sis Episcopus irreprehensibilis, sobrius, prudens, ornatus, pudicus, Doctor, non vinolentus, *cæteraque possidens Episcopales virtutes. Quod in iis milites* bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam. *Quod sollicitè cures, teipsum* probabilem exhibere Deo, operarium inconfusibilem, rectè tractantem verbum veritatis. *Nosti illud Apostolicum*, servum Domini non oportet litigare; *sed* mansuetum esse, (*salva justitia*) ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati. *Nosti illud Augustinian. Epist. 63.* non asperè, quantum existimo, non duriter, non modo imperioso ista (*vitia*) tolluntur; magis docendo, quàm jubendo, magis monendo, quàm minando, sic enim agendum cum multitudine peccantium.

Hinc, ex hoc suavi, & moderato modo regiminis, tanta in utroque Clero morum mutatio; Hinc tanta Clericalis & Regularis observantia, & mutuus amor, pauculis discolis exceptis; Hinc tanta in utroque Clero pietas, & eruditio, ut merito sint in exemplum fidelium, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. *Nec aliis, aliarum Belgii Ecclesiarum (absit verbo infidia) ubi liberum Catholicæ Religionis viget exercitium,*

Digitized by Google

citium, Clericis, in doctrina & pietate, habent cedere. Creſcit Eccleſiæ pietas & firmitas, in perſecutionibus. Finio, ne offendam.

Altiſſimus benedicat Apoſtolicis Veſtris laboribus, & itineribus, ac præter inſignes alias animi dotes, adaugeat & nobilitet ardentem zelum, pro domo Dei, quæ eſt Eccleſia, electa ut ſol, pulchra ut luna, & terribilis, ut caſtrorum acies *bene* ordinata. *Meque tu Vir Rme. Pro tui nominis gloria, officiique dignitate, utcunque æmulantem ſub umbra alarum tuarum protege, & ſacroſanctæ auctoritatis V.ræ clypeo, me munire, non graveris. Ita Orat, & totis animi medullis, veſtram pietatem pulſat, qui eſt*

Reverendiſſimæ V.ræ Paternitatis

Humillimus Famulus, Subditus,
& ſi pateris, Filius,

Datum, ut ſupra. GUILIELMUS BEYER.

Digitized by Google

CATHOLICO Lectori benevolo.

AEterna Dei Sapientia, Christus Jesus, mundi redemptor, sicut unà cum Patre, & Spiritu S. in humano corpore, disparibus gradibus, diversis ministeriis, variisque officiis membra, disposuit, ac distinxit; ita in mystico Ecclesiæ, quosdam pedum, aut manuum vicem gerere, quosdam verò quasi caput, & cor, esse decrevit, qui cæteros, tanquam Rectores, ac Doctores dirigere, & illuminare sufficiant.

Ejusmodi fuerunt primùm Apostoli, & præsertim Apostolici Senatus Princeps, D. Petrus; nunc autem sunt Apostolici viri, Plebis Præsules, quos *mundi lumina*, *terræ salem*, *lucernam super Ecclesiæ candelabrum*, *civitates in sublimi positas*, Dominus appellavit.

Hunc sacrum Ecclesiæ ordinem & principatum, olim in Anglia præcipuè, larvatæ acies, sub ductu Daniel. à Jesu, & Pseudo-Iomelii, & aliorum, evertere conatæ sunt; sed glorioſa Gallia, Britannicas fugavit larvas, quarum tanta erat crudelitas, ut omnium Episcoporum mytras, uni capiti impositas cuperet, sicut cunctorum Romanorum capita, uni collo afflixa, optabat imperatorum pessimus, ut scribit mihi nuper, iisdem pœnè verbis, florentissimus quidam Belgii Episcopus. Petrus igitur Aurel. Franc. Hallier, N. le Maistré, aliique viri eruditissimi, & zelosissimi, induti virtute ex alto, in campum prodierunt, & di-

Digitized by Google

& dignitatis Episcopalis vindices, & assertores fuere intrepidi, lumineque Ecclesiasticæ doctrinæ, larvæ tenebrarum aluminæ, timidius egêre, & veritæ infulas, paulatim dissipatæ sunt.'

Volumina igitur præclarissimorum illorum DD. pro refellendis novitiis erronibus, & erroribus, contra Hierarchicam doctrinam abundè sufficere videntur, meumque proinde exiguum laborem, irritum & inanem esse. Fateor, fontes præ rivulis esse seligendos, sed quia non cuivis hominum contingit adire Corinthum, & illos præclarissimos libros, non in omnium, omnibus Bibliothecis, ad manum esse, nec tantillum fortè studii, iis evolvendis, à Clero adhibeatur, quantum esset necessarium & desiderandum. Hinc hunc brevem commentariolum ex præfatorum auctorum scriptis, colligere suscepi, non vanæ, ut spero, gloriæ, aut privati commodi causa, sed ad promovendam Cleri nostri latitantis & Ecclesiæ aliqualem utilitatem; ne otiosus planè, in forum prodirem, sed Dei benignitate adjutus, pro mea quoque tenuissima portione, in vinea Domini, usque ad vesperam laborans invenirer.

Mihi itaque imprimis & præcipuè laboravi, & actum egi: atque post metentes, cùm manipulos jam collectos, tum dimissas spicas, ad proprium subsidium consarcinavi, & ut cum S. Hier. Epist. ad Agoruch loquar, *in vetere via, novam semitam quæsivi: & in antiqua, detritaque materia, rudem artis excogitavi elegantiam: ut nec eadem sit; & eadem sit. Unum iter est perveniendi, quo tendas, multa compendia: nunquam etenim defu-*

Digitized by Google

turum est, in indagatione veri, quod superiorum adjiciatur industriæ: nullique nato præclusa est via, inventis aliquid addere. Inveniendis nempe, inventa non obstant: quoniam ipsa veritas (etsi certo fine claudatur, malitia verò, & mendacium, sine fine sunt; & quò plus exquiruntur, eo magis series nascatur) nondum est occupata; sed ex ea multum futuris relictum est, multumque restabit.

Novi itaque aliquid, vel potius antiqui novo modo proponere, si tamen neque temerè, neque sine ratione proferatur, haudquaquam verendum est: & laude digni censentur ii, qui typis evulgant Scripta sua, ut omnibus prosint; iisque etiam non est deneganda gratia, qui aliena scripsêre: ex quo studiosi, ad indagandam veritatem solliciti redduntur. Pro virili itaque portione, post priorum studia, in tabernaculo Dei offero, quæ possum, & habeo, pelles & caprarum pilos. Alii aurum, argentum, lapidesque pretiosos; alii Byssum, & purpuram, coccumque offerunt bis tinctum, & hyacinthum: aliorum ingentes, meâ non fœdabuntur, opes, paupertate.

Addidi Tractatui de Episcopis, utilissimum Tractatum Illmi. ac Rmi. Phil. Rov. Archi-Episc. Phil. quem lumen illud Episcoporum, Romæ composuit, pro instructione & concordia utriusque Cleri ad propagandam fidem, & conversionem infidelium, &c. Quem tractatum, quæso benevole lector, legere, & te ex illo informare, ne graveris. Et cum Rmus. D. Joannes, Episc. Castor. non minus in vicariatu Apost. quam zeli & virtutum Episcopalium Phil. Rov. fel. mem. succes-

Digitized by Google

ſucceſſor & æmulator, in ſuis Apoſtolicis conſtitutionibus, quas bono communi nuper deſtinavit, mentionem fecerit, Conſtitution. Emin.mi Card. Car. Borrom. Ejuſdem aureum Tractatum de Sacram. Confeſſionis, & Inſtructionem pro confeſſariis, Franc. de Sales Epiſc. Genev. pro utilitate & commoditate Cleri, adjunxi.

Inſuper quia Eccleſia, materno affectu ſollicita, ne filii ſui deflectentes è ſemita vitæ, vergant in perditionem, conſideravit *ſemitas domus ſuæ*, & ſeriò ſecum perpendit, regulas fidei, ac morum ſuæ familiæ, non eſſe *vias ſpatioſas*, ut Probabiliſtæ ſomniant, ſed ſemitas arctas: magiſterio namque viri ſui didicit, illas ducere *ad perditionem*, has verò *ad vitam*: hinc proſcribendo laxitates, præſcripſit arctitates, quas, benevole lector, in fine opuſculi reperies, ſub titulo, Caſus pernitioſæ doctrinæ probabiliſtarũ damnati ab Alex. VII. &c.

Ex quibus abunde manifeſtat quantopere Domnus Apoſtolicus, ut verbis Hugon. Victor. Serm. 40. utar, *in prima Eccleſiæ ſpecula reſidens*, abhorreat, à novitate opinionum, per licentioſa ingenia, ad dilatandam viam ſalutis. Et cur non abhorreret, cùm non ignoret, cum quanta aſſeverantia, quidam hujus prædeceſſor, SS. Catalogo inſcriptus, nempe Felix III. Papa, epiſt. 1. pronuntiat, *In die Judicii, talem à nobis Eccleſiam, certum eſt, qualem à Patribus accepimus, exigendam.* Sperandum itaque & orandum, ut Sedes Apoſtolica tandem aliquando, lolium illud probabilium opinionum, quæ vergunt in ſcandalum Eccleſiæ, ab ipſa Eccleſia exſtirpet auctoritate

ſua,

Digitized by Google

ſua, & abjiciat in ignem. Sed de his forte aliàs.

Tu Chriſtiane lector humaniſſime, has qualeſcunque Scriptitationes, ſerena fronte percurrere, ne graveris: hoc tamen ſcias, ſi hæc lucubratiuncula noſtra, de neceſſitate Epiſcoporum tibi arrideat, Deo volente, brevi videbis alteram luculentiorem, ac magis diffuſam, de ipſa divina Epiſcopalis ordinis inſtitutione quæ quidem tempore eſt poſterior, naturâ tamen prior eſt. Poterit & tractatus concinnus formari, de auctoritate Capitulorum Cathedral. Sedis vacantis, & præcipuè de inſtitutione, & perpetuitate Capituli Cathedr. Eccl. Harl. ſi ita Superioribus viſum. Si quid autem forſan in his laboribus repereris, Deo, bonorum omnium auctori, acceptum referas: ſin minus, da veniam, & vale, ac aliquid melius, in ædificationem Eccleſiæ profer.

LECTO-

Digitized by Google

LECTORI
Minus benevolo.

FInxit olim Fabularum conditor, Æsopus, hominem, qui bisaccum gestaret humero, in cujus partem anteriorem, aliorum, quæ notarat delicta, conjiciebat, quo eadem, dum allubitum esset, intueretur, ac recentem eorum haberet memoriam; in posteriorem verò, sua ipsius commissa constipabat, omnem ut eorum memoriam aboleret, numquam præ oculis haberet, & oblivionis tumulo obvolveret.

Cæterùm morali parabolæ hujus expositione omissa, quæ jam tum edocebat, ita esse naturâ comparatum; eamque nostram perversitatem, aliorum ut nævos, quamprimùm detegamus, & inspiciamus, nostros ipsorum vero agnoscere nequeamus. Ipse mihi persuadeo, me forte lectori minus benigno, homini illi Æsopico, visum iri persimilem, illiusque personam induere, ac libellum meum, quemdam bisaccum esse; cùm de Episcoporum dignitate & majestate tam præclara & eximia recenseam, simul & eorum aliorumque præcipuè Ecclesiasticorum nonnullos defectus & imperfectiones, ob oculos omnibus ponam, meas verò agnoscere & inspicere nequeam, illis in anteriorem, his verò, in posteriorem sacci partem conjectis.

Quam meam agendi rationem oculus satis manifestat; ut qui centro suo nunquam egrediens, circumsecus fertur & gyratur, atque exploratoris cujusvis generalis instar, omnia scrutatur, ac perveſtigat; seipsum autem explorare, ac perveſtigare, nequaquam potest. Ejusdem conditionis ego ipse sum, nec mentis meæ oculus, corporis oculo dissimilis est. Cùm enim adeo exactè nonnullorum, tam Regularium quàm Secularium defectus, explorem, ut in eis

Lyn-

Digitized by Google

Lynceus sim; in meipso talpa sum, & in meis defectibus nil prorsus video.

Senes nonnulli reperiuntur, debilioris visus, qui licet res sibi primas non videant, in remotis tamen, ac procul dissitis videndis non impediuntur. De meipso non satis scio, an jam canis aliquibus aspersus, atque ad senectutem vergens, eodem defectu laborem, quoniam tam manifestè video, ac tam facilè sentio, discernoque Ecclesiasticorum aliorum defectus, atque errores, à propria meipsius cognitione, tam longe remotus, atque undequaque diffluens, tam exiguo scilicet judicio, ac prudentia, in rebus meis præditus, ut ea, quæ me proximè contingunt, atque in meipso sedem fixerunt, non animadvertam.

Vereor sanè, ne quis, præsumptionis nimiæ, me insimulans, Pharizæum agere me jactet, quòd proprios defectus cernere non valeam, foris tamen oculos circumferam, tamque acriosè scruter aliena. Sed quid? ipse Religionis zelus, & talenti aliqualis concessi depromendi lucrandique obligatio, Episcopalis status contemptus nonnullorum dissolutiorum, in hoc me studium invitarunt, ut post præclarissimos illos Gallicanæ Ecclesiæ tibicines, quorum Commentariis quotidie, quantum per curas Pastorales vacat, inhæreo, etiam meam exiguam buccinam inflem, in hoc ultimo ferme Occidentis angulo, & bellum ciëam. Quare ad conflictum, & ad arma convoco, cùm videam tam graviter offendi, & tantum Ecclesiæ scandalum, hinc videam comparari.

Ferunt filium Cræsi, Regis Lydorum mutum, cùm patrem in periculo vitæ constitutum, & jamjam à milite, cui ignotus erat, obtruncandum cerneret, tam repentino hoc metu, ita consternatum fuisse, ut vocem, & loquendi facultatem receperit, inclamans, *Rex est, desine, sceptro parce.*

Idem ipsum mihi accidere videtur; cùm enim æquo animo ferre nequeam, Regum Regem Deum, tot tamque gravibus delictis ad iracundiam provocari,

Digitized by Google

ri, omnem fidelium cœtum scandalum pati, & universum Christianorum ferme orbem ita divexari; veritatem in captivitate & injustitia detineri, silentium abrumpere, sum coactus: quare voce recuperata inclamo quàm maximâ animi contentione possum: *salvum me fac Deus, quoniam diminutæ sunt veritates, à filiis hominum: vana locuti sunt unusquisque ad proximum suum. Linguam nostram magnificabimus, labia nostra, à nobis sunt.* Sunt tamen alii, & in infinitum doctiores me, & ad ipsum instructiores, qui id, & gravius & elegantius alibi egerunt.

Quod verò mihi animum quàm maximè addit, est, quod sciam, minimorum sæpe & imperitorum consilia, vim habere, & Reipublicæ, cum cæteris doctiorum peritiorumque nèglectis, utilitatem afferre. Consilium Jethro, Sacerdotis Madian, de judicibus Hebraicis deligendis, probavit magnus Hebræorum legislator, Moyses Exod. 18. & qui totius universi erat oraculum, & omnibus, quàm rectissimè consulebat, idololatræ consilium utile judicavit: idololatria dempta, quemdam me Jethro, si placet, judicate, & forsan quæ suadeo ex aliis, & quod suggero consilium de Sacerdotio, non erunt, ut spero, inutilia sed Præsulibus, Religiosis, aliisque emolumentum aliquod allatura.

Dico igitur Episcopos divino cultui dedicatos, homines Sanctificatos, Angelos humanos, Deos terrenos, nonnisi pietatem spirare, uni studere virtuti, & ab omni sæculari commercio, mundique negotiis, quàm longissimè oportere recedere. Horum est ut soles, alios irradiare; ut columnæ & bases onera sustinere; ut duces & conductores, nationes deducere; ut pastores & doctores, erudire populos; velut ductores, errantes in viam revocare; velut naucleri & navarchi, carchesium, vela, malos & transtra navis Ecclesiæ, dirigere.

Sed inprimis horum est religionem in moribus præferre, honestam vitam agere, bonos fructus proferre,

Digitized by Google

ferre, omnibus denique bono exemplo esse. *Ecce ego vos posui*; ait suis Apostolis Christus, *ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Vos, jam tum verba illa respiciebant, ô Episcopi, & edocebant, vos ab ipsa Dei manu, positos esse, ut in virtute crescatis, in sanctis exercitiis proficiatis, vestræque actiones, qualescunque demum illæ sint, tam parvæ, quàm magnæ, illi gratæ existant.

Scio novum vobis, & insolens, visum iri, quod Æthiops cùm sim, aliorum nævos sugillare, & talpâ cùm cæcior, viam aliis ostendere contendam. Sed quid? Paradoxon est, & inanis conceptus, in quo me omnium judicio expono, & cunctis de me loquendi, occasionem suppedito. Sed in defensionem purgationemque meam, unicam, hanc magni Greg. P. 4. Pastor. sententiam, attulisse sufficiat. *ipse imperitus cùm sim pictor, & sordidus, egregiam personam depinxi; & qui adhuc in peccatorum, ac delictorum vagor fluctibus, viam aliis commonstro, & facis vice fungor, ad portum perfectionis omnes, ut deducam.*

Achitophel sibi ipsi, cùm consulere non posset, aliis consulebat, quàm optimè, adeo ut consilia illius, velut oracula haberentur. Idem mihi fortasse continget: & quamvis meipsum conducere nequeam, aliis forsitan ductor, & director futurus sum. Panis & cibus, quem corvus, Eliæ in deserto afferebat, non minus erat sapidus, quàm quem Angelus, Danieli in lacu Babylonio. Cogitate me corvum esse, sed quæ documenta, & præcepta do, & cibus spiritualis, quem Ecclesiasticis offero, tam utilia forsan futura sunt, quàm si à viro, & vitæ sanctioris, ac notæ melioris, proficiscerentur.

Celebris & egregius ille pictor Apelles, illiberali & deformi erat vultu, egregias tamen, & venustas efformabat imagines. Ipse licet turpis & deformis sim, de aliorum tamen pulchritudine loqui possum, & lineamenta, tractus, & figuras effingere. Sculptores, Crucifixorum, (qui Crucifixi aliorum animos, ad pie-

Digitized by Google

pietatem exstimulare solent) sæpe improbi, & scelerati sunt;

Idem de me ipso cogito, & scio (quod non parum me moverat) me, dum alios, ad pietatem adhortor, parum pium esse ac frigidum: fervorem tamen opto, atque ad pietatem utcunque adspiro; quique infinita sua benignitate, ad hunc me honorem vocare, nullo meo merito, indignum dignatus est, & unum de Sacerdotum suorum numero constituere, gratiam, spero, etiam conferet, eum, ut & vita paulatim exprimam, cujus hic imaginem, & pingo & exhibeo.

Rudi inquam minervâ depingo, & crassiori penicilo, nullo colore, fuco, adscititioque artificio emendicato. Indignum quippe, & parum consentaneum videtur, imò & absurdum, Ecclesiasticum, dum Episcopales perfectiones & dotes describit, auliciſmos sectari, rethoricos colores in simplici hac Ecclesiastica materia consectari. Scriptionis anima, & medulla, ipse zelus; verba nonnisi fucus, & adscititium quid sunt. Illum unicum adhibui, ut potui & cætera neglexi.

Nihil etiam in hoc opusculo, imposui de meo, nec novum aliquid finxi, cùm secundùm Sapientem, Eccles. 1. *Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere; ecce hoc recens est*: sed cùm paupercula Ruth, vadens post messores, hoc est, SS. Doctores, spicas meæ simplicitatis comportavi & collegi, docens collectione, quod non potui sermone, & opere proprio, nec viam ad majora mihi præparo, cùm Deo, & SS. ejus testibus, mea tenuiori conditione rurali sim contentus & quietus, & gaudium mihi cùm sim *quasi vir, qui absconditur, à vento, & celat se à tempestate.*

Supplico proinde quemlibet lectorem (cum in nullius odium, Tractatus hi combinati sunt) si in ejus profectum venerint, Deo Altissimo, Patri videlicet, & Filio, & Spiritui S. actiones referant gratiarum infinitas, ut de sede majestatis emittat sapientiam, mecumque laboret, & suam voluntatem, me facere informet,

Digitized by Google

quæ utinam, ego miser, & primus peccatorum, semper implerem.

Desiderarem denique de erratis, & minus bene collectis, pios correctores, non invidos detractores, nec mordaces contemptores; de bene autem scriptis, & comportatis, Deo, & gloriosæ Virgini Mariæ, omnibusque Sanctis, persolvere laudes, & honores affecto, quorum inquam, nomina sunt per secula benedicta.

Cùm autem studiose lector, intelligam plurimos in Clero ignorare, quis iste sit Petr. Aurelius, quem inter Magistros meos Parisiens. plurimum æstimem, & sequar; alios eum fugillare, ut auctorem prohibitum, & proscriptum &c. placuit pro gloria veritatis & tam eximii ac sancti viri honore, publicum Elogium præstantissimi Cleri Gallicani adjungere, ut ora invidorum obstruantur.



P. E-

Digitized by Google

PETRO AURELIO THEOL.

Veritatis amatori acerrimo,
Hierarchiæ vindici justissimo,
Episcoporum defensori invictissimo,

ELOGIUM

Generalis cœtus Cleri Gallicani;
Patres congregati anno Christi,
M. DC. XLVI. Scripsere.

INgemuêre omnes boni, cùm ex Anglia in Galliam, libri enatarunt, quibus Hierarchiæ bellum indicebatur, Episcoporum, falsâ erga Sedem Apostolicam obsequii specie, proterebatur auctoritas, & quod fidem superat, venerandi Confirmationis Sacramenti, quia Episcopalis ministerii proprium est, vis omnis destruebatur. Horruêre universi, cùm à Paris. Facultate, ab Illmo. Archiepiscopo Paris. nec non à celeberrimo Gallicanorum Antistitum cœtu, justissimis censuris notatos, tam horribiles libros, quidam, ex ipsa damnatione ferociores effecti, non modò propugnare, sed in censores quoque famosos libellos, novis erroribus squalentes, ausi sunt conscribere.

Verùm Dei Opt. Max. providentia, qui Ecclesiam suam nunquam sinit impunè violari, extitit repentè Hierarchiæ vindex acerrimus, Petri Aurelii nomine, omnibus notus, omnibus ignotus. Hæc errorum monstra, hæc contumaciæ portenta, vir ordinis Ecclesiastici, omni procul

Digitized by Google

ambitione, amantissimus, & in ipso veræ avitæque Theologiæ sinu educatus, aggressus est, & libris præstantissimis editis, glorioſissimè jugulavit.

Gallicana Ecclesia, tam eximio defensionis genere, Patrum dignitatem restitutam, adversariorum errores confutatos, calumnias dilutas, mendacia retecta, *stultis* denique *secundùm stultitiam* illorum, (ut Scriptura jubet) responsum fuisse, gaudet, gratulatur, exultat. Nescit, quid potissimum in fortissimo propugnatore mirari debeat, an rerum Ecclesiasticarum eruditionem, Patrum, Conciliorum notitiam, an styli majestatem, & pugnæ accommodatam eloquentiam; an in eruendis adversariorum technis solertiam; an in erroribus refutandis, rationum pondus; an in asserenda veritate candorem; an in explicandis mysteriis abstrusioribus, ac divinioribus, felicitatem; an spirantem erga sponsam Christi amorem; an veram minimeque fucatam mentis humilitatem & gravitatem.

Unum est quod doleat, incompertum sibi adhuc esse, quâ manu tot fortissima tela in hostes vibrentur, quáque ipsa tam glorioſè triumphet.

Quod potuit Clerus Gallicanus, ut grati animi sensum, significaret, & hominem de Hierarchia tam bene meritum, è tenebris, quibus se continebat, in lucem evocaret, cumulatè præstitit. Sed neque legatione honorificentissima ad illum, ubicunque tandem reperiri posset, Comitiorum anni M. DC. XXXV. auctoritate decreta, nec propositis præmiorum illecebris, adduci potuit, ut susceptæ moderationis velum detrahi sibi pateretur.

Satis habuit pro Ecclesia, quam deperibat, stre-

nuè

Digitized by Google

nuè laboraſſe. Qui in occulto, uni Deo militaverat, in occulto, à ſummo Imperatore coronari ſtuduit.

Non famam, non honorem, non gloriam aucupatus eſt, non orbi terrarum, præclaris lucubrationum titulis innoteſcere voluit. Magnum eſt, tot præſtantes libros edidiſſe, tot ſecunda prælia decertaſſe, tam procacibus veritatis hoſtibus, altum ſilentium impoſuiſſe. At longè maximum, partâ famâ frui nolle.

Quiſquis es igitur, AURELI, qui tantis nominibus, Eccleſiaſticum ordinem obſtrictum tenes, quia per modeſtiam tuam, laborum tibi præmia reddere non licet, ſub alieno nomine, hoc à nobis amicitiæ, gratitudinis, honoris teſtimonium accipe, ſi, ut vovemus, adhuc in vivis es, prodi tandem, & omnium oculis, optatiſſimum vultum exhibe, ſat modeſtiæ dedicti. Noli iis, qui tuis laboribus fruuntur, te ipſum invidere: nec diutini triumphi gaudiũ, victoris abſentia corrumpi ſine.

Quòd ſi poſt bonum certamen pro Eccleſia certatum, coronam juſtitiæ, à juſto judice accepiſti, fac ut aliquis ſurgat ex oſſibus ultor, qui nomen AURELII, quod omnibus ſanctum eſt, à calumniis in poſterum vindicet, & te in proſternendis Hierarchiæ hoſtibus, paſſibus æquis ſequatur. Zeli tui imitatores, gloriæ hæredes, præſtantiſſimi exempli laudabilis æmulatio parturiat, ut Eccleſiæ, cujus amore pectus tum ardebat, dignitas imminuta, per novos ſubinde defenſores priſtino ſplendori reſtituatur.

Cæterùm norint poſteri, Clerum Gallicanum, AURELIO plurimũ, à ſe deberi profitentem, quod

Digitized by Google

potuit, persolvere voluisse: vel vivi meritum, oblatis præmiis, vel mortui memoriam, delatis honoribus, impensè coluisse: & quotquot pios eruditosque habet Gallia, statutis AURELIO justis monumentis, ad præstandam, simili studio, constantiâ, zelo, Ecclesiæ, omni ex parte impetitæ, operam, & præsidium, excitare contendisse. *Ita gloriosissimè Clerus ille.*

Auctores, quos oportet sequi, in materia de gratia Medicinali Christi Salvatoris, modò tam solemniter controversa in Ecclesia, exhibet in transitu breviter, Rythmus sequens, lectori harum rerum studioso & curioso.

Labor ejus cassus erit,
Qui cum CASSIANO *serit,*
Non procedet prosperè.
Ei qui sentit cum FELICE,
Heu infelix est, à pice
Ejus inquinabitur.
Qui magistrum habet FAUSTUM,
Heu! infaustum bibit haustum,
Ex infecto flumine.

Deum colit, qui divinum,
Et Augustum AUGUSTINUM,
Gratianum sequitur.
Qui, quod PROSPER, *ter beatus*
Sentit, Prosper fortunatus,
Felix, atque faustus est.
Qui, FULGENTIO *indulget,*
Totus veritate fulget,
Totus est Fulgentius.

Aliud

Digitized by Google

Aliud.

Si cum FELICE *ſentias, infelix es:*
Si cum FORTUNATO, *infortunatus:*
Si cum FAUSTO, *infauſtus:*
Si cum PROSPERO, *totus proſper,*
Felix, fortunatus, fauſtus es.

S. Proſper de S. Aug. Carm. de ingrat. c. 2.

Et dum nulla ſibi tribuit bona fit Deus illi
Omnia; & in ſancto regnat ſapientia templo.

Oratio S. Aug.

Quod mandas, dona; mea ſpes, mea, Chriſte, corona:
Atque in voce tubæ, quod placet omne, jube.

Ejuſd. dyſtichon, ſecundum quoſdam, de Cantu cordis & amoris.

Non vox, ſed votum; non cordula muſica, ſed cor.
Non clamans, ſed amans, cantat in aure Dei.

Sententia SS. PP.

Quidquid habes meriti, præventrix gratia donat:
Nil Deus in nobis, præter ſua dona coronat.

Digitized by Google

ΠΡΟΣ ΤΟΝ
ΓΥΙΛΙΗΛΜΟΝ ΒΕΙΕΡΟΝ
ἈΡΛΗΜΑΙΟΝ ΘΕΟΛΟΓΟΝ
ΣΟΦΩΤΑΤΟΝ.

Ἑλλενικὴ πολλοὺς Ἐκκλησία ἐγείνατο φωτοὺς,
Τῆς Μιτραῖο δίκης οἱ δὲ πρῶισταμένοι.
Ἐν Βαταβοῖσι παλιγγένεες, πόλις Ἁρλεμὸς ἄνδρα
παιδευτὸν τέτοκεν, πραγματικόν τε Θεοῦ.
Αὐτὸς Ἐπισκοπεῶν φρονιμῶς γάρ ἀμύνετο ἀνάγκην.
πρὸς τὸ μάθημα Θεοῦ εὖγε φυλασσομένοι.
Ἄφθιτον ἴσθι δέ σοι νυν, ΒΕΙΗΡΕ, κῦδος ἀφύξας,
Σοῦ τοῖον Βαταβοις ἕυκος ὄρεξενόος.
Ἡ γάρ σιβλος ὄρος πέλεται, τῆς δ' ἐκ περιωπῆς
πάντα βλέποις, ἃ βροτοὺς εἰς τὸν ὄλυμπον ἄγει.

ἁμαρτάνεται σοφοῦ σοφωτερος.

Idem qui Infra.

Ad

Digitized by Google

Ad

Admodum Rdum, & Eruditissimum Virum,

D. GUILIELMUM BEYER,

S. T. Licent.

Lampada Phœbeam tollit, quicunque recusat
Pastorale Pedum, cæligenasve Mitras.
Queis fulget Romana fides, ac vindice Christo
Sub pedibus Satanæ schismata quassa terit.
Fundatur sacro mitrata potentia textu,
Quâ sibi quærendas Christus adegit oves.
Mitra bicornis enim binos demonstrat amores,
Queis Abbas homines diligat, atque Deum.
In virtute Mitræ moderatur Episcopus acta
Cleri, qui populos ad pia vota movet.
Hoc docet Austriacæ vindex, qui protegit usus,
Quos Confirmando præsul ubique facit.
Qui sacri dat jura fori, nunc robore pennæ,
Defendit Mitram, à fraude doliſque malis.
Jam sileant cuncti, quorum mens laxior audet,
Noxia Romanis vendere dicta viris.
Hos omnes GUILIELME *fugas, ac sufficis unus,*
Ut docto reprimas tela superba stylo.

Gratulabundus accinuit,

I. B. V. L. A. M. D.

Digitized by Google

INDEX
Generalis Capitum.

INDEX

Tractatus, de auctoritate ac necessitate Episcoporum.

CAput I. *Episcoporum necessitas, probatur, ex Patribus.* Pag. 1

II. *Continuantur testimonia antiquorum* PP. *ea de re.* 6

III. *Aliorum* PP. *mens indagatur.* 10

IV. *Idem fuit sensus, Concilii Constantiensis.* 13

V. *Nec dissentiunt celebres auctores, è societate Jesu.* 14

VI. *Eadem Episcoporum necessitas, ex descriptione miserrimi status Ecclesiæ, proprio Episcopo viduatæ, apud* PP. 16

VII. *Alii* PP. *Ecclesiæ viduationem lugentes. Ejus rei exempla.* 21

VIII. *Solvuntur nonnullæ objectiones.* 25

IX. *Episcoporum necessitas probatur, ex praxi Episcoporum Africæ, aliter quàm putant adversarii.* 28

X. *Continuatio præced. capitis.* 31

XI. *Episcoporum necessitas, argumento* PP. *ducto, ex unitate Ecclesiæ, comprobatur.* 33

XII. *Solvuntur nonnullæ objectiones.* 38

XIII. *Aliis argumentis, Episcoporum necessitas comprobatur.* 41

XIV. *Non valere, persecutionis excusationem ad hoc, ut Ecclesiæ Episcopis carere debeant: ostenditur, ex ipsa institutione Christi.* 47

XV. *Idem probatur, ex continua Eceleſiæ praxi.* 49

XVI. *Ecclesiam tempore persecutionis, maxime indigere solatio Episcoporum, ostenditur ex* PP. 53

XVII. *Non indiget Episcopalis dignitas, divitiis, aliisque mundanis ornamentis.* 57

XVIII. *Non valere excusationem istam adversus Episcoporum necessitatem, quod eorum occasione, persecutio vel recrudescat, vel recrudescere timeatur, ex variis Ecclesiæ temporibus, ostenditur.* 62

XIX. *Eadem excusatio refellitur, ratione deducta, ex conspiratione capitis mystici, cum reliquis membris.* 67

XX. *Ea-*

Digitized by Google

XX. *Eadem excusatio, refellitur aliis rationibus.* 71
XXI. *Confirmatio præced. doctrinæ.* 75
XXII. *Quædam adversariorum objectiones refelluntur.* 77
XXIII. *Solvuntur aliæ objectiones adversariorum.* 80
XXIV. *Cæterorum argumentorum futilitas demonstratur.* 84
XXV. *Excusatio petita, à simplicitate Ecclesiæ, & paupertate, refellitur.* 88
XXVI. *Occurritur cuidam objectiunculæ.* 93
XXVII. *Eadem excusatio, veterum Episcoporum exemplis, rejicitur.* 94
XXVIII. *Objectionibus in contrarium respondetur.* 99
XXIX. *Nec minus infirmum est argumentum, ex praxi Innoc.* III. *in Livonia.* 102
XXX. *Refellitur quoque excusatio ista, quod Episcopus mittendus non sit, nisi ad valde numerosum Christianorum Catholicæ Religionis populum.* 107
XXXI. *Excusatio alia, quod nascenti Ecclesiæ, nequaquam sit præficiendus Episcopus, sed tantum adultæ, & confirmatæ, rejicitur.* 112
XXXII. *Aliæ rationes, pro hac doctrina, ex Greg. Naz. expenduntur.* 117
XXXIII. *Confirmatur Epilogicè doctrina cap.* XXXII. *præced.* 122
XXXIV. *Ecclesiam novellam maxime Episcopo indigere, ad procurandam disciplinam.* 125
XXXV. *Alia Ecclesiasticæ, alia civilis disciplinæ ratio. Prosecutio cap. præced.* 128
XXXVI. *Ecclesiam novellam, maximè, indigere Episcopo, ad evitandas scissuras, & dissensiones.* 132
XXXVII. *Ecclesiam novellam maximè indigere Episcopo, ad probationem missionum, & missorum.* 137
XXXVIII. *Quantum damnum Ecclesiæ, præsertim novellæ, per spurios & criminosos Sacerdotes. Zelus S. Bonifacii, Germanorum Apostoli, in iis expellendis.* 141
XXXIX. *Ecclesiam novellam, maxime indigere Episcopo, ad sui perennitatem & conservationem.* 147

Digitized by Google

XL. *Enucleatur præcedens doctrina, variis exemplis, in dissitis regionibus.* 152
XLI. *Confirmatio, & conclusio capitis* XXXIX. 154
XLII. *Ecclesias novellas, defectu legitimæ administrationis Sacramentorum, maximè labascere.* 156
XLIII. *Idem Confirmatur, de Sacramentis Eucharistiæ, pœnitentiæ, ac matrimonii, quæ sine Episcopo legitimè celebrari non possunt.* 162
XLIV. *Prudentes cautelæ concil. Trident. præcipuè circa Matrimonia ineunda.* 167
XLV. *Cellotii error proponitur, ac veteri Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore, usu, refellitur.* 169
XLVI. *De Conversione Germaniæ.* 173
XLVII. *De Conversione Britaniæ.* 175
XLVIII. *De Conversione Hiberniæ.* 179
XLIX. *De Conversione Hungariæ & Lituaniæ.* 180
L. *De Conversione Bulgarorum.* 182
LI. *De Conversione Suecorum, Gothorum, Norwegorum.* 186
LII. *De Conversione Tartarorum.* 188
LIII. *De Conversione Americæ & Peruvii.* 191
LIV. *De Conversione Japoniæ.* 194
LV. *Exemplum S. Xaverii, secuti alii, è Societate Jesu.* 197
LVI. *Transitus, ad Conversionem Sinensium, & Canadensium.* 201
LVII. *Canon Episcopalis, Petri Blesensis ejus proœmium.* 204
LVIII. *Idæam boni præsulis, variis documentis, & quasi lineamentis, depingit Petr. Blesensis.* 207
LIX. *Monet, ut bonos sibi consiliarios, & familiares adhibeat.* 209
LX. *Hortatur, ut præsul omnia, ad Dei gloriam referat, & propriæ gloriæ studium, metu divini judicii refrenet.* 212
LXI. *Episcopum, à præpostera rerum sæcularium cura, ad spiritualem, & suipsius curam revocat.* 216
LXII. *Excitat Episcopum, ad zelum justitiæ, contra ini-*

Digitized by Google

iniquas Principum leges, quibus præpostere puniuntur scelera, minora severius, graviora lenius. 219

LXIII. *Hortatur Episcopum, ut magno zelo pugnet pro justitia, & libertate Ecclesiæ, etsi vita impendenda esset.* 223

LXIV. *Tandem Octaviano Rom. Eccl. Card. dolenter queritur, passim indignos, sive scientiam, sive ætatem spectes, per summam ambitionem in Episcopatus, aliasque dignitates irruere: obtestaturque Octav. Apost. sedis legatum, ut sua auctoritate interposita, ambitiosos, & symoniacos omnes, ab Ecclesiæ gubernaculis arceat.* 226

LXV. *Ambitiosi Clerici & Religiosi taxantur, ex Ludolpho de Saxonia.* 230

LXVI. *I. Malum ambitionis, sollicitatio dignitatum.* 233

LXVII. *II. Ambitionis malum affectio carnalis.* 236

LXVIII. *III. Ambitionis malum, promotio malorum.* 237

LXIX. *IV. Ambitionis malum, pluralitas Beneficiorum.* 240

LXX. *V. Ambitionis malum, absentia Clericorum non residentium.* 241

LXXI. *VI. Ambitionis malum, abusus Beneficiorum.* 243

LXXII. *VII. Ambitionis malum, curiositas Clericorum.* 245

LXXIII. *Periculum Clericorum. Malum scandalizantium Ecclesiam.* 247

LXXIV. *Exemplum de Clerico. Ex Ludolph. Tria capitalia mala.* 249

LXXV. Et ultimum. *Doctissimorum virorum testimonia, de Ludolpho Saxone, ordinis Carthusiani.* 251

§. *I. Ex Chronicis Hermanni Schedel.*

§. *II. Ex supplemento Supplementi Chronicorum, Jac. Philipp. Bergomat. Ord. Eremitar. S. Aug.*

§. *III. Ex catal. scriptor. Eccles. Joan. Trithem.*

§. *IV. Ex libr. 4. Bibliothecæ Sixti Senens.*

§. *V. Ex Robert. Bellarm. Card. de Script^rr. Ecclesiast.*

IN-

Digitized by Google

INDEX
Tractatus de Missionibus &c.
Illmi. P. Rovenii in V. Partes distributus.

Pars I. *De amplitudine Dominicæ messis, & operariorum paucitate, adeoque de necessitate suscipiendi Missiones.* 265

Pars II. *Ad quos proprie pertineat Missiones instituere, & suscipere, ad procurandam salutem animarum.* 273

Pars III. *De modo quo brevi & facile plures idonei operarii ad procurandam salutem animarum haberi possint.* 284

Pars IV. *Quæ potissimum observanda sint iis qui ad hæreticos convertendos mittuntur.* 299

Pars V. *Quæ speciatim observanda iis qui ad partes Belgii hæreticis subjectas mittuntur.* 311

INDEX
Tractatus de ratione administrandi Sacram.
Confess. S. Caroli Borromei, Cardin.

§. I. *Notent Confessarii & sapiant.* 325

§. II. *Nullus sine approbatione confessiones audire potest, ne puerorum quidem.* 326

§. III. *Confessariorum Catalogus.* 326

§. IV. *Confessarii quamvis approbati, casibus conscientiæ studeant.* 327

§. V. *Confessariorum bonitas.* 328

§. VI. *Confessarii diligentia.* 329

§. VII. *Confessarii quando maximè confessionibus audiendis vacare debeant.* 329

§. VIII. *Confessiones ægrotorum quomodo excipiendæ.* 329

§. IX. *Confessiones extra templum non audiendæ.* 330

§. X. *Confessarii in audiendis confessionibus scopus.* 331

§. XI. *Oratio ante audiendas confessiones facienda.* 331

§. XII. *Confessarius non facile mutandus.* 333

§. XIII. *Confessarii inter se convenire debent.* 333

§. XIV. *Mulieres quæ in confessione audiendæ non sint.* 34

§. XV.

Digitized by Google

§. XV. *Quomodo malè homines ad confessionem parati accedunt.* 335
§. XVI. *Pueri quomodo audiendi.* 336
§. XVII. *Quando communio pueris tradenda.* 336
§. XVIII. *Quæ sint initio confessionis facienda.* 337
§. XIX. *confessionis conditiones.* 338
§. XX. *confessarius quomodo se geret cum iis quos absolvere non poterit.* 338
§. XXI. *Quando confessio reiteranda.* 340
§. XXII. *confessio generalis quando facienda.* 340
§. XXIII. *Interrogationes confessarii quomodo necessariæ.* 341
§. XXIV. *Mutatio votorum quomodo facienda.* 342
§. XXV. *Patres familias qui non absolvendi.* 343
§. XXVI. *De administratione familiæ.* 344
§. XXVII. *De luxu vestium.* 344
§. XXVIII. *Qui peccant in vestitu mortaliter.* 344
§. XXIX. *Quomodo fiat mortale in vestitu quod per se tale non est.* 345
§. XXX. *Quando absolutio differenda.* 346
§. XXXI. *Occasio peccati mortalis quæ.* 347
§. XXXII. *Remedia contra peccati occasiones.* 348
§. XXXIII. *Occasiones particulares quorundam peccatorum.* 348
§. XXXIV. *Plurimi nunquam ut oportet sunt confessi.* 350
§. XXXV. *Officia quæ relinquenda pœnitenti.* 350
§. XXXVI. *Contractus qui deserendi.* 351
§. XXXVII. *Jubilæi tempore qui non absolvendi.* 351
§. XXXVIII. *Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.* 352
§. XXXIX. *Absolutionis formula.* 353
§. XL. *canones pœnitentiales ad unguem confessarius teneat.* 353
§. XLI. *Pœnitentiæ quomodo peccatis respondebunt.* 354
§. XLII. *Blasphemis quales injungendæ pœnitentiæ.* 354
§. XLIII. *Sacerdos ab omni avaritiæ suspicione abesse debet.* 355

§. XLIV.

Digitized by Google

§. XLIV. *Confessionis secretum quomodo servandum.* 355
§. XLV. *Confessarii erga pœnitentes quales esse debeant.* 357
§. XLVI. *Confessarii finem, ob quem sunt creati, suis pœnitentibus proponant.* 357
§. XLVII. *Quomodo dies festos impendere docere debeat confessarius.* 359
§. XLVIII. *Divites quomodo admonendi.* 360

INDEX.

Instructionis pro Confessariis S. Francisci de Sales Episc. Genevens.

Caput I. *De Confessarii dispositione.* 362
Caput II. *De dispositione exteriore.* 366
Caput III. *De interrogationibus, quæ pœnitenti proponenda ante quam sese accuset.* 366
Caput IV. *Quarum se rerum pœnitens accusare debeat.* 367
Caput V. *Confessarius sollicite advertat, ne quem absolvat qui gratiæ Dei sit incapax.* 369
Caput VI. *Quomodo restitutio & reparatio bonorum & honoris alieni pœnitentibus persolvenda sit.* 371
Caput VII. *De casibus reservatis, deque confessione eorum, qui in evidenti mortis periculo & articulo versantur.* 372
Caput VIII. *Quomodo pœnitentiæ confitentibus sint imponendæ, & qualia pœnitentibus consilia danda sint.* 374
Caput IX. *Quomodo danda sit absolutio.* 376

Damnati Casus *ab Alexand. Div. Provid. Pap. VII. fel. Record.* 378

FINIS.

Digitized by Google

TRACTATUS
De
AUCTORITATE,
Ac
NECESSITATE
EPISCOPORUM;

CAPUT I.

Episcoporum necessitas probatur ex Patribus.

SUppositâ divina Episcoporum institutione, de qua nullus Catholicorum dubitare finitur, necessitas Episcoporum solidè statuitur; neque enim, quæ à Deo instituta sunt, ea vel violare, vel omittere licet. Quare cùm certò constet, Episcopatum in Ecclesia divinitus institutum qua temeritate eum ab Ecclesia rejicere contendimus? sed hanc temeritatem, PP. testimoniis refellere aggredimur, quæ multò plura essent, si quis unquam Episcoporum necessitatem in dubium revocasset. Sed quoniam nemini unquam visum est, Ecclesiæ Rectorem, caput, præsidem, Pontificem suum eripiendum esse, præter Waldenses, Albigenses, Wiclephistas, Puritanos, ultimorum temporum hæret.

Digitized by Google

ideo PP. in Episcoporum, & Rectorum Ecclesiæ necessitate adstruenda, ex professo minimè insudarunt.

Nihilominus ex occasione nonnunquam, & aliud agentes, plurimi horum, Episcoporum necessitatem validissimè confirmarunt; ex quibus aliqui, ad novitii erroris refutationem, nobis sunt referendi, quorum sententias absque alia explicatione, nisi necessaria sit, proponam. I. Eorum, qui Ecclesiam sine Episcopo esse non posse, sed ei necessarios Episcopos, apertè docent. II. horum, qui Ecclesiæ, Episcopo destitutæ, miseriam ac calamitatem deflent. III. illorum, qui ex Episcoporum successione, Ecclesiæ veritatem probant. Inter prioris generis testimonia, illustria sunt.

I. Ignat. Epist. ad Trallian. qui postquam de Episcopo, Presbyteris, & Diaconis verba egisset, omnes complexus hæc habet. *Sine his Ecclesia electa non est, nulla sine iis sancta congregatio, nulla sanctorum collectio.*

II. Tertull. qui de præscript. capp. 42. & 43. cùm in Ecclesia Catholica militaret, hæreticos quosdam à Catholicis discernit, quòd apud illos, nec sedes Pontificia, nec Episcopalis jurisdictio, & Cathedra, nec ministrorum circa Episcopum sedulitas essent, nec ordinationes fierent; Catholici verò in Ecclesiis suis hæc omnia haberent: quæ ab Ecclesiis conantur quidam Authores, Episcopis infensi, abigere. Ita autem Tertull. cap. 42. *Cæterùm nec sine præsidibus reverentiam noverunt*, &c. *Plerique nec Ecclesias habent, sine matre*, (id est matrice Ecclesia) *sine sede*, (id est Episcopali Cathedra) *orbi fide, quasi sibi latè vagantur*, id est, omni obedientia soluti & sibi solùm existentes, nullique Episcopo obsequentes quaquaversum discurrunt, & pro libito vagi atque errabundi prædicant. Cap. verò 43. *ubi veritas nulla est, meritò & talis disciplina est. At ubi Deus, ibi metus in Deum, qui est initium sapientiæ. Ubi metus in Deum, ibi gravitas honesta,*

Digitized by Google

honesta, & diligentia attonita, & cura sollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & subjectio religiosa, & apparitio devota, & processio modesta, & Ecclesia unita, & Dei omnia.

Quæ omnia rectè Tertull. Ecclesiis Acatholicorum non habentibus rectorem seu Episcopum, opponit: Nam ab Episcopo & rectore ista omnia, sublato Episcopo vel rectore, nihil eorum haberi potest. Non *adlectio explorata*: Nam si Ecclesiæ desit Rector, in fidelium numerum, quisque Presbyter pro arbitrio, quem volet, recipiet: Non Apostolorum Canon 32. secundùm Dion. Exig. & 33. secundùm græcam editionem, quam sequitur Gentian. Hervet. qui recipiendos in cœtum fidelium, non nisi cum commendatiis litteris recipi, & ἀνακρίνεσθαι, id est, discuti, explicari, examinari jussit, observabitur. Non *communicatio deliberata* ulla observabitur, ubi non erit, quocum alii deliberent, & à quo ad deliberandum vocentur: non erit cui ex præscripto ordine communicent, sed unusquisque suo arbitrio rem geret. Non *promotio emerita*, quia nec promotio ulla ad Clerum sine Episcopo, nec emerita, ad quam sine stipendiis præcedentibus, sine functionibus in inferioribus Ordinibus, sine sacramento, Episcopo militiæ duci dato, sine præcedenti in aliquam cohortem recensione ad militiam voluntariam, dux aliquis futurus, antequam miles, progredietur. *Non subjectio religiosa*, si videlicet non sit rector, cui tanquam Christi Vicario, id est, Episcopo religiosa debeatur obedientia. Non *apparitio devota*, si nullus sit magistratus, cui appareant, id est, cui, officii & obsequii exhibendi causa, præstò sint, tanquam lictores, scribæ, viatores, præcones Judici & magistratui temporali, ut colliges ex Tullio orat. *pro Cluent.* Virgil. lib. 12. Æneid. Festo lib. 12. itemque ex variis legibus. Nam lege 2. Codic. *de apparitor.* Præfecti urbis apparitio, pro officio & ordine eorum, qui præstò sunt Magistratui, alibi verò, pro ipsis Apparitoribus, ut lege final. §. fin. ff. *quod metus causa*, lege I.

Digitized by Google

C. *de locat. prædio. civilium.* Non *processio modestia*, quia processio propriè, de toto Clero, procedente cum Episcopo suo dicitur, ut apud Augustin. cap 8 lib. 22. de civ. Non denique *Ecclesia unita* cui omnia Ecclesiæ membra, inter se mediante Episcopo uniuntur, ut mox docebimus.

Ex quibus constat Tertull. inordinatas, & ab Ecclesiæ Catholicæ institutio discrepantes hæreticorum coitiones tales depinxisse, quales sine Episcopo Ecclesias adversarii volunt: Catholicorum autem Ecclesiam iis notis affecisse, quibus nos Ecclesiam omnem Episcopo proprio cohærentem optamus.

III. Est Catholicorum, apud Tertull. de Pudici. cap. 21. quos Psychicos ipse, in Montani hæresim lapsus, irrisoriè nominat: ii verò tantam Episcoporum necessitatem ad Ecclesiæ unitatem esse putaverunt, *ut Ecclesiam per numerum Episcoporum* definiverint.

IV. Est Clement. Alex. lib. 1. Pædag. cap. 4. in fin. qui ἀναγκαῖον istam quam in Ecclesiis inducunt, qui Episcopos ab Ecclesiis tollunt, & per subsidiarios Presbyteros nulla justitiæ obligatione ad officia Ecclesiastica officio adstrictos, nulla pastorali dignitate conspicuos, sufficienter regi putant, iis verbis damnat, *sine pastore autem nec oves, nec quidquam potest aliud vivere; neque pueri sine pædagogo; nec ministri sine domino.*

V. Est Cyprian. Epist. 27. Episcopi necessitatem, Divi no jure & Scripturarum authoritate stabilitam asserentis. *Dominus noster, cujus præcepta metuere & observare debemus, Episcopi honorem & Ecclesiæ suæ rationem disponens, in Evangelio loquitur* (Matth. c. 16.) *& dicit Petro. Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & super istam Petram ædificabo Ecclesiam meam, &c. Inde per temporum & successionum vices, Episcoporum ordinatio, & Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cùm hoc itaque divina lege fundatum sit: miror quosdam audaci temeritate, sic mihi scribere voluisse: quando Ecclesia in Episcopo, & Clero, & in omnibus stantibus sit*

Digitized by Google

sit constituta. Idem quoque Epist. 69. Florent. Papian. Ecclesiam, per adhæsionem populi Episcopo suo, ut essentialem, definit; *Ecclesia plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens. Unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo: & si quis cum Episcopo non stet in Ecclesia non esse.* Quæ verba nec de Episcopo solo Romano intelligenda sunt, quandoquidem hæc occasione sui ipsius Cyprianus Carthaginensis dicat; & æquè videatur necessarium, ut quemadmodum Ecclesia universa populus est Christianus Pastori uni adhærens, ita particularis aliqua Ecclesia, sit populus Episcopo suo adhærens, eoque mediante Romano Pontifici. Nec negativè tantùm intelligenda sunt, sed etiam positivè, ita nempe, ut non sufficiat, non dissentire ab Episcopo, si quis sit, sed præterea Episcopum inquirere oporteat, cui populus adhæreat: Nam Ecclesiæ ratio in ea connexione cum Episcopo, ponitur, ut nempe & constituto Episcopo communicet populus, & non constitutum quærat, cui communicet, quemadmodum grex Pastori adhæret, & sine pastore dispergitur, nec stare nisi collectus potest.

VI. Optati Milevit. qui lib. 2. contra Parmen. post med. sine Episcopo, stare non posse, dicit Ecclesiam, & ideo ab Hæreticis Episcopos impeti, ut iis corruentibus Ecclesia corruat. *Sic*, inquit, *cuncta malignitate quadam ordinasse vos constat, ut in una specie operis, species alias impleretis: ut dum Presbyter aut Episcopus dejicitur, sic populus caperetur: Quomodo posset turba hominum stare, quæ rectorem suum elisum esse conspiceret: Non aliter, quàm quocunque casu, pastore occiso, lupi grassantur.* Ex eodem quoque Optati libro mox proponemus, inter Ecclesiæ dotes *esse Cathedram, ubi nisi sederit Episcopus, conjungi altera dos non poterit, qui est annulus,* id est Ecclesiarum concatenatio & unitio. Sed eodem libro negat, Donatistarum ullas Ecclesias fuisse, quòd vel Episcopo destituerentur, vel populis: *Erat*, inquit, *ibi, filius sine patre, tiro sine Principe, discipulus sine magistro,*

gistro, sequens sine antecedente, inquilinus sine domo, hospes sine hospitio, pastor sine grege, Episcopus sine populo.

CAPUT II.

Continuantur testimonia antiquorum Patrum, ea de re.

VII. IGitur testimonium de necessitate Episcoporum, est Greg. Nazianz. Orat. I. num. II. qui, & inordinatum ait, quòd omnes imperare velint, & quòd omnes principatum Ecclesiæ defugiant, quod utrumque in Ecclesiis, quibus Episcopatus celsitudinem invident, adversarii moliuntur. Et Ecclesiam absque Episcopo maxima ex parte claudicantem, suoque ornamento & complemento destitutam, nobis describit. *Par meo quidem judicio malum est, ac peræquè inordinatum & omnes præesse, atque imperare velle, & neminem id suscipere. Nam profecto, si omnes hoc, sive ministerium dicere oportet, sive imperium defugiant, maxima ex parte claudicabit, nec jam pulchritudinem suam retinebit, pulchrum illud Ecclesiæ complementum.* Nec in eo sistit S. Gregor. quin etiam sublata Episcopi Jurisdictione coërcitiva, quam abigere volunt adversarii, nec sacrificii, nec Sacerdotii remanere in Ecclesia potestatem, contendit: quia nempe ex hac illa oritur: & duæ illæ potestates, sibi mutuo illigatæ sunt, nec una sine divinæ institutionis perturbatione, in Ecclesia suam dignitatem & splendorem, nativumque ordinem & ornamentum retinet.

Audiamus Theologum verbis immediatè seqq. num. 12. *Ubinam porro, & à quibusnam Deus mysticis illis ac sursum ferentibus sacris coleretur (quibus nec majus quidquam, nec præstantius apud nos est) si nec rex, nec præfectus esset, nec sacerdotium, nec sacrificium, nec alia omnia quibus olim inobedientes homines, & contumaces ob ingentia peccata multati sunt.* Idem ipse, ob eam causam Gregor. Ecclesiam Constantinopolitanam, quæ antea Arrianos Episcopos habuerat, nullum Catholicum, statim atque habe-

Digitized by Google

habere cœpisset Catholicum Antistitem *de novo in lucem prodire* dicit, *de novo coagmentatam plebem* appellat. Neque enim putat Catholicos, quorum aliqui, etiam tyrannicè, à Præsidentibus fuêre introducti, ut Eusebius è Nicomedia Constantinopolim translatus, vel Demophilus, vel si qui alii Arriani fuerunt, Antistites, Ecclesiam perfectam effeciſſe, sed eam tantùm perfectam evasisse, ubi Episcopo Catholico adhærens plebs fidelis, à reliquis separatâ, sub proprio duce militare, & reliquis Catholicis Ecclesiis, beneficio Episcopalis Cathedræ, adnumerari cœpit. Idem quoque Epist. 18. ad Cæsar. nomine patris scriptâ, non minimam, ait, esse rem, in qua de Episcopi electione agatur, quandoquidem salus Ecclesiæ ab ejus pendeat constitutione, quippe cum λυχνὸς τῆς ἐκκλησίας, *lucerna Ecclesiæ*, sit Episcopus: sicut lucerna corporis est oculus. Memini me legere, Athenienſium olim civitati, hostium furorem peperciſſe, ne Græciam altero oculo privaret: & Ecclesia unum habet oculum, Episcopum, quo proinde, qui Ecclesiam privare volunt, crudeliores, & sæviores adversus Matrem suam videntur Ecclesiam, erga quam pietatis affectum doloſe simulant.

Obiter autem etiam monuerim, hanc oculi, cum Episcopo comparationem, Chromatio in Cap. V. Matth. placuisse, dum ait, *sed quia corporis mentio facta est, rectius id magis de corpore Ecclesiæ, in qua oculus, velut pretiosum membrum, Episcopus significatus agnoscitur, qui lumine mandati Divini totum corpus illuminat.* Atque adeo Ecclesiæ oculos effodiunt, lumina auferunt, quæ, ut sine Episcopis sit, efficere, & persuadere contendunt.

VIII. Est Ambros. de Isaac & anima Cap. 8. *Ubi enim*, inquit, *Ecclesia nisi ubi virga, & gratia floret sacerdotalis?* At *sacerdotalis virgæ* nomine, Jurisdictionem Episcopalem, quæ virga æquitatis & directionis est, *gratiæ* verò *sacerdotalis*, eam, quæ ab Episcopis nobis communicatur, intelligit. Sacerdotem siquidem

Digitized by Google

Episcopum, & Sacerdotalem dignitatem Episcopalem, phrasi eo tempore communi; quâ ipse sæpe utitur, ut libris de dign. Sacerd. De initand. De Sacram. & alibi passim, exponi debere, notius est, quàm ut probari debeat.

IX. Est Epiphan. qui, ut supra insinuavimus, Ecclesiam nondum perfectam esse, quæ nondum haberet Episcopum, docet Hær. 75. adversus Aërian. num. 4. & 5. At ubi *suam ac legitimam ad mensuram pervenit*: Ubi *prudenti quadam moderatione justissimè est à Patre, Filio & Spiritu Sancto temperata*, tum Episcopum necessariò habere debuisse confirmat. Utique nihil potest esse expressius ad comprobandam propositionem istam, quam in libro Apolog. Danielis à Jesu, Facultas Theologica Parisiensis, sine fidei periculo asseri non posse, docuit, quòd perfecta particularis Ecclesia sine Episcopo esse non possit. Idem quoque Epiph. hær. 27. num. 6. tantam Episcopi necessitatem in Ecclesiis esse credidit, etiam persecutione grassante, ut in locum Petri & Pauli, in regiones longinquas abeuntium, Episcopos aliquos coadjutores constitui, necessarium judicarit, exsistimans, *non posse urbem Romanorum, sine Episcopo esse*, scilicet credebat Epiph. Pauli, in Hispaniam, Petri, in Pontum & Bithyniam proficiscentium, curam, Romanæ civitati non sufficere, nisi præsentes Episcopos haberet, qui Pontificalia exercerent; crederet verò Romani Pontificis, in urbe commorantis sollicitudinem, Angliæ toti, & Scotiæ sufficere, nec ullos, qui Pontificalia obirent munia, in iis regnis degentes Episcopos requiri?

X. Est Hieron. qui Dial. adversus Luciferian. cap. 8. asserit, Ecclesiam non esse, quæ Episcopum seu Sacerdotem non habeat, quo scilicet loco hæc ejus verba notanda sunt, *Ecclesia autem non est, quæ non habet Sacerdotes*, aliàs *quæ non habet Sacerdotem*, quemadmodum in antiquis codicibus scribitur, quibus nominibus haud dubiè, ex antecedentibus & consequentibus intelliguntur, vel *Episcopus*, in una Ecclesia, sine quo ex men-

Digitized by Google

mente Hier. nulla Ecclesia perfecta est; vel *Episcopi* plures, qui ad singularum Ecclesiarum administrationem singuli sunt necessarii, quandoquidem in unaquaque Ecclesia in præcedentibus aliquem esse requirit, qui Clericos ordinare possit; in subsequentibus autem, eos reprehendit, qui in locum Episcoporum eos substituebant, qui *sibi ipsis Laici, & Episcopi* fuerint, id est, qui se pro Episcopis gerant, cùm revera sint Laici: & ut Ecclesiæ veritatem mentiantur, dignitatem Episcopi quibusdam affingunt, quibus eam dare non potuerunt. Sed & eod. cap. Ecclesiam ultimò in Episcopo terminari, ac perfici, nec proinde sine eo, perfectam esse, iis verbis ostendit, *similiter & Ecclesia multis gradibus consistens, ad extremum Diaconis, Presbyteris, Episcopisque finitur.*

XI. Est Chrysost. apud Pallad. in ejus vita, cujus testimonio hæc monita dedisse Diaconissis, refertur, ut quicumque absque ambitu ordinatus fuisset, ei se ut capiti per omnia submitterent, *non enim*, inquit, *esse Ecclesia, sine Episcopo potest.* Reveritus est Chrysost. diuturno sui exilio, dissipari Ecclesiam, cessit juri suo, ut unitati Ecclesiæ & perennitati provideret, quam diu sine Episcopo perseverare non posse credidit. Itaque Catholico Episcopo, sine ambitu constituto, cedendum credidit, ne Ecclesia diu Episcopo vacans, dissolveretur, ac grave dispendium pateretur. Noverat scilicet Chrysost. quantis malis affligeretur Ecclesia, quæ Pastore suo & Episcopo careret, ut ex ipso postea demonstrabimus.

XII. Est P P. Conc. Ephes. Epist. ad P P. S. Synodi in Pamphylia, ut refertur parte 2. ejusd. Conc. Act. 7. quâ ipsis de Theodoro, in locum Eustathii, qui libellum abdicationis obtulerat, electo, gratulantur, cujus electionis occasione, hæc de necessitate Episcopi scribunt. *Indignum quippe fuisset viduam manere Ecclesiam: Indignum Pastore carere Salvatoris nostri ovilia.*

XIII. Testimonium est Greg. Turon. lib. 10. Hist. c. 1. Ecclesiam sine Rectore, sine Episcopo stare non

Digitized by Google

posse, affirmantis his verbis, *sed quia Ecclesia Dei, absque rectore esse non poterat, Gregorium plebs omnis elegit.*

CAPUT III.

Aliorum Patrum mens indagatur.

COnsentiunt & alii PP. XIV. igitur testimonium est Martini Papæ qui variis epistolis ex professo, Episcoporum necessitatem, Ecclesiis conatur adstruere, atque adeo Vicarium in Oriente constituit qui deformatas ab Hæresi Ecclesias, suo nitori per Episcoporum præsertim creationem, restitueret. Legantur epistolæ ipsius 5. ad Joan. Episc. Philadelphiæ 9. ad Pantaleon. 10. ad Petr. Illustr. 11. ad Ecclesiam Hierosolym. & Antiochen. 13. ad Eccles. Thessalonic. notentur ista ex epist. ejus 5. cit. *Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, sed fortitudinis & dilectionis, & prudentiæ, ad tollendam omnem hæresim, quæ fidei adversatur, & ad omne vitium expugnandum, quod virtuti Divinæ contrarium sit: ut sic prosperans in Domino, ea quæ desunt corrigas, & constituas per omnem Civitatem earum, quæ sedi, tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, & Presbyteros, & Diaconos, hoc tibi omni modo facere, præcipientibus nobis, ex Apostolica autoritate, quæ data est nobis à Domino, per Petrum sanctissimum, & principem Apostolorum; propter angustias temporis nostri, & pressuras gentium: ne usque in finem, in illis partibus deficiat, Sacerdotalis decoris eximius ordo,* &c.

Observentur & ista, ex epist. 9. *Quam igitur defensionem habebunt: cùm jam propter eos, non sint ibi Episcopi & Sacerdotes, qui jugiter altari insistant, & sacrificia atque oblationes pro populo, ad salutem animarum offerant? Quamvis cognoscant, quod ultima hora sit, & scandalorum tempus immineat, atque idcirco oportebat pluribus Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis providenter Ecclesias Dei ubique increbrescere: quemadmodum navim, quæ in pelago tempestate jactatur, pluribus gubernatoribus*

&

Digitized by Google

& nautis. Hujus enim rei gratiâ, & nos in ædificationem, præcipuè à Domino potestatem accepimus; ut populis fluctuantibus humanè ac benignè opitulemur. Unde ob hanc potestatem mota Apostolica sedes nihil prætermisit, quò Catholica istic Ecclesia per memoratum religiosum Episcopum convenienter sacerdotale decus recuperaret. Qui verò id prohibuerunt sibi, de eo imputabunt rationem. Nihil hîc de meo, omnia hæc Sancti Mart. Pontif. verba sunt: quæ cuiquam applicare nolim, quamvis apologiam Sedis Apostolicæ, pro iis, & hisce temporibus egregiam, & luculentam contineant, huic valde contrariam, quam nuperi quidam scriptores contrario spiritu scripserunt. Plura similia leges in cit. epistolis.

XV. Est Bedæ in Esdram lib. 3. cap. 24. Ecclesiæ statim atque enata fuerit, Antistitem esse præficiendum, *ubicumque Ecclesiæ murus, collectis ad fidem novis populis, vel correctis his, qui erraverant, ædificatus fuerit, mox ponendæ sunt valvæ disciplinæ regularis, ne antiquus hostis, qui quasi leo rugiens circuit, usque in ovile fidelium valeat irrumpere.* Quod etiam exemplo confirmat lib. 2. hist. gentis Anglor. Cap. 4. *Successit autem*, inquit, *Augustino in Episcopatum Laurentius, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam destitutus pastore vacillare inciperet. In quo & exemplum sequebatur primi pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi Apostolorum Principis Petri, qui fundatâ Romæ Ecclesiâ Christi Clementem sibi adjutorem, evangelizandi simul, & successorem consecrasse perhibetur.* Quod expressè observandum, ut recogitent corde ii, qui Christianis populis, in novi orbis colonias transportatis, quibus & indegenarum ad fidem numerus aliquis adjunctus est, quominùs à Romana sede daretur Antistes, interceserunt, eo solo prætextu, quod rudis adhuc esset Ecclesia; Cui proinde tantum abest, ut subtrahi Pastoris & Episcopi officium, quin imò ociùs provideri deberet, si Bedæ venerab. fides habenda, si Augustini Anglorum Episcopi, si Petri Apostolorum Coryphæi, & exempla imitanda, & sensa investiganda sunt. XVI.

Digitized by Google

XVI. Est Formosi Papæ, qui teste Wilhel. Malmesbur. lib. 2. de gestis Regum Anglor. Cap. V. adeò necessarios Episcopos, uni Angliæ provinciæ esse credidit, ut Regi Eduardo filio Alfredi, & populis, Excommunicationem minaretur, nisi vacantibus Ecclesiis Episcopos restitueret. Placet ipsa verba referre. *Anno*, inquit, *quo à nativitate Domini transacti sunt anni 904. misit Papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat Excommunicationem & maledictionem Regi Eduardo, & omnibus subjectis ejus, pro benedictione, quam dederat beatus Gregorius, genti Anglorum, à sede Sancti Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat Episcopis omnis Regio Genisorum, id est Westsaxonum. Quo audito congregavit Rex Eduardus Synodum Senatorum gentis Anglorum, cui præsidebat Pleimundus Archiepiscopus Cantuariensis, interpretans distinctè verba Apostolicæ legationis. Tunc Rex, & Episcopi, elegère sibi, suisque salubre consilium, & juxta vocem Dominicam, (messis quidem multa, operarii autem pauci) elegerunt & constituerunt singulos Episcopos, singulis provinciis Genisorum, & quod olim duo habuerunt, in quinque divisérunt.*

XVII. Habetur apud Order. Vital. Monachum Uticens. Eccleſiast. hiſtor. lib. 3. in Willelm. 2. circa annum M L. insigne scilicet Geroii viri nobilis apophthegma, *qui cum Helgenis fiscum obtinuisset, incolas illius patriæ, de quo Episcopatu essent inquisivit. Illi autem dixerunt, se nullius Episcopatus esse. At ille; hoc omnino injustum est. Absit à me, ut sint sine Pastore, & jugo Ecclesiasticæ disciplinæ. Deinde quis vicinorum Episcoporum vicinior esset, investigavit, agnitisque virtutibus Rogerii, Lexoviensis Episcopi, ei totum honorem suum subjugavit.* Huic verò inordinationi, quòd aliqua loca, sine Episcopali regimine maneant, providit Milevit. Synod. II. Can 24. & Africana Can. 88. statuens, ut, si quæ loca ad suam Cathedram pertinentia Episcopus lucrari negligeret, post admonitionem, ab Episcopis vicinis vendicari possent.

Concludo hunc Catalogum testimoniorum antiqq.

PP.

Digitized by Google

PP. aureis istis verbis Gregor. 7. Epist. 21. lib. 7. Registri Clero & Populo Arelat. *Cogitare enim debetis, quoniam secundùm electionem gratiæ Dei, de numero ovium Christi estis, & nequaquam securè vivetis, nisi, qui ejus vice vobis præsit, & contra incursus callidi insidiatoris, assidua circumspectione vos muniat, habeatis.*

CAPUT IV.

Idem sensus fuit Concilii Constantiensis.

HIsce addi plura possent, nisi pro brevitate, cui studemus, sufficerent. Omitti tamen non potest damnatio plurium errorum Wicleph. & Joan. Hussii, à Concilio Constantiensi, ex quorum damnatione, veritas Catholica luculentiùs erui potest. Nam damnatur iste articulus Sess. 15. Art. 27. *Non est scintilla apparentiæ, quòd oporteat esse unum caput in spiritalibus regens Ecclesiam, quod semper cum ipsa militante Ecclesiâ conservetur, & conversetur.* Ex cujus damnatione colligitur, quòd *oporteat esse unum caput in spiritalibus regens, quod semper cum ipsa militante Ecclesia conservetur, & conversetur.* Quæ propositio, cujusdam recentioris opinioni, è diametro repugnat. Nam negat ille, statum Pontificalem semper in Ecclesia manere, quem prædictis verbis Synod. Constant. permanentem & perseverantem agnoscit. Eatenus enim verum est, oportere in Ecclesia militante, esse unum caput, quod semper cum ea conservetur & conversetur; ut semper quidem id necessum esse, sed non pro semper, interpretari debeamus: quæ necessitas, & obligatio semper perseverans, ad habendum summum Pontificem, nihil aliud est, quàm status Pontificalis.

Eodem sensu intellige sequentes articulos 28. & 29. *Christus sine talibus capitibus monstruosis,* (Papa & Episcopis) *per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum, melius suam ecclesiam regularet*: Quod saltem de Ecclesia, cui persecutio talis incubuerit, quæ Episcopalem

Digitized by Google

palem potestatem plenè liberam, non sinat tribunalis honore perfrui, & dignitatis ornamentis pacificè potiri, asserunt adversarii, eam nimirum melius & convenientius per Regulares, & alios Presbyteros, huc illuc sparsos, gubernari. Qui etiam concedere videntur, quod addebant isti hæretici, *deficiente per summè possibile Papâ; usque ad diem judicii,* Ecclesiam universam, sine Papæ officio, stare convenienter posse. Qui nempe hoc solùm requirunt, quòd ecclesia eum habere possit, & parati fideles sint animis, ad eum recipiendum, cùm legitimè fuerit electus.

Addi potest, passim in jure, Ecclesiam nonnisi pro Episcopali sumi, imò & pro ipso Episcopo: & in Concil. Tolet 1. can. 9. Ecclesiam opponi villæ, quasi Ecclesia villæ, Ecclesia non sit: nec Ecclesia perfecta scilicet haberi possit, in qua non Episcopus sedeat, cui non Episcopus addictus sit. Quod sanè ostendit, Episcopi proprii necessitatem, ad Ecclesiam perfectam, tanquam internam & essentialem sine qua, perfecta Ecclesia esse non possit.

CAPUT V.

Nec dissentiunt celebres auctores, è societate Jesu.

ADdimus etiam recentiorum quorundam, præsertim è Societate Jesu, celebrium authorum testimonia, qui Episcoporum necessitatem tamquam Catholicæ veritatis adversus Acatholicos propugnarunt: Bellarm. lib. 4. de Ecclesia cap. 8. *Sed ut vis,* inquit, *hujus argumenti, melius intelligatur, aliqua notanda sunt: non posse ullo modo Ecclesiam esse sine Pastoribus & Episcopis, ut rectè docet Cyprian. Epist. 9. lib. 4. ubi dicit, Ecclesiam esse plebem Episcopo adunatum, &c.* Vides Bellarm. loqui, de particulari Ecclesia perfecta, quam negat, sine Pastoribus, & Episcopis esse posse: de qua scilicet loquebatur Cyprian. non de Ecclesia universa, de qua nempe, si Bel-

Digitized by Google

si Bellarm. solùm loqueretur, inferre solùm potuisset, Ecclesiam Protestantium universalem non fuisse, sed non concluderet, eam particularem esse non posse.

Possevin. in respons. ad interrogationem 4. *de vera ecclesia*, non esse Ecclesiam ex professo contendit, ubi Sacerdotes, & Episcopi non fuerint; probatque primum ex Cyprian. epist. 55. ad Jubaian. ex analogia Ecclesiæ cum regno, ex nominibus Ecclesiæ, ut quòd turris, ex qua speculator desuper inspicit, quòd castrorum acies ordinata, quòd corpus in diversa membra, &c. verba interrogationis ejus sunt, *Ecclesia ne dici potest alicubi esse, ubi Sacerdotes, & Episcopi veri ac legitimi consecrati non sunt?*

Idem in refutatione respons. David. Cythræi, ex Bibliotheca vaticana, librum græcum refert, syntagmatis seu commentarii de rebus, quæ in Synodo Nicena contigerunt, in qua mentio fit τῶν διατάξεων *seu constitutionum* quarum aliquas Possevin. refert, eamque inter cæteras, quæ est de sacris ministris, quam utpote egregiam refert, qualis apud istum authorem habetur, *Clerici sacri Ordinis debent esse typus, & imago cælestium, Episcopus quidem debet esse typus Dei, tanquam caput, post illum Ecclesiæ, quæ eum recepit, Presbyter tenere debet sedem & locum Seraphicum, Diaconus verò Cherubicum: minister verò*, id est Subdiaconus, *debet ministrare iis.* Quibus expositis, adnotationem subjicit proposito convenientem, *Christianæ Ecclesiæ, si sacer Ordo Clericorum, hoc est Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi desint, eam neque typum, neque imaginem cælestium neque adeo ecclesiam esse posse hinc plenissimè liquet.* Atque hinc colligit, apud hæreticos veram ecclesiam non esse: Ego autem similiter ex ejus mente colligo, nec apud eos Ecclesiam esse perfectam, ad imaginem cælestis Ecclesiæ formatam, cui potissimum istius ordinationis membrum, puta Episcopus, defuerit.

Turrian. in cap. 46. lib. 8. Constitution. Episcoporum necessitatem similiter adstruit, quibus reliqui facilè

Digitized by Google

cilè omnes antiquiores consentiunt, antequam, inimicus homo superseminasset zizania, & privata dissensio, in variis orbis partibus, in apertam adversus Episcopos machinationem erupisset. Nuperrimè verò, clarissimus aliàs, ex eadem Societate scriptor Petavius, in libris de *Eccles. Hierarch.* à se conscriptis, eandem veritatem passim, aut supponit aut probat.

CAPUT VI.

Eadem Episcoporum necessitas, ex descriptione miserrimi status Ecclesiæ, proprio Episcopo Viduatæ, apud Patres.

HActenus διδασκαλικῶς Patres loquentes audivimus, Episcoporum necessitatem stabilientes: jam παθητικῶς eosdem calamitosum Ecclesiæ, Episcopo proprio viduatæ statum, describentes, ac deplorantes audiamus. Sicut enim eadem cum ipsis sentire & credere, nobis necessum est; ita & iisdem affici, æquissimum fuerit. Neque enim fieri potest, ut eadem sentiamus, nisi, quod illi summum & exitiale Ecclesiæ malum crediderunt, gravissimum quoque credamus. Quomodo autem fieri potest, ut gravissimum malum, Episcopo carere, credamus: nisi ejusdem mali cogitatio, animum quoque moveat, & ad Ecclesiæ viduatæ commiserationem, pariter inducat; cujus utique commiseratione tangi, quomodo aliquis potest, nisi, qui huic malo mederi velit; & minorum quoque bonorum jacturâ, majus illud dispendium, etiamsi oporteat, removere satagens? atque ita fit, ut neminem, qui Patrum sensu de Ecclesiæ Viduatæ statu judicet, reperire sit, qui non sollicitè Episcopum sibi, suisque contribulibus dari efflagitet, qui non beneficium illud, plurimi æstimet, qui non etiam cum suo temporali dispendio, consequi contendat.

Optan-

Digitized by Google

Optandum quàm maximè, ut adversariorum unusquisque suam seriè, & veraciter conscientiam discuteret, unde proveniat illa, quam aliis persuadere conantur, Episcopi proprii habendi negligentia, nisi ex levi quadam Episcopalis boni æstimatione, quo privatas & spoliatas Ecclesias, nihilo deteriori statu esse putant: Quæ nempe levissima mali ex Episcopi carentia, boni ex præsentia ejusdem æstimatio, has voces, cujusdam moderni socii elicuit, quòd *tempore persecutionis, bonum non sit, nec conveniens, nec ullum solatium Ecclesiæ, habere Episcopum, cùm nullus publicus sit usus religionis.*

Veniamus igitur ad Sententias Patrum, quæ magnitudinem calamitatis, Ecclesiæ viduatæ describunt, & opinationem adversariorum destruunt.

Primus in aciem prodeat Basil. qui plurimis in locis longè aliter de Episcopi carentia judicat, vixque ullum, Episcopi jacturâ, majus aut gravius malum esse, putat tum Epistolâ 62. consolatoria Ecclesiæ Neocæsar. iis verbis. *O civitas multis quidem jam occupata perturbationibus, à nulla tamen illarum ad istum modum letali modo affecta! Occidit nunc quidem pulcherrima tibi venustas; Ecclesia verò lamentatur, solemnes conventus lugent: sacer seniorum consessus coryphæum aliquem desiderat: Sermones Mystici interpretem suum exspectant: filii Patrem, senes æqualem, populus præsidentem, alimoniâ destituti nutritorem, familiariter usurpatis omnes illum nominibus implorantes, juxta propriam quisque affectionem, propriis & accommodatis quoque vocibus ipsum deplorant.* Tum epistola præced. 61. ad Episcopos occidental. quâ vastitatem Ecclesiarum Orientis, à quibus Arrianorum sævitiâ, Episcopi ab Ecclesiis suis exulare cogebantur, quam calamitatem verbis istis deplorat, quæ Ecclesiarum quarumdam nostro tempore, miserabilem statum indicant. *Patrum dogmata contemnuntur, Apostolicæ traditiones nullo numero habentur, recentiorum hominum inventa in Ecclesiis dominantur. Homines in posterum artificiosè disputant, non theologos agunt. Mundi Sapientia primàs tenet, crucis gloriam abominans.*

Digitized by Google

Pastores abiguntur, lupi graves introducuntur, qui Christi gregem discerpunt. Quæ certè omnia, in Ecclesias irrepant, necessum est, si doctrina à paucis annis ab Anglicanis Scriptoribus disseminata, & ab aliis fota obtineat. Judicabit lector, qui eorum librorum sensum perceperit. Tum denique Epistola 70. ad Episcopos Gall. & Ital. in qua gravissimam omnium persecutionem asserit, Episcopo carere, iis verbis, *persecutio nos apprehendit, fratres colendissimi, omnium gravissima, abiguntur enim Pastores, ut greges dispergantur.*

Basil. succedat Nazianz. orat. 32. in præsentia Episcoporum Synodi Constantinop. habita. *Hic grex exiguus quondam erat, & imperfectus, quantum quidem oculorum sensu judicari poterat: ac ne grex quidem, sed parvum quoddam & tenue gregis vestigium, aut reliquiæ, incompositus, Episcopo carens, nullis terminis inclusus nec pascui liberi jus habens, nec caulâ cinctus, oberrans in montibus, in speluncis, & cavernis terræ. Huc illuc dispersus atque disjectus, eoque redactus, ut quâ quamque ovem sors tulisset, regeretur, ac pabularetur præclareque secum agi duceret, si salutem suam surriperet. Non secus videlicet, ac grex ille, quem Leones expulerunt, aut tempestas dissolvit, aut caligo dissipavit, quem & Prophetæ lugent, populi Israëlitici gentilibus traditi calamitatem adumbrantes, & nos etiam luximus quamdiu res nostræ luctuoso statu fuerunt. Nam ipsi quoque revera expulsi, & projecti fuimus, atque in montes omnes & colles, ob Pastoris inopiam dispersi. Et dira quædam tempestas Ecclesiam invasit.*

Nazianz. consentit Chrysost. qui de *incomprehens. Dei natura* Hom. 1. non longè ab init. Flaviani sui præsulis etiam absentiam luget, periculum autem, quod ex absentia Pastoris Ecclesiæ creatur, iis verbis explicat. *Quia cùm pastor adest, si lupus gregem invadit, repelli facilè potest, ac fugari. At cum abest, gravius periculum imminet, cùm nemo sit qui defendat ac servet.* Idem etiam, dum ob adventum Flaviani, quantum sit lætandum, amplificat, quantum ex Episcopi carentia dolendum, ostendit, vis nosse quantam lætitiæ causam

Digitized by Google

ſam reſtitutio Epiſcopi ſubminiſtret; diſces à Sancto iſto Doctore hom. 2. ſtatim initio reſtituto Epiſcopo Deo gratias agendas, qui ſcilicet reddiderit; *Et caput corpori, & Paſtorem ovibus, præceptorem diſcipulis, militibus ducem, Sacerdotibus Pontificem.* Atque ex iis colliges, Eccleſiam Epiſcopo orbatam, corpus eſſe capite truncatum, oves Paſtore deſtitutas, diſcipulos præceptore carentes, milites ſine duce palantes.

Quartus mihi teſtis Sidonius Apollinar. qui expulſis Evarigis, Gothorum Regis Arriani furore Epiſcopis, vel truncatis, aliisque in eorum locum ſubrogari prohibitis, Eccleſiarum vaſtitatem ac calamitatem deplorat, & Eccleſiæ exinde excidium auguratur lib. 7. epiſt. 6. Baſilio. *Propter quod*, inquit, *diſcite citò Catholici ſtatus valetudinem occultam, ut apertam feſtinetis adhibere medicinam. Burdegala, Petrogorii, Rutheni, Lemovices, Gabalitani, Heluſani, Vaſates, Convenæ, Auſcenſes, multoque jam major numerus civitatum (ſummis Sacerdotibus ipſorum morte truncatis, nec ullis deinceps Epiſcopis in defunctorum officia ſuffectis, per quos utique minorum Ordinum miniſteria ſubrogabantur) latum ſpiritalis ruinæ limitem traxit, quam ferè conſtat ſic per ſingulos dies morientium Patrum proficere defectu, ut non ſolùm quoslibet hæreticos præſentium, verum etiam hæreſiarchas priorum temporum potuerit inflectere. Ita populos Pontificum exceſſu turbatos, triſtis interciſæ fidei deſparatio premit, nulla in deſolatis cura Diœceſibus parochiisque, &c. Quid enim ſolatii fidelibus ſupereſt, quando clericalis non modò diſciplina, verùm etiam memoria perit. Siquidem cùm Clericus quisque defungitur, ſi benedictione ſuccidua non accipiat dignitatis hæredem, in illa Eccleſia ſacerdotium moritur, non ſacerdos: atque ita quod ſpei reſtare pronunties, ubi facit terminus hominis finem religionis. Altiùs inſpicite Spiritualium membrorum damna, profectò intelligetis quanti ſubripiuntur Epiſcopi, tantorum vobis populorum fidem periclitaturam.* Legis Sidonium, triplici præſertim ratione ſacerdotum carentiam, tanquam exitiem Eccleſiæ, deflere: I. propter diſciplinæ clerica-

Digitized by Google

lis excidium II. propter fidei in populis periculum: III. propter Clericalis Ordinis exterminium.

Primam rationem etiamnum in Ecclesiis, quæ sunt Episcopo viduatæ, locum habere, adversarii negare non possunt: cùm nec disciplinam sine rectore esse posse, nec rectorem, qui non sit Episcopus esse, expedire, ulla probabili ratione persvadere possint. Nec disparitatem nostrorum, & priorum temporum in eo demonstrare queant. Sed neque absurdum judicant, neque incommodum, Ecclesiam in persecutione positam, ab omni jugo disciplinæ solutam, & ab omni coërcitione immunem esse: Tantum scilicet ab antiqua sæculorum priorum fide & persuasione desciscunt. O tempora!

Alteram rationem similiter nulla disparitate eludere possunt. Nam sicut nunc sublatis Episcopis, doctos & eruditos aliquos Presbyteros, vel alios superstites esse videmus, à quibus fideles doceantur: ita & nunc non dubium est, quin exciſis Episcopis, docti aliqui superstites esse potuerint. Sed iis non promissus Spiritus Domini, sicut Episcopis. Non eadem obligatio, conservandæ fidei ac disseminandæ, quæ Episcopis: Ideoque quin periculum fidei, ex sublatis Episcopis, accidat, quod de suo tempore scripsit Sidonius, de nostro dubitare non debemus.

In tertia, disparitatem adversarii statuunt, quia ad Ecclesias, persecutione viduatas, Clericos aliunde transvehi, hocce tempore commodè fieri posse, dicunt, quod remedium non ita nobis proprium est, quin & illis commune esse potuerit: Tum quod earum civitatum Episcopi, non longè aliquando à suis Diœcesibus expellerentur, ut testatur Sidon. cit. epist. iis verbis. *Namque unus ipsorum se dolet, non videre, quo redeat, alter se dolet videre, quo non redit:* quam etiam Wandalorum malignam astutiam fuisse, ut Episcopi juxta patriam propriam, peregrinationis incommodum sustinentes, ad negandum Deum facilius flecterentur, tradit Auctor Vitæ S. Fulgent. cap. 4. quid ni ergo proprii Episcopi,

Digitized by Google

scopi, Clericos extra territorium, ad Ecclesiam vacantem mittere potuerint, sicut jam ad Ecclesias viduatas Episcopo proprio mittuntur. Tum quòd vicini etiam Episcopi, id muneris in tanta necessitate supplere possent, quo etiam functos fuisse, docent verba ista Sidon. cit. Epist. in fine, *Agite quatenus hæc sit amicitia, concordia principalis, ut Episcopali ordinatione permissa, populos Galliarum, quos limes Gothicæ sortis incluserat, teneamus ex fide, & si non tenemus ex fœdere.* Quibus genuina fere sunt, quæ idem scribit Agræcio Senonensi epist. præced. *Nec te, quamquam Senoniæ caput es, inter hæc dubia substraxeris intentionibus medendis Aquitanorum: quia minimum refert, quod nobis est in habitatione divisa provincia, quando in religione, causa conjungitur; &c.*

Nec dubium, quin ad se etiam Sidonius, Clericorum in Ecclesiis viduatis, ex veteri consuetudine, quæ & Concilii Regiens. Can. 5. & Ambros. epist. 19. Constantio, & aliis, passim firmata est, stante necessitate, ordinationem trahere se posse, crediderit, qui, sitæ in Ruthenorum solo Ecclesiæ seu baptisterii dedicationem, sui ministerii esse dixerit, epist. 15. Elaphio lib. 4. Igitur nulla istorum, & nostrorum temporum potest esse diversitas. Ac proinde, sicut ex Episcoporum interitu, Ecclesiæ excidium ille metuebat, ita & nos jure merito cavere possumus.

CAPUT VII.

Alii PP. Ecclesiæ viduationem lugentes. Ejus rei exempla.

QUid memorem Athanas. Apolog. 2. de fuga, non longè ab init. Ecclesiarum desolationem, luctum, ob Episcopos præscriptos, ab Imperatore Constantio, iis verbis prosequentem. *Quæ Ecclesia non luget, instructas ab illis* (Arrianis) *in Episcopos suos insidias.*

Quid referam Nazianz. Ecclesiæ Constantinop. desolationem, Pastore viduatæ, describentem Orat. 32. cui proinde Ecclesia ista, *ne grex quidem dici debere visa est, sed parvum quoddam, ac tenue gregis vestigium, ac reliquiæ incompositæ, sine Episcopo, sine terminis aliisque malis affectæ:* cui, inter summa mala, hoc reponendum visum est quod jam inter bona, falsæ libertatis studio, reponitur, quòd quâ quacunque ovem fors tulisset, regeretur ac pabularetur; qui eam voluntariam, vel fortuitam, à non proprio pastore directionem, ac spiritalem passionem, salutis subreptionem vocat, populumque sibi ita providentem, *Salutem suam subripientem, deplorat.* Tales scilicet sunt, proprio Pastore carentes, à quibus possunt & volunt, pro ut se opportunitas offert, & voluntas trahit, salutis subsidia quærunt. Calamitatis autem istius causam, non aliam, quàm Pastoris defectum, agnoscit, dum paulò post subdit, *Nam ipsi quoque revera ejecti, & projecti fuimus, atque in montes omnes, & colles, ob pastoris inopiam dispersi.*

Quibus verbis alludit ad Prophetiam Ezech. cap. 34. *& dispersæ sunt oves meæ, eo quod non esset Pastor, & factæ sunt in devorationem, omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt, erraverunt greges mei, in cunctis montibus, & in universo colle excelso, & super omnem faciem terræ, dispersi sunt greges mei*

Quo etiam testimonio Prophetæ, necessitatem Pastorum, & Episcoporum confirmare possumus, & Ecclesiarum, à quibus Episcopalis Hierarchicus, ac Pastoralis ordo omnis eliminatus fuerit, deplorare licet. Legantur etiam ejusdem S. Doctoris epistolæ 38. Simpliciæ hæreticæ, 39. Eudoxio Rethori, 88. Theodoro Tyanensi Episcopo, & aliæ, ex quibus quantum malum, ex Episcoporum absentia Ecclesiis creetur, colligi poterit.

Possumus tacere Optat. Milevit. in hæc verba erumpentem, lib. 2. adversus Donatistarum malitiam, populis Episcopos avellere conantium? *Nam omnia, quæ*

à vobis

Digitized by Google

à vobis aut facta sunt aut dicta, quis poterit explicare, sic cuncta malignitate quadam ordinasse, ut in una specie operis, alias impleretis, dum Presbyter, aut Episcopus dejicitur, sic populus caperetur? quomodo posset hominum turba stare, quæ rectorem suum elisum esse cerneret? Non aliter quàm, quocumque casu, rectore occiso, lupi grassantur.

Néc prætermittere debeo Gelasium Philippo & Geruntino, seu Geruntio Episcopis, prout refertur Can. *plebs Diotrensis* dist. 63. probantem, quòd *plebs Diotrensis defleret diu, se sine rectoris proprii gubernatione, dispergi.* Quæ querimonia plebis, in Catholica fide institutæ ostendit, ex carentia Episcopi, dispersionem Ecclesiæ imminentem creditam fuisse non eo solùm titulo, quòd Clericalis Ordinis series, Episcopo sublato, defectura prævideretur, sed maximè, quòd Episcopali gubernatione cessante, conculcanda disciplina, eaque conculcatâ, Ecclesia dissipanda metueretur.

Quid testimoniis ulterius agimus? quandoquidem & nova, & antiqua exempla suppetunt, quibus patet, tantum abesse, ut Ecclesia Episcopo viduata florere, & augeri potuerit, quin potius quotidie decrescere, ac viribus dotibusque cælestibus, & numero minui semper visa sit, variisque insuper calamitatibus turbari cœperit, ex eo quòd Episcopo caruerit. Quid enim referam, quæ terræ Aremoricæ, quæ hominibus ejusdem acciderint, propter expulsum ab Episcopali sede B. Machutem, seu Maclovium, quæ omnia, eodem restituto, mala cessarunt, ut refertur vitæ ejusd. sancti cap. 13. in Bibliotheca Floriac. & in alia ejusdem vita, à Sigeberto conscripta, apud Surium 15. novemb.

Quid referam, memorabile exemplum innumerarum calamitatum, quæ Occidentalium Saxonum regno, propter exinde expulsum Episcopum nomine Vuini acciderunt, prout nempe refertur à Beda lib. 3. Hist. Anglor. cap. 7. iis verbis. *Sicque provincia Occidentalium Saxonum tempore, non pauco absque præsule*

Digitized by Google

fuit. Quo etiam tempore, Rex præfatus ipsius gentis, gravissimis regni sui damnis, sæpissimè ab hostibus afflictus, tandem ad memoriam reduxit, quòd eum, quem quidem perfidiâ regno depulerit, fide agnitâ Christi in Regnum revocaverit. Intellexitque quòd etiam tunc destituta Pontifice Provincia, rectè pariter Divino fuerit destituta præsidio. Adeò nempe verum est, quod futurum Christus prædixit Matth. 10. Secedentibus ab aliqua Regione Apostolis, in quorum locum Episcopi succesſerunt, non nisi mala omnia, & damna eidem imminere. *Amen dico vobis*, inquit Christus, *tollerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræ in die judicii, illi civitati.*

Nolim in cujusquam contumeliam trahi, quòd ex eventibus, Ecclesiæ Anglicanæ, hocce tempore, argumentum duci potest. Repulerunt Angli, & ejecerunt missum à summo Pontifice Reverendissimum Episcopum Chalcedonensem, metu persecutionis ex ipsius admissione secuturæ. Pacificè per septem annos in Anglia Catholici habiti sunt, quamdiu ipse in eadem moratus est; abiit, excessit, evasit? pax Regno & Ecclesiæ ab eo tempore nulla: sed discordiæ, & dissensiones plusquam civiles Regnum, persecutio atrocior Ecclesiam afflixerunt. Accidit Ecclesiæ & Regno ista calamitas, quam divinitus in secessu suo, aperto post preces & orationes Divino libro, eventuras, Deo ita monente apud Matth. loc. cit. prævideratpius Antistes. Eaque persecutio, quam adversarii ad ejus expulsionem sufficere prætenderant, ipsius ejectionem consecuta est; eodem planè fato, quò destructio Judaicæ gentis, quam, si Christum admitterent, metuerant Pontifices Judæorum, furore in eundem Christum incensi, post ipsum in crucem sublatum, Deo ita permittente, atque disponente contigit.

Cætera prætermitto, ut contradicentium in speciem testimoniorum quorundam explicationem subjungam.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Solvuntur nonnullæ objectiones.

OCcurrendum videtur non adversariorum quidem conatibus, qui imbelles hactenus omnino fuerunt, sed iis, quibus eorum manus armari possent. Possunt enim adversus istas querimonias in speciem contraria ista objici. 1. quod ipsi non omiserunt, tum in Apologia, tùm etiam in spongia censuræ Facult. Parisiens. Africanos Episcopos, teste Victor. Utic. lib. 3. de persecut. Wandalor. oblatis quibusdam conditionibus, quibus Episcopi Carthaginenses creatio eis permitteretur, & quas iniquas judicabant, exclamasse, *si ita est, interpositis his conditionibus periculosis, hæc Ecclesia Episcopum non delectatur habere, gubernat eam Christus, qui semper dignatur eam gubernare.*

Alterum, Ennodium Ticinens. libr. 2. epist. 18. in operibus Ennod. separatim excusis, & in Auctuario Biblioth. P P. quæ Epist. scripta est ad Afros, necessitatem Episcopalis in Ecclesia dignitatis iis verbis elevare. *Nolite metuere, quod à vobis Pontificales insulas abstulerunt. Vobiscum & Sacerdos ille, vel hostia, qui non tam honoribus consuevit gaudere, quàm mentibus, & majora sunt confessionis præmia, quàm nominatæ munera dignitatis: Ad illa etiam plerumque minoris meriti personas favor humanus adduxit: Ista nisi gratia superna non tribuit. Ipse enim in vobis, & pugnavit & vicit, quem fides meretur, & inter hominm tormenta sociari.*

III. S. Eulogium Martyr. & Archiepiscopum Toletan. similia quædam scribere Virginibus Sacris Floræ & Mariæ libr. qui *Documentum Martyrii*, inscribitur. *Proponunt certè vobis expugnatores sancti propositi eremitatem Ecclesiarum, competitionem Sacerdotum, dispersionem ministrorum, & quòd non est nobis in hoc tempore Sacrificium, nec holocaustum, nec oblatio, nec incensum, cuncta vastante sacrilegâ manu, omniaque turbante*

Digitized by Google

furore tyrannico. Sed respondendum est eis Sacrificium Deo acceptabile esse, spiritum contribulatum, & quòd in anima contrita & in Spiritu humilitatis ita à Domino suscipiamur, sicut in holocaustis arietum & taurorum.

Verùm nihil eorum Episcopalis Ordinis necessitatem evertit. Non primum, cui fusè in vindiciis suis censuræ adversus spongiam respondit præclarum quondam lumen Acad. Paris. Franc. Hallier cap. 3. §. 5. docens. Africanos Episcopos Ecclesiæ Carthaginiensi creationem Antistitis necessariam putasse, quam nempe contra Wandali Regis prohibitionem promoverunt, sed conditionibus ab impio Rege propositis acquiescendum minimè judicasse. Id solùm à Victore Utic. narrari, quod Episcopi necessitatem ne tantillum quidem lædit. Sed vide quæ latius dicenda sunt capp. seqq.

Ad alia duo respondemus, I. quidem nihil ipsa urgere adversus Episcoporum necessitatem: quin etiam Presbyterorum, & Clericorum Ordines inutiles, minimeque necessarios ostendant; hoc nec ipsi adversarii fatebuntur. Quare argumentum istud, quod nimis probat, nihil probare.

II. Ennodium Ticinens. & Eulogium Tolet. occurrere objectioni Arrianorum, quâ dementabant plurimos, & in ruinam trahebant Catholicos quos siquidem ad se pellicere nitebantur Episcopalis throni majestate, templorum apparatu, Religionis pompâ apud se veræ Ecclesiæ notas esse jactantes, Catholicas Ecclesias desertas, incultas, Episcopis & Sacerdotibus viduatas, dicentes esse conventicula seditiosorum, factiosorum cœtus; quos utique redarguunt isti SS. PP. negantes dispersionem, Sacerdotum & exterminationem Episcoporum particularem ab aliqua Provincia, & temporariam, seu ad aliquot annos, falsæ Religionis argumentum, aut Pseudo-Ecclesiarum, seu Schismatici vel exotici cœtus, indicium esse, Sacrificii defectum cordis contritione suppleri: Martyrii gloriam, quavis dignitate Ecclesiastica esse majorem:

Digitized by Google

jorem: adsistentiæ divinæ frequentia Martyria, quæ ex divina gratia proficiscantur, certiora esse testimonia, quàm Pontificales infulas, quos etiam Schismatici, & Hæretici sibi possunt assumere: Illustriorem esse Ecclesiam tolerantiâ passionum pro Christi nomine, quàm infularum majestate.

Hæc illi, qui dispersionem gregis Dominici ex orbitate Ecclesiæ, & Vacuatione propriorum Pastorum deflent, hic siquidem queritur, *quia percusso pastore dispersionem intulit adversarius gregi Catholico privato prorsus omni sacro ministerio:* Ille verò diu *gregem dispersum* statim initio epist. deplorat. Hic in pœnam peccati ait ista accidisse, ille ad probationem virtutis. Hic summam miseriam ait esse, quod aliqui miseriam istam non persentiscerent, & felicia ea tempora Ecclesiæ proponit, *cùm summa dignitate pollente sacerdotum* Ecclesiæ gubernantur. Ille solatur Catholicos, ad quos scribit, *reducem Ecclesiis quietem* ominatus, *ut mœrorem, quem indixit adversitas, pari dulcedine consoletur.*

A quorum mente longè absunt illi, qui nec privationem Episcopalis dignitatis, infelicitatis maximam partem esse censent, nec perpetuam esse, tanquam grave malum reformidant, nec dispersionem gregis exinde timent, nec cuiquam incommodo futuram, dummodo per pios & eruditos Sacerdotes, Pastorali regimine sublato populis spiritalia subsidia tribuantur. O stultam persuasionem, & à Patrum fide, atque opinione valde alienam.

Sed redeo ad objectionem, quam ex prædictis, ut opinor, satis unusquisque animadvertit, non Episcoporum necessitati officere, sed tantum Ecclesiarum particularium, quæ Catholicæ membrum sunt, asserendæ prioritati favere, quantumcunque tyrannicâ persecutione Antistitum ab eis regimen auferatur, eodem modo quo nec Ecclesiæ latebræ ob persecutorum violentiam universalis splendorem obscurant, aut ejus veritatem in dubium revocant, quantumcunque hoc argumento ignarum vulgus decipere, Arrianorum

Digitized by Google

rum antiquioribus temporibus perfidia niteretur, quam rotundit Hilar. lib. adversus Auxent. iis verbis. *Unum moneo: cavete Antichristum, malè enim vos parietum amor cæpit, malè Ecclesiam Dei in tectis ædificiisque veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritis. Anne ambiguum est in his AntiChristum esse sessurum? Montes mihi & sylvæ & carceres & voragines sunt tutiores: In his enim Prophetæ aut manentes aut demersi Spiritu Dei prophetabant, &c.* Sed quàm hi homines cum Arianorum factionibus, etiam in aliis quæstionibus symbolizant, alibi videndum est, cum gemitu.

CAPUT IX.

Episcoporum necessitas probatur praxi Episcoporum Africæ aliter quàm putent adversarii.

ALterum argumentum necessitatis Episcoporum est, praxis Episcoporum Africæ, referente Victore de persec. Wandal. lib. 2. qui Carthagine congregati, Hunnericum Wandalorum Regem offendere maluerunt, quàm vel unicam Ecclesiam Carthaginensem, Episcopo orbatam relinquere: qui etiam postea, teste authore contemporaneo vitæ S. Fulgent. cap. 16. adversus edictum Trasamundi Regis, prohibentis subrogari novos defunctis Episcopos, indicto Concilio unâ omnium sententiâ, contra mandatum Principis, omnibus Ecclesiis Pastoribus vacuis ordinare decreverunt, quod & opere compleverunt. Quod decretum, tanquam ex Oros. lib. 1. cap. 10. prolatum, approbat Nicol. Smith. mod. discus. quæst. 3. n. 4. cùm Orosius de eo ne verbulum quidem scripserit, imò nec ad ista tempora historiæ libros septem, quos Augustino adhuc viventi dicavit, protraxerit; eaque, quæ hic narrantur, ipso jam mortuo, acciderint.

Sed quod Nicol. Smith. fefellit, inquit Hallier lib.

Digitized by Google

lib. 2 de Episc. nec. c. 1. a. 1. illud est quod apud Baron. tom. 6. Anna. ad ann. 404. dum historia ista refertur, Orosius ad marginem citetur, divisionis Africæ in varias provincias testis. Quæ omnia confudit Nicol. Smith. qui etiam absurdissimè his Africanorum P P. decretis robur detrahere conatur, quasi nempe ex iis tantum elici possit, Ecclesiam universam, jure divino habere Episcopum debere, non autem colligi queant, etiam, stante persecutione, obligationem in particularibus Ecclesiis Episcopi obtinendi imminere. Sed extra rem hæc omnia, effutit inquit Hallier. loc. cit. Nam certè non de Episcopo in universa Ecclesia aliquo retinendo, inter Episcopos Africæ agebatur, sed de Episcopis in Africa retinendis, etiam sæviente gravissimâ adversus Christianos Episcopos, præsertim & Clericos, persecutione: definierunt autem retinendos esse Episcopos, nec retinendum unum aut alterum, nam multi adhuc supererant, sed & illos, qui supererant, retinendos, & in omnibus Ecclesiis viduatis, frustra edictis suis id vetantibus Principibus, & persecutioni non parcentibus, & acerbiorem comminantibus, novos Episcopos creandos decreverunt, & opere compleverunt.

Nec dispar illius conditio temporis, & nostri, nisi quòd regularum illi canonicarum & divinarum observantiores ac reverentiores erant; nos verò hoc unum hocce tempore cogitare videmur, non quomodo legem observemus, sed quomodo ejus obligationem declinemus. Putarunt sanctissimi isti P P. Ecclesiam necessariò interituram, à qua proprius tolleretur Episcopus; neque enim sibi persuadere poterant congruum esse aut divinæ legi consentaneum, ut ordinarie è remotis Regionibus, ab Episcopis aliarum Provinciarum Presbyteri, aliique Ecclesiastici ministri peterentur; existimabant scilicet cum Cypr. epist. 68. ad Clerum & pleb. in Hispan. consistentes, *Ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi adsistentis conscientia, fieri oportere, ut plebe presente vel detegantur malorum crimina*

na, vel bonorum merita prædicentur: Et sit ordinatio justa & legitima, quæ omnium suffragio & judicio (vel ut ad nostrum morem clarius alludamus, *saltem testimonio*) *fuerit examinata.*

Crediderunt Ecclesiis remotis, ac dissitis à Romana sede, aliquos ordinarios judices & Antistites, præsidere debere, qui secundùm sacrarum oracula Scripturarum regant eum, *in quo à Deo positi sunt*, gregem, non extra quem positi sunt, Act. 20. qui pascant eum, *in quo sunt*, gregem, 1 Petr. 5. ab eo autem, qui ordinarius Judex sit, Pastor & Magistratus, inferiores sub eo positos creari & ordinari, ad Ecclesiasticæ Hierarchiæ seriem, & ordinem, necessarium esse arbitrabantur, cujus scilicet Hierarchiæ legem à majoribus acceptam noverant, quam Calixtus 1. epist. 2. his verbis expressisse refertur can. *nullus* 9. quæst. 2. *nam qui ordinare non poterit, quomodo judicabit? nullatenus procul dubio judicabit aut judicare poterit.* Quam postea regulam Hadrian. Papa in Capitulis Angilramno datis, capp. 27. & 18. Capitularia Caroli lib. 7. cap. 229. tanquam veterem & antiquam commendarunt. Putaruntque ejusdem esse debere ordinare, cujus est proprio jure exauctorare: cùm oppositorum istorum actuum virtus eadem sit: & quidem difficilius exauctoretur aliquis, quàm ordinetur, ex Concil. Carthag. I. Can. 1. II. Can. 3. III. Can. 20. Hispal. II. Can. 3.

Ac proinde, quibus Ecclesiæ gubernacula, tanquam ordinariis magistratibus, committi volebant, iisdem ordinandi facultatem inesse necessarium judicabant: quibus obligationem regendi, iisdem gratiam Sacramenti; quibus auctoritatem hominum regendorum, iisdem characterem Dominicum, & Divinæ gratiæ subsidium adesse volebant; ne aut Christo summo Pastori detraherent, si sine ejus charactere judicarent: aut rectori constituto onus nimis grave imponerent, si ad populi curam ac sollicitudinem necessariam, absque gratiæ Sacramentalis dono, quemquam

Digitized by Google

quam officii concessione constringerent; positamque à Deo legem deserere, irreligiosum putarunt, qui scilicet Sacramentum Ordinationis instituit, beneficio cujus, qui electo ad regendam plebem Antistiti honoris est auctor, idem administrationis etiam est adjutor, & ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dat ipse virtutem, qui contulit dignitatem, ut egregiè exponit S. Leo serm. 1. in anniversar. Assump. suæ ad Pontificatum.

CAPUT X.

Continuatio præcedentis capitis.

ITaque iis, & similibus rationibus persuasi sanctissimi Africæ P P. nunquam in animum suum induxerunt, ut à Provinciis aliis sub Imperio Romano degentibus, Presbyteros ac reliquos altaris ministros sumerent: quod tamen fieri tunc æquè in Africa potuisse, sicut jam fit in quibusdam Christiani orbis Ecclesiis, non dubium est, ita nempe, ut Catholicos pueros instituere, & institutos in Africam jam sacro Ordine insignitos remittere Romanæ Provinciæ possent, cùm constet ex scriptore Vitæ S. Fulgent. in Sardinia Monasteria Africanorum à S. Fulgent. ædificata, quidni ergo & Collegia similiter ædificari potuerunt, quidni & revera ædificata, coniici possunt, cùm item certum sit, Catholicarum Ecclesiarum tunc temporis inter se strictiorem fuisse necessitudinem, & Catholicorum majorem Charitatem ac liberalitatem; cùm nota sit in Episcopos Africanos exules, Symmachi Papæ annua liberalitas, ex Anastas. relatione in Symmacho: nota etiam Zenonis Imperat. pro iis sollicitudo, ex Victore Utic.

Quidni ex reliquis Christiani orbis Provinciis, si lex Hirarchica permisisset, Clerici in Africam mitti potuissent, sicut antea Aurel. Carthag. tempore, à Rom. Pontifice Anastasio, & Venerio Mediolanensi, Afri-

Africanorum rogatu, aliqui missi sunt, ut colligitur ex actis istius Conc. African. iis temporibus habiti & celebri in Africa Diacono Paulino, scriptore Vit. S. Ambros. qui Clero Mediolanensi adscriptus fuerat, ut ipse de se testatur.

Sed quantumcunque adjumenta, ista Africanis æquè Ecclesiis, ac iis, quæ hodierno tempore, Hæreticorum persecutionibus opprimuntur, suppetere potuerint non tamen sufficere ea putarunt, ad Episcoporum in Africa necessitatem eludendam: nec media ista sola assumenda censuerunt: sed apud unamquamque Ecclesiam, suæ perennitatis principium esse debere, & Clericorum ordinandorum potestatem residere, ut non esset opus, aliunde semper accersere ministros necessarium judicarunt; violentum siquidem statum, hunc esse, nec nisi rarò, & post omnia esse expetendum. Enitendum pro virili, ut status Ecclesiarum à Christo institutus retineatur, & unaquæque Ecclesia suum habeat summum gubernatorem, eumdem non tantum filiorum per Baptismum, sed & parentum per Ordinum collationem generatorem.

Interituras proinde Ecclesias augurabantur, arescentibus truncis absque palmitibus, ac suopte vitio defecturas, si Episcoporum Ordinatio subtraheretur: suppleri enim ordinationem ab Episcopis duntaxat alienis; hoc utique non remedium esse crediderunt, sed disciplinæ Ecclesiæ excidium.

Neque verò putassent, Ecclesiæ bene consultum iri, per solam Sacramentorum collationem, nisi & disciplina Ecclesiæ retineretur: At quæ disciplina custodiri potest, ubi ignoti Clerici, qui fortè in extraneis Provinciis minùs laudabiliter vixerunt, quorum nec fides, nec mores explorata fuerint, sese Evangel. prædicationi & Sacramentorum administrationi propriâ auctoritate ingerunt? Ubi ignoti ignotis ipsi prædicant ac communicant populis, quorum nec morum puritatem, nec fidei sinceritatem norunt? Ubi populi, quos sibi volunt, accersunt Sacerdotes, & vice

Digitized by Google

& vice versâ ad quos volunt Sacerdotes, se conferunt? Ita ut conductitii Altaris, & Sacramentorum ministri videantur, quos proprio arbitratu sibi quisque tanquam operas eligat, & vicissim, qui suam operam addicunt voluntariam, quamdiu & quibus lubet.

Hæc adversarii nunquam Africanis populis persuasissent, à quibus, non minùs ægrè disciplinæ studium, quàm fidei sinceritatem avulsissent, qui nempe à Tertull. suo didicerant lib. de præscript. cap. 44. *apud nos testimonia disciplinæ, ad probationem veritatis accedere*, & cap. 43. *doctrinæ indicem disciplinam esse.* Sed in iis nimium moror, quia video adversarios ad hoc argumentum convellendum nervos omnes intendisse.

CAPUT XI.

Episcoporum necessitas, argumento PP. Ducto, ex unitate Ecclesiæ, Comprobatur.

QUod auctoritatibus PP. hactenus probavimus, rationibus PP. probare ac confirmare possumus: 1. ac potissima est ea quæ ab Ecclesiæ unitate desumitur: nam, ut ait Gregor. lib. 19. moral. cap. 14. *Sancta Ecclesia sic consistit unitate fidelium, sicut corpus nostrum unitum est compage membrorum.* Neque tantum oportet Ecclesiam universalem esse unam, quod ex professo probant Cyp. Aug. libris *de unit. Eccles.* verum etiam quamlibet Ecclesiam particularem, cujus membra si à se invicem dissiliant, & sejungantur, quis dubitet, quin & grave vulnus Ecclesiæ inferatur, & singula membra impotentiora, minusque valida reddantur? Atqui nulla hominum multitudo, unum corpus esse potest, nisi unitate regiminis, quam si sustuleris, quot erunt fideles, tot erunt dispersa membra, dissoluta, divisa, nullo communi vinculo copulata: sicut enim nec ædificium est multitudo lapidum, nisi aptè dispositi, & suo quique loco constituti, arenæ & calcis operâ conjungantur; nec

Digitized by Google

fasciculum unum scopæ dissolutæ efficiunt, sed constrictæ: sic Ecclesiarum unitas nulla est, nisi ordinatione quadam, & subjectionis, atque prælationis necessitudine fideles inter se conjuncti, apte inter se disponantur, quod fusè ostendit Nazianz. orat. 26. & brevius explicat Pelus. Isidor. lib. 2. epist. 216.

Quamobrem concludere licet, eos, qui ab Ecclesiæ particulari, quocumque tempore, auctoritatem imperandi, necessitatem obediendi, pastoralia jura, ovium servitutem tollere volunt, eos, inquam, Ecclesiæ istius particularis unitatem destruere, vincula, quibus inter se singuli fideles colligantur, dissolvere, fideles singulos Acephalos constituere: eosque conari à compage totius Ecclesiæ divellere, quos sui juris faciunt, & à cujuscumque Pastoris potestate eximunt, nolentes eos, à quoquam corrigi, vel puniri posse: nolentes cuiquam eos in doctrina & Sacramentorum administratione subjici, nulli eorum curam, directionem, custodiam committi debere arbitrantes: quæ opinionum monstra, nisi Ecclesiæ unitati è diametro oppositæ sint, nihil est, quod opponi possit. Quemadmodum enim nec fratres sunt, nisi qui unum habent patrem, nec ejusdem corporis membra, nisi quæ eidem capiti subjiciuntur: ita nec ejusdem particularis Ecclesiæ membra, nisi quæ eidem pastori subjacuerint. Sublatoque Pastorum ab Ecclesia aliqua ordine non dubium est, quin, ut loquar cum Tertull. *de præscript. cap. 20. pereant inter fideles & communicatio pacis, & appellatio fraternitatis & contesseratio hospitalitatis.* Nec dubium est, quin cùm hæc duo Christus conjunxerit, unum ovile, & unum Pastorem Joan. 10. Pastoris unitate sublatâ, Ecclesiastici quoque ovilis unitas periclitetur.

Unum ergo jam adversus perturbatores veteris ejus disciplinæ, tum etiam doctrinæ, quos præsenti quæstione adorimur, unum inquam, habemus pastorum ordinem pro Ecclesiæ fovenda unitate, in Ecclesia qualibet esse retinendum. Hic si exulet, & voluntarii Spiritales duces absque coërcitiva auctoritate, & necessaria jurisdictione sufficiantur, Ecclesiæ unitatem non leviter periclitaturam. Quo dato, facilè erit Episcoporum

Digitized by Google

necessitatem, in eadem Ecclesia deducere, quandoquidem Ecclesiæ cujusvis principalia capita, Episcopi à Christo constituti sunt, quibus ideo & omnium Hierarchicarum actionum exercendarum plenam potestatem, & singularum perfectam tribuit, quos, ut ad gubernationem Ecclesiæ admoveret, gratiis ad optimum regimen, & ordinationem Ecclesiæ requisitis, cumulatius donavit, instituto in eorum gratiam seu novo Sacerdotali Ordine, seu Sacramentalis Sacerdotii amplificatione concessa. Sed quia jam extra unitatem Ecclesiæ discurrere nolumus, contenti utique ex ea Episcopi necessitatem adstruere occurrunt mihi varii Patres, qui ab Episcopo, & populi cum ipso cohæsione, eidemque subjectione Ecclesiæ unitatem repetunt.

Martyr Ignat. non semel id probandum suscepit: duo ejus loca profero, 1. ex epist. ad Philadelph. 9. *Una enim est caro Domini nostri Jesu Christi, unus illius Sanguis, qui pro nobis effusus est. Unus item panis omnibus confractus: Et unus calix, qui omnibus distributus est: unum altare omni Ecclesiæ & unus Episcopus, cum Presbyterorum collegio, & Diaconis conservis meis. Quandoquidem & unus ingenitus Deus & Pater, & unus unigenitus filius Deus Verbum & homo, unus paracletus Spiritus veritatis, & una prædicati, & fides una, & unum Baptisma, & Ecclesia una.* Quæ verba mirabilem populi cum Clero consensum, Cleri verò in uno Episcopo unionem, Ecclesiasticæ unitatis formam esse ostendunt: & ideo unum Episcopum in una Ecclesia requirunt quia & Pater Divinus unus, & Filius unus, & Spiritus Sanctus unus, quorum imaginem in Ecclesia, Episcopus unus repræsentat.

Alterum habetur epist. ad Ephes. ejusdem 14. *Hinc & vos decet accedere sententiæ Episcopi, qui secundum Deum vos pascit, quemadmodum & facitis edocti à Spiritu (nam memorabile Sacerdotum vestrorum collegium dignum Deo est coptatum, consentitque Episcopo, ut chordæ ipsi citharæ) ita colligati consensu & concordi charitate, cujus est dux, & custos Jesus Christus, qui sunt sigillatim, omnes unus chorus fiant, ut consoni per concordiam, Deoque conjuncti per unitatem, unum sitis concordiâ animorum.* Quam egregiè vir Apostoli-

lis ſuppar, naſcentis ſub perſecutoribus Eccleſiæ Doctor, Eccleſiæ unitatem à duobus repetit, puta à Cleri cum Epiſcopo, cujus pars quædam eſſe videtur, & populi, qui ei ſubjaceat, cum eodem conſenſu conſonantia, concordia, quibus ſublatis, nec inter ſe fideles unum ſint, nec unum chorum, cœtumque unum, Eccleſiam particularem unam efficiant.

Nec minùs expreſſè Cyprian. dum epiſt. 69. ſuper. cit. Eccleſiam definit *plebem Sacerdoti adunatam, & Paſtori ſuo gregem adhærentem*, ab unione proinde populi cum proprio ſuo Epiſcopo, particularis cujusvis Eccleſiæ deſumens unitatem. Denique paulò poſt ſubdit, quòd *Eccleſia, quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata.* Quibus verbis, & ipſius Eccleſiæ univerſalis unitatem, ex concordia atque unione præfectorum ſingularum Eccleſiarum, inter ſe, quibus populi ex priori propoſitione cohæreant, colligi debere demonſtrant, quod ipſum præſtat epiſt. 52. 53. & 55. dum unitatem Eccleſiæ univerſalis, unitatem Epiſcopatus, & unum Epiſcoporum collegium eſſe deſcribit: quem etiam loquendi morem imitatus eſt Auguſt. epiſt. 162.

Quam proinde utramque Eccleſiæ unitatem, & particularis, & univerſalis lædunt, qui Epiſcoporum neceſſitatem tollentes, & populos ſui juris faciunt, nulli proprio ac particulari Paſtori cohærentes, & particularium Eccleſiarum aſſociationem, quæ per Sacerdotum ſeu Præpoſitorum, & Antiſtitum concordiam & connexionem fiat, evertunt, & populos, qui non immediatè quidem, ſed mediantibus ſuis Epiſcopis ad Eccleſiæ congruam ordinationem, ſummo totius Eccleſiæ capiti deberent cohærere, immediatè ita ſubjiciunt, ut ſubjectio inutilis ſit, dum nullos admittunt, per quos ab illo ſupremo capite ad ipſa membra, regiminis influxus tradùcatur. Confirmat eandem doctrinam idem Sanct. epiſt. 55. Romanam Cathedram unitatis Eccleſiaſticæ centrum volens oſtendere, Eccleſiam, ipſam principalem vocat, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, ut demon-

Digitized by Google

monstraret in eam, tanquam ad centrum singularum Ecclesiarum Episcopos concurrere debere iisque mediantibus, singularum populos suis Sacerdotibus & Præpositis adunatos.

Appositè etiam nostro instituto Optat. Milev. lib. 2. negat, Ecclesiæ unitatem sine Cathedra Episcopali posse consistere: cùm enim Ecclesiarum dotes à Parmeniano enumeratas recensuisset, & inter eas *cathedram*, seu jurisdictionem Episcopalem primam, alteram *annulum*, seu concatenationem fidelium: hanc sine illa esse non posse, iis verbis testatur. *Ergo quia probamus eam esse Ecclesiam Catholicam, quæ sit in toto terrarum orbe diffusa, ejus commemoranda sunt ornamenta. Et videndum, ubi sunt quinque dotes, quas tu sex esse dicis: Inter quas Cathedra est prima: ubi nisi sederit Episcopus, conjungi, altera dos non poterit, quæ est annulus.* Quas dotes licet Ecclesiæ universalis referat, & cathedram universalis Ecclesiæ centrum, Romanam, proponat, in qua Petrus, Linus, & alii continuâ serie sederunt; nihil tamen vetat, quominus hæc etiam de Ecclesia particulari, proportione servata, intellexerit: si enim universalis Ecclesia unitatem suam sumit ab ea cathedra, in qua sedeant summi Pontifices, ità & particularis unitatem suam sumet, à cathedra inferioris dignitatis, in qua sedeant Episcopi inferioris conditionis.

Unde Apologista Daniel apol. c. 1. num. 3. & 4. particularis & universalis Ecclesiæ, parem rationem esse fassus est: ut scilicet ad utramque *sufficiat aptitudo, ad habendum Episcopum, & aliquando possit opus habere Episcopo, parataque sit illum suscipere, cùm legitimè mittetur*; quamvis statum aliquem admittat, quo neque hæc, neque illa Episcopo opus habeat, nec obligetur ad procurandum pro suo modulo Episcopum. Et alius ejus Socius, lib. 4. cap. 18. reprehendit propositiones istas, & quòd potestas Pontificalis, non intercidat cum Pontifice, & quòd status & dignitas Episcopalis non exstinguatur cum Episcopo, æquè negans Cathedræ pontificalis in Ecclesia necessitatem, ac Cathedræ Episcopalis; cùm tamen in contrarium

Digitized by Google

Optat *Cathedram* dotem Ecclesiæ constitutam perpetuam, ejusque à cœtibus hæreticis discretivam notam, unitatis Ecclesiæ principium, sine qua *annulus* seu concatenatio Catholica pereat: Quare testimonium Opt. Milev. sive de Cathedra Romana, sive singulari quacumque Cathedra intelligatur, æqualiter adversarios urget, & intentum nostrum comprobat.

Adstipulatur, huic ratiocinationi Chrysost. serm. quem Latino tantum idiomate editum habemus, tom. II. ejus oper. de recipiendo Severiano inscripto, statim init. *sicut capiti corpus cohærere necessarium, ita Ecclesiam, Sacerdoti, & principi populum, utque virgulta radicibus, & fontibus fluvii; ita & filii Patri, & Magistro Discipuli.* Diserte etiam Augustin. radicem Christianæ societatis, in Episcoporum successione sitam esse docet epist. 42. Madaurensibus fratribus, *videtis certè* (ait) *multos præcisos à radice Christianæ societatis, quæ per sedes Apostolorum & successiones Episcoporum certâ per orbem propagatione diffunditur, quasi arescentia sarmenta gloriari.*

Eadem docent Cæteri P P. quibus utique spretis, qua temeritate, & confidentia scientiæ, & in Episcopos, Patres vestros irruitis? ac per eorum latera, Ecclesiæ unitatem, Schismaticorum more petitis?

CAPUT XII.

Solvuntur nonnullæ objectiones.

SEd audio vos obstrepere, quasi Ecclesiam defectibilem faciamus, & unà cum Episcopis eam mori, & interire, necessum sit, si sine Episcopis, quos mortales esse, nemini dubium est, subsistere ejus unitas non possit. Item sequi, nec Ecclesiæ unitatem eos tenere, qui in Ecclesia Episcopo viduata consistant. Etenim demiror subtilium ingeniorum, tam plumbeas esse argumentationes, tam obstrusas; demiror eos homines, qui solertes haberi volunt, res morales ad Mathematicum rigorem expendere. Audite ergo boni viri, qui Episcoporum necessitatem, iis frivolis argumentis impetitis, quibus

quibus Sacramentorum necessitas tolleretur, si fortè aliquando per humanarum causarum infirmitatem, nequeant ab aliquo suscipi, & ministri desint, qui conferre possint. Quemadmodum enim tunc temporis non desinunt esse Sacramenta necessaria quamvis de facto haberi interdum non possint, sufficitque tunc temporis ut in voto habeantur: ita fic à Christo Ecclesia instituta est, ut cum Episcopi, humanæ mortalitatis conditione desunt, in voto saltem haberi debeant, & unusquisque sive Clericus, sive Laicus, pro suo quisque modulo enitì debeat, ut impedimenta tollat, quibus Antistitis creatio retardatur, illum ab habente potestatem sibi dari petat, desideriis fidelibus exoptet, nec eo privata tota Ecclesia, quasi, in naturali statu conquiescat. Ita enim verum erit, omnes fideles, Episcopi vel præsentiâ, vel voto contineri.

Nec aptius exemplum dari potest, quàm unitatis Ecclesiæ ante Christi nativitatem, & post Christi nativitatem, quæ unius Christi capitis, corpus semper fuit, ad quem nempe votis ac desideriis aspirabat, antequam ipse nasceretur, & in cujus postea possessione, beatius respiravit, postquam natus est: ut habet Aug. Epist. de Catech. Rudib. c. 19. (quibus similia docet epist. 42. quæst. 2. & epist. 89. 95. 157. & alibi) *Neque enim etiam*, ante Christi nativitatem *tunc defuerunt justi, qui Dominum piè quærerent, & superbiam diaboli vincerent, cives illius sanctæ civitatis, quos Regis sui Christi venturi humilitas, per Spiritum revelata sanavit.* De quibus scilicet Apost. 2. Corint. 4. dixit, *habentes autem eundem Spiritum fidei.* Ita una est Ecclesia, quamdiu habet Episcopum, & viduatur Episcopo, quia & quæ Episcopum habet, sibi gratulatur, quòd habeat, & quæ non habet, enititur ut habeat, & ita vel in re, vel in voto, Episcopo semper adunatur Ecclesia, grex Pastori, quem, si quis respuat, si contemnat, si habere detrectet, hunc ego cum Schismaticis computo, oderim nimirum Ecclesiasticæ unitatis, amatorem dispersionis.

Ridiculè verò omnino, qui Episcopum proprium, à suis cervicibus excutiunt, se Papæ Romanæ Catholicæ

Digitized by Google

Ecclesiæ, Episcopo, subjectos fingunt, ita scilicet volunt sibi Papam Romanum præesse, ut præsidentiæ suæ, omnem auctoritatem irrisoriè detrectent. Volunt fortè Ecclesiarum viduatarum judicia, à Romano Pontifice immediatè fieri, verbi gratia Romæ existentem Pontificem judicare populos Americanos, vel semotos toto orbe Brittannos. Sed quomodo de causa sibi minimè cognitâ judicabit? aut quomodo testes ex istis Provinciis accerset? fortè suis oculis videbit, quæcumque in alieno orbe gerentur; suis manibus zizania, quæ inimicus homo super seminaverit, evellet, suo ore peccantes absens corripiet, suis auribus querimonias audiet? apagè istas nugas, quas dicenti nemo credat. Ergò opus est in Ecclesiis istis dissitis cognitore, qui testes audiat, censore, qui ad Papam referat, Vicario, qui Papæ voluntatem significet, peccantes corripiat, læsos soletur, judicium, quod commodè à summo Pontifice tractari non poterit, in ipsa Provincia terminet: atqui non difficilius est aliquando, habere proprium Episcopum, quàm ejusmodi Vicarium, inspectorem & cognitorem ideoque utrumque rejicitis, & utriusque operam, rebus Ecclesiæ turbidis inutilem, prædicatis, quin etiam, ne vel hic vel ille variis Provinciis, in quarum quibusdam, Religionis negotia pacata, in aliis turbida sunt detur, pro virili obsistitis. In quo quantum Ecclesiæ unitati, privata ambitione officiatis, scriptores videte.

Interim norint cæteri, meram esse ludificationem responsionem vestram, dum ab unione cum Romana Ecclesia ejusque Pontifice, Ecclesiarum viduatarum propriis Episcopis, unitatem repetitis. Unio enim ista moralis est, ad influxus capitis, pro membrorum directione recipiendos, membra disponens, ideoque, qui influxus istos gubernationis, capiti propriæ, abnegant, unionem etiam cum Romano Pontifice, quam verbo tenus fatentur, re ipsa rejiciunt: vos autem quos refello, eo tempore, quo Episcopum Ecclesiis inutilem dicitis, eidem & omnem gubernationem capitis, omnemque coërcitivam jurisdictionem minimè convenientem scripsistis. Igitur, quo tempore negatis, Episcopum proprium, sub

cujus

Digitized by Google

cujus regimine populus adunetur, in speciem tantum, & fallaciter, Romano Episcopo populos unitos jactatis, cujus tunc temporis, imperia, judicia, coërcitiones, tanquam minus convenientia, imò & *adversa* proscribitis. Pluribus in istam cavillatoriam responsionem vestram non insurgo, quam, ni fallor satis evidenter citati à me superius Patres refellunt.

CAPUT XIII.

Aliis argumentis Episcoporum necessitas comprobatur.

PLura pro necessitate Episcoporum, congerere haud difficile, si opus: Pauca tamen præcedentibus hoc loco adjungimus. I. quia viduatis Ecclesiis Episcopum maturè providendum esse, majores nostri ideo credidérunt, quòd ex earum orbitate tam fidei, quàm disciplinæ periculum ingrueret. Hoc utique caverunt Synod. Chalcedon. can. 25. Syn. Vernens. can. 18. Worma. can. 35. statuentes, ut intra tres menses, Episcoporum ordinationes fiant, nisi *ἀπαραίτητος ἀνάγκη*, *inexorabilis necessitas* effecerit, ut dilationis tempus prorogetur, tantam scilicet Episcopi obtinendi necessitatem Patres esse putabant. Idipsum constituit Justinian. novell. 123. cap. 1. intra sex menses electionem Antistitis fieri, præcipiens, electores negligentes jure eligendi privans, illudque in ordinationem transferens. Hoc decrevit Honorius, ut factâ electione non differetur ordinatio, teste Luitprando in Chronico. Expressius ad istam Episcopi necessitatem probandam, Pelagius apud Gratian. dist. 100. can. 1. Metropolitanos, quàm citissimè fieri poterit, pallium suscipere jubet: *Quoniam*, inquit, *consecratio non sine periculo, viduatis Ecclesiis protelatur.*

Gregorius Mag. similiter lib. 6. epist. 39. Martin. *ultra tres menses*, inquit, *Ecclesiam vacare Pontifice, statuta Canonum non permittunt, ne cadente Pastore dominicum gregem, antiquus, quod absit, hostis, insidiando dilaniet.* Quem secutus, Stephan. Papa Guidoni Comiti, can.

Digitized by Google

lectis dist. 63. scientes, ait, *Ecclesiam Dei, sine proprio Pastore non posse consistere.* Gregor. diuturnam Ecclesiæ Vapicensis vacationem graviter ferens, Clero & populo Arelatensis Ecclesiæ hæc scribit, initio epist. 21. lib. 7. regist. *Quoniam sublata Pastorali custodia, gregi non parva pericula imminere perpendimus.* Statutum etiam ordinationis accelerandæ renovat Concil. Lateran. sub Innoc. 3. can. 23. *Ne pro defectu Pastorum, gregem Dominicum lupus rapax invadat.*

Hanc Ecclesiæ, ex carentia Pastoris, calamitatem agnoscens Sidon. lib. 4. epist. 25. se profectum Cabilonum scribit, *ut municipio summus aliquis Antistes ordinaretur, cujus Ecclesiæ disciplina nutabat*, & lib. 7. epist. 5. Agroët. *causa fuit evocationis ad ordinandum Bituricensibus Episcopum, titubans Ecclesiæ status.* Scribit Toletan. 12. can. 6. *in quibusdam civitatibus decedentibus Episcopis propriis, non minimam creari officiorum Divinorum offensionem.* Scribit Manuel Comnen. novella 7. *damnum & calamitatem, ex Antistitum morte, ad eorum Ecclesias pervadere.* Scribit universim Cabilon. II. Concil. can. 51. *gubernationem* populis adhibendam esse, ne *in quotidianis vitæ commeatibus, Prælatorum adminiculo destituti, fatiscant.* Seu ut legit Burchar. lib 15. cap. 32. *Quia gubernationes, in quotidianis vitæ commeatibus, Prælatorum adminiculo destitutæ, fatiscunt.* Quin etiam nomen ipsum viduatarum Ecclesiarum, quo Ecclesiæ orbatæ Pastoribus dicuntur in collat. 1. Carthag. cap. 185. & 217. Conc. Chalcedon. can. 26. & 76. Trull. can. 35. Vormat. & Vernens. citatis, ab auctore vit. S. Fulgent. cap. 16. Sidon. Epist. 5. lib. 7. & aliis citatis, & innumeris passim auctoribus, nomen, inquam, istud, jacturam Ecclesiarum, ex privatione Episcopi, ostendit, simulque necessitatem adstruit, habendi Episcopi, ne sponso ab Ecclesia instituto, diu ulla Ecclesia privetur.

Neodubium, disciplinam prosterni, ubi nullus est, qui judicet, qui corrigat, qui imperet, ideoque auctores illi quo tempore, ob persecutionem Episcopum eliminant, disciplinam quoque ab Ecclesia extorrem fieri debere fatentur, Plebem sine disciplina, Clerum sine magisterio,

Digitized by Google

magisterio, in Religionis dedecus admittentes, quasi talem ipsa doceat indisciplinatam vivendi rationem. Scilicet etiam de novo conversis populis, hoc vivendi genus instillabunt, si eos sine Episcopis degere docuerunt: cum è contra, duces nostri, Ecclesiarum fundatores Apostoli, & qui eorum imitati sunt exempla, non priùs fidem, quàm disciplinam tradiderunt. Imò priùs Cathechumenos disciplinæ legibus exercere, & disciplinæ modestiâ præparare, soliti fuerunt, quàm fidei cognitione accuratiori imbuere, secum enim id reputabant, quod omnium nomine propalavit Tertull. de præscript. cap. 43. *quia de genere conversationis, qualitas fidei æstimari potest, doctrinæ Judex disciplina est.* & cap. 19. prius discutiendum esse, *à quo, & per quod, & quando, & quibus tradita sit disciplina, quâ fluunt Christiani, ubi enim apparuerit, esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit & veritas Scripturarum & expositionum.*

Quare ad avertenda ista mala, Episcopo, quantocyus fieri potest, opus habet Ecclesia, nec tantum ad avertenda mala, verùm etiam ad accersenda bona. Quod egregiè Clerus matris Ecclesiæ Parisiorum, & diversorum Monasteriorum fratres, epist. inscripta Gueniloni Senon. & suffraganeis, inter Epistolas Lupi Ferrar. 98. significant, iis verbis, *cùm enim principaliter se futurum Dominus Jesus polliceatur cum his, qui Principes religionis existunt, non patimur diu carere Antistite, cujus doctrinâ ad salutem nostram instituamur, exemplo informemur, benedictionibus in nomine Domini muniamur.*

Alterum argumentum, quia nullum potentius, ad Ecclesiæ excidium, Diabolus telum credidit, quàm exterminationem Episcoporum, tot ideo edicta Imperatorum adversus Episcopos, Christiani nominis hostibus dictavit, tot persecutiones movendi adversus eosdem, hæreticis Principibus suasit, tot suos satellites adversus eosdem rabie, dolis, crudelitate armavit. Testis hujus machinationis adversus Ecclesiam Chrysost. homil. 42. in S. Martyr. Ignat. iis verbis, *Versutus enim Diabolus, & ad struendas aptus insidias existimabat, si Pastores sustulisset, ovilia facilè direpturum.* Caveant ergo ne Diaboli consilia

Digitized by Google

silia promoveant, ejusque partes sequantur, qui Episcoporum ab Ecclesiis exterminationem procurant, vel expetunt, vel ipsi irrationabili libertatis cupiditate acquiescunt.

III. Quia nisi constitutis quibusdam capitibus, quibus omnes pareant, pax Ecclesiarum vix servari potest. Inter auctoritate pares vix potest animorum consensio reperiri, præsertim verò, ubi nec colligi possunt, nec communi loco in unum omnes consulunt: quales vagantes ac dispersos adversarii presbyteros, Reipublicæ Christianæ sufficere contendunt ad gubernationem quod Cypr lib. de unit. Eccles. directè impugnat, dum ait, *& esse posse uno in loco aliquis existimat, aut multos Pastores, aut plures greges.* Impugnat etiam epist. 55. Cornel. *neque enim alsunde hæreses obortæ sunt, aut natæ Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Judex vice Christi cogitatur.* Vide etiam eumd. Cypr. libro *de idol. vanit.* & Hieron. epist 4. *ad Rustic.*

Hinc ad tollenda dissidia, & exscindendas Schismatum occasiones, unum cæteris Episcopum præponi, necesse fuisse ostendit idem Hier. epist. 85. & commen. in cap. 1. ad Titum. Adstipulantur Cornel. epist. ad Fabium apud Euseb. lib. 6. cap. 25. Synod. Nicena apud Rufin. lib. 1. cap. 6. Chrysost. Hom. 1. ad Philipp. Theodoret. & Oecumen. in cap. 1. ejusd. epist. Hieron. similiter & Ambros. itemque Optat. lib. 2. contra Parmen. Anarchiam verò, quam inducunt alii, turbarum, & aliorum malorum parentem, demonstrat suse Nazianz. Orat. 1. non longè ab init. adeoque hoc verum esse, in suis rebus, sentiunt adversarii, ut ne quidem tres aut quatuor ex suis, tutò se in Provincias, prædicationis causâ, mittere posse credant, nisi unum aliis præficiant. Nec persecutionis tempora regulari observantiæ obesse debere credunt, qui tamen divinæ iustitutionis minùs solliciti, quàm humanæ traditionis, numerosum Clerum ac populum nullius Præpositi auctoritate putant posse in unitate ex officio contineri, quorum utique error, vix differt ab illo Huffii, damnato in Conc. Constant. sess. 15.

Christus

Christus sine talibus Capitibus monstruosis, per suos veraces discipulos, sparsos per orbem terrarum, molius suam Ecclesiam regularet.

IV. Quia nota, quâ Patres Ecclesiam Catholicam designant, & ab hæretereticorum Conciliabulis discernunt, continua Episcoporum successio proponitur, à qua & doctrinæ veritatem probant; ita ut fideles velint, *edere origines Ecclesiarum suarum, evolvere ordines Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentes, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverint, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesiæ Apostolicæ census suos deferunt: sicut Smirneorum Ecclesia habens Polycarpum à Joanne collocatum refert: sicut Romanorum Clementem à Petro ordinatum edit: perinde utique & cæteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatum constitutos, Apostolici seminis traduces habeant.*

Hanc enim adversus Hæreticos omnes exceptionem dirigit Tert. de præscript. c. 32. quo etiam argumento utuntur Iren. lib. 3. c. 3. 4. & 43. Cypr. Epist. 76. Optat. lib. 2. contra Parmen. Hier. epist. ad Damas. & dial. adversus Lucifer. Ephiphan. hæresi 27. Theodos. lege *cunctos populos*, C. Theodosiani *de Fid. Cathol.* Aug. contra epistol. fundam. cap. 4. contra partem Donat. lib. 2. contra liter. Petil. cap. 51. epist. 163. & 165. Denique qq. V. & N. T. quæst. 100. & alii passim. Vos autem notam istam Ecclesiis Catholicis subtrahere nitimini, dum ordinariam Episcoporum successionem, vel interturbandam, atque intermittendam defenditis, vel origines Ecclesiarum, Episcoporum creatione non egere dicitis, Hæreticisque hanc prærogativam pro virili asseritis, ut se veteribus Ecclesiæ Catholicæ Præsulibus ordinatione succedaneâ, æquius inferere rudioribus videantur, quàm Catholici, ratione temporis possint, quatenus si aliquando præficiantur Episcopi, propter diuturnum interpontificium, difficile se eorum successores imperitioribus probabunt, quos tantâ temporis intercapedine consequentur, parumque eos juvabit, quòd jure doctrinæ successionem ostentent, de qua quilibet hæretici gloriantur.

Accedet, & illud incommodi, ut novæ jam in Barba-

ris

Digitized by Google

risProvinciisEcclesiæ ordinemEpiscoporum suorum vel Pastorum edere non possint, & si quos primos disseminatores Evangelii ab Apostolica sede missos referre queant ordinem tamen succedentium cum auctoritate virorum, qui ab initio continuo tramite decurrant, recensere non possint, & ita Apostolicæ Ecclesiæ gloria obscuriorin iis animadvertatur, quæ per Episcoporum successionem illustrius emicat. Scilicet in iis regionibus, ubi Ecclesia Catholica hæreticorum multitudine ferè obruitur, hac etiam prærogativâ spoliabitur, quâ maximè ab illorum impiis cœtibus discriminatur. Scilicet obscurabitur, memoria fundatorum Ecclesiarum, à quibus Ecclesiæ mutuantur, ut Ecclesiæ fiant, & per quos traducem fidei habent, & originem suam ac Apostolos referunt. Obscurabitur, inquam, multidine operariorum, & Sacerdotum, nulli titulo Ecclesiastico adscriptorum. Scilicet ea erit conditio novorum Christianorum, quæ spuriorum, ut amasios matris suæ numerare possint plurimos, sponsos nullos, ut pædagogos plures habeant, & nullos Patres. Scilicet Ecclesiæ fundabuntur, absque Episcopis, qui sunt fundamenta Ecclesiarum, & cum olim, teste Iren. lib. 5. cap. 21. Apostoli Episcopis Ecclesias tradiderint, jam sese Ecclesiarum Presbyteri sine jurisdictione, sine Pastorali auctoritate, fundatores, & auctores, Apostolico exemplo jactabunt.

V. Quia præceptum Christi est, ut, si aliquis frater adversus fratrem peccet, dicat Ecclesiæ Matth. 18. id est, Episcopis & Pastoribus, corripiendi & corrigendi auctoritatem habentibus. Quod præceptum temporaneum non est, nec ad pacata solùm tempora relationem habet: Sed perpetuam, & immutabilem Ecclesiæ gubernandæ rationem continens; cujus utique observationem ab Ecclesia tempore persecutionis, rejiciunt adversarii, nullam eo tempore Ecclesiæ disciplinam expedire, nullum Episcopum aut Pastorem consentaneè creari judicantes. Atque ita, Divinum præceptum ineptissimè eludunt, cujus usus tantùm post trecentos annos à quo traditum fuit, vigere debuerit, & Ecclesiæ gubernationem, à Christo institutam subvertunt.

CAP.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

Non valere persecutionis excusationem, ad hoc, ut Ecclesiæ Episcopis carere debeant: Ostenditur ex ipsâ institutione Christi.

NOn ergo persecutionis tempora, prætexat aliquis, quasi ab ista lege, habendi Episcopi, immunia sint, hanc enim exceptionem elidunt, institutio Christi, Ecclesiæ continua praxis, Patrum sententiæ. I. Enim tantum abest, ut Christus pro pacatis tantùm temporibus, Ecclesiarum rectores, pastores, gubernatores, præpositos, Episcopos, creaverit, ut persecutionis præsertim tempore, Antistites præfuturos esse voluerit: expendamus enim verba missionis Discipulorum, atque Apostolorum Christi quibus Pastores Ecclesiæ successerunt. Certè cùm Christus Apostolos suos, quibus Episcopi succedunt, designasset, ac nominasset, se eos ad persecutiones mittere, satisuperque insinuavit in verbis Matth. 10. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum; Estote ergo prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Tradent enim vos in Conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos, & ad Reges & Præsides ducemini propter me, in testimonium illis & gentibus: cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Non timuit Christus Apostolos, tempore persecutionis mittere, neque eorum dignitati, vel fidelium quieti, ipsorum inquisitionem ad mortem, præjudicium inferre putavit, quinimò armaturum se eorum corda fortitudine, ora sapientiâ promisit, quoties ad necem quærerentur, & à tyrannis interrogarentur; quæ pollicitatio, vel inutilis fuit, vel certè cum Apostolis defecit, si cavendum sit ne Episcopi Apostolorum frutices, tempore persecutionis creentur, & sævientibus persecutionis temporibus retineantur.

Digitized by Google

Iisdem temporibus persecutionis Discipulos suos Christus ad prædicandum destinavit, Luc. 10. *Ite, ecce ego mitto vos, sicut agnos inter lupos,* sed promissionem divinam ad aptè consentaniéque loquendum, tam illustrem minimè acceperunt, atque Apostoli, vel eorum successores Episcopi, quibus maximè docendi, prædicandi, & contumaces refellendi munus competit, ut ex iis, inter se collatis testimoniis discas Episcoporum necessitatem, etiam persecutionis tempore, ad dociles ad veram pietatem instruendos, indociles verò & rebelles refellendos. Cujus rei illustre exemplum habemus lib. 2. de actis cum Felice Manich. c. 12. in quibus Felix Manichæus, quantumvis loquacitate præstaret, & in malitia argutus esset, tamen cùm ab August. Epicopo urgeretur, Episcopalis dignitatis vim istam persentiens, dixisse refertur, *Non tantum ego possum contra tuam virtutem, quia mira virtus est gradus Episcopalis.*

Attende etiam quomodo Petrus, in quo Ecclesiasticus Ordo figuratus est, statim atque pascendi sibi oves munus à Christo traditum audivisset, Joan. 21. statim inquam, sequentia verba audierit, quæ persecutionem indicarent, *cùm esses junior cingebas te, & ambulabas, ubi volebas, cùm autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet te, quò tu non vis.*

Attendite etiam, non prius Paulum à Christo suscitatum Apostolum, quàm persecutio in Christianos excitata fuisset, ejusque Apostolatum eo signo confirmatum fuisse, quod multa esset pro Christo passurus, Act. 9. quæ quidem omnia, aliaque plura ostendunt, non in pacata tantum tempora, Episcoporum creationem esse rejectam, sed pro turbidis etiam, in quibus persecutio sæviat, Episcoporum creationem à Christo institutam esse.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Idem probatur, ex Continua Eccl siæ Praxi.

II. PRaxis Ecclesiæ ab Apostolis, ad hodierna usque tempora, id semper tulit, ut commotâ maximè persecutione adversus Episcopos, tum etiam adversus Sacerdotes, & Clericos, ac Christiani nominis professores, tamen & Episcopis creandis studerent Christiani: & jurisdictionis Ecclesiasticæ ac gubernationis Episcopalis, disciplinæque locum esse putarent. Totis primis tribus sæculis, quàm dira, quàm atrox, quàm severa persecutio adversus Ecclesiam Dei sævierit sub Nerone, Domitiano, Trajano, Antonino Vero, sub Severo, Maximino, Decio, Valeriano, Galieno, Diocletiano, Maximiano, Maximinis, Maxentio, Licinio, disces ex historia Euseb. sed & earum aliquas describunt, Apologiarum pro Christianis scriptores, Justin. Athenagor. Tertull. & alii, item Cornel. epist. ad Justum, Cyprian. epist. 2. 9. 56. 77. 78. 79. 80. 81. 282. & serm. de lap. & ad Demetrian. atque alibi passim, Pontius in vita Cypr. Nyssen. in vit. Thautma. Nazian. orat. 18. in laud. Cypr. 19. in funere patris, 20. in laudem Basil. Chrysostomus orat. 42. in laud. Ignat. 48. de S. Romano Mart. August. lib. 30. contra Cresco. cap. 29. Greg. Turon. lib. 2. hist. Franco. cap. ult. Just. Orgelit. in Cant. in istum versum, *tulerunt pallium meum*, & seqq. quorum testimoniis patet, Ecclesias Catholicorum ad solum usque eversas, altaria destructa, sacros libros crematos, Sacerdotes alios ad metalla damnatos, alios atrocibus tormentis exagitatos, fideles in ipsis cœtibus sæpe comprehensos & apprehensos, nec baptizandi libertatem, nec sacrificandi fuisse.

Constat etiam continuam persecutionem fuisse, trium scilicet sæculorum; licèt enim in Christianos aliquando persecutio remitteretur, tamen Ehtnici, ut notat. Tertul. Apolog. cap. 37. *partim animis propriis, partim legibus obsequentes desæviebant.* Et licèt adversus eos, edicta

Digitized by Google

minimè essent revocata, tamen & antiqua, quæ prohibebant illegitimos cœtus, prætexebantur nonnunquam, & impietatibus atque infanticidii, aliorumque criminum rei insimulabantur, ut leges apud Justin. Minut. Felic. & alios. Hinc tot martyria etiam sub piis Principibus consummata leguntur.

Constat denique in Episcopos præcipuè sævitum, hoc enim præter cæteros Orig. lib. 3. contra Cel. non longè à princip. Nazianz. orat. 18. num. 22. Chrys. hom. 42. in S. Ignat. Cypr. epist. 82. ad Succes. Euseb. lib. 8. cap. 2. & 7. & alii docent. Iis tamen temporibus, Episcoporum ordinatio procurata, licèt ad tempus aliquando dilata, donec fratres ad electionem colligi, & de successore maturè deliberari posset. Et ut videas etiam in ipso ardore persecutionis, ordinationes peractas, recole quod indulgetur 8. constit. Apost. cap. 270. *ut Episcopus ab uno, pluribus ob persecutionem non valentibus convenire, ordinetur.*

Iisdem temporibus, Episcopalis censura in usu & observatione fuit. Nec ullus unquam eò temeritatis progressus est, ut Episcoporum creationem toto tempore persecutionis cessare vellet, aut Episcopalem mucronem tamdiu in vagina recondendum putaret. Quin immò, vel sæviente persecutione, Ecclesiæ disciplina districtè servata est; Apostoli etiam in cruce ministerio & imperio sacro utebantur, teste Chrys. epist. 123. idemque imitari debent Episcopi, teste eodem epist. 121. Constant. Plinius epist. ad Traian. apud Euseb. lib. 3. cap. 32. aliàs 27. & eadem referens Tertull. Apolog. cap. 2. cœtus Christianorum, qui metu persecutionis, ante lucem fierent, *ad canendum* Christo & Deo, *& ad conferendam disciplinam* habitos, testatur.

In iisdem exhortationes, castigationes, & censuram Divinam, & in delicta animadversiones fieri solitas, describit Tertull ejusd. lib. c. 30. Concilia autem habita memorat grassante atrocissima persecutione, adversus Psychicos, c. 13. Eadem grassante, disciplinam commendat Cypr. epist. 5. 6. 7. 8. 11. 20. 27. 55. 66. 69. & aliis, nec persecutione debere relaxari, epist. 55. quinimmò intendi

Digitized by Google

intendi docet. Serm. de lapsi. priori loco hæc scribit; *& gentiles & Judæi minantur & hæretici, atque omnes, quorum pectora & mentes diabolus obsidet: venenatam rabiem suam, quoties furiosa voce testantur, non tamen idcirco cedendum est, quia minantur*, &c. ac paulo post. *Sed non idcirco frater Charissime, relinquenda est Ecclesiastica disciplina aut Sacerdotalis solvenda censura, quoniam convitiis infestamur, aut erroribus quatimur*, &c. Posteriori verò ista tradit *Dominus probari familiam suam voluit, & quia traditam nobis Divinitus disciplinam pax longa corruperat, recentem fidem & penè dormientem, censura cælestis erexit.*

Nec ratione id vacat, cùm enim ad Deum, & ad ministros suos grassante persecutione, soleant fideles ferventiùs promptiúsque confugere, teste Aug. epist. 180. ad Honorat. quidni intendatur tunc temporis disciplina, cùm & studiosiores suæ sunt salutis fideles, & Ecclesiæ reverentiores, & minùs segnes, ut tradit Tertull. lib. de fuga, cùm & necessum est, malos ab Ecclesia sollicitiùs segregare, ne ignominiam pravis suis actibus nomini Catholico inurant, & fidei puritatem inficiant, & martyrum gloriam obscurent, & bonos distinctiùs exercere, ut ad duriora præparentur, & animi mollitiem exuant, & metu Ecclesiasticæ disciplinæ suppliciorum metum vincant? An putatis, eum propter Christum tyrannorum tormenta libenter passurum, qui spiritalium Patrum & Sacerdotum increpationem vel censuram ferre non potuerit? Quasi verò, Martyres esse possunt, qui (quòd de Novato scribit Cypr. epist. 49) quosdam ex fratribus ab Episcopo segregant, & in ipsa persecutione ad evertendas fratrum mentes, nostris persecutio sunt. Quasi verò qui Christi Vicariis obedire detrectant, obedientes usque ad mortem Christo esse possunt: alia Cypr. mens fuit cujus eâdem epist. hæc sententia celebris, *Nec remanere in Ecclesia Dei possunt, qui Deificam & Ecclesiasticam disciplinam, nec actus sui conversatione, nec morum pace tenuerunt.*

Sed fusiùs in ea commendatione disciplinæ excurro, quam conciliorum plurium, sub prædecessoribus suis celebratione collectâ numerosissimâ Episcoporum multi-

Digitized by Google

tudine, etiam grassante persecutione excultam fuisse, testatur idem Cypr. epist. 55. *Cornelio*, 59. *Fido Episcopo*, 66. *Presbyteris & Diaconis, & plebi Furnis consistentibus.* Testatur & ipsius tempore, Clerus Romanus epist. 31. apud eund. habitam Romæ instante persecutione Synodum: nec dubium, quin necdum sopita persecutio esset, cùm Carthaginensia plura Concilia, sub eodem Cypr. habita referuntur. Sed expressa sunt Cypr. verba epist. 55.

Conciliorum quoque celebrationem, persecutionis tempestate non intermissam, propugnant Catholici apud August. in breviculo collat. diei tertii, cap. 17. nec intermissa judicia, discès ex Orig. qui tempore persecutionis scribens, hæc habet, hom. 17. in cap. 17. & 18. Exod. *Audiant Principes populi, & Presbyteri plebis, quia debent omni hora judicare semper, & sine intermissione sedere in judicio, dirimere lites, reconciliare dissidentes in gratia, reunire discordes.* Idem primitivæ Ecclesiæ, toto tempore, quo scilicet persecutio adversus Christianos deferbuit, per singulas civitates Episcopos constitutos scribit, hom 13. in Luc.

Redeo ad Cypr. epist. 52. docentem, ab initio Ecclesiæ, quod constat persecutionibus agitatum fuisse, Episcopos ubique institutos. *Jam pridem*, inquit, *per omnes provincias, & per urbes singulas ordinati sunt Episcopi.* Narrantem item Cornelium summum Pontificem creatum, *Sedisse intrepidum Romæ, in Sacerdotali Cathedra, eo tempore, cùm tyrannus infestus Sacerdotibus Dei, fanda atque infanda comminaretur, cùm multò patientiùs, & tolerabiliùs audiret levari adversus se æmulum Principem, quàm constitui Romæ æmulum Sacerdotem.* Hunc animi vigorem, hanc constantiam summoperè laudat Cypr. nondum scilicet auditus fuerat adulatorius iste error, cum periculo exacerbandi Principis, cavendum esse, ne Episcopi in Ecclesiis constituantur, incrementum persecutionis adversus corpora magis esse timendum, quàm ex defectu disciplinæ subversionem animarum stragem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ecclesiam tempore persecutionis, maximè indigere solatio Episcoporum, ostenditur ex PP.

PAtrum verò sententia est, persecutionis tempore, Ecclesiam non solùm non Episcoporum solatio destituendam, quinimmò tunc utique maximo hoc solatio indigere, & quantocyùs fieri potuerit, de Episcopo providendam esse. Clemens Rom. epist 1. ad Jacob. quam latinitate donavit Ruffin. tunc maximè cùm persecutio urget, Episcopum necessarium esse, iis verbis Petri, quem sibi suadentem inducit, ut se ordinari patiatur, evidenter ostendit. *Sed & illud cupio te mecum justa ratione prospicere, quando maximè operâ tuâ indiget Christus, nunc cùm inimicus adversus sponsam ejus commovet bellum; an in futuro tempore, quando jam Christus post victoriam triumphabit, nec ultra illius operâ indigebit. Quis non etiam parvi sensus intelligat, quod istud est tempus, in quo operam tuam Christus requirit. Tota igitur mente, in præsenti necessitate præbe operam tuam, & auxilium in præliis exhibe Regi optimo, remunerationes maximas post victoriam reddituro. Libenter ergo susipe Episcopatus officium, eò maximè, quòd Ecclesiasticas dispositiones à me probabiliter didicisti, ut salus eorum qui per me confugerunt ad Deum, nequaquam vacillet.*

Non puto adversarium Catholicum, tantæ antiquitatis epistolam, sive sit Clementis Rom. sive non sit (quæ si Clementis non sit, antiqua esse debet, & quarto sæculo Clementis esse crederetur) rejicere, aut ea verba epistolæ reprehendere ausurum, quæ Blondellus, obtrectandi libidine ductus redarguit, quibus Christus Episcoporum operâ dicitur indigere, quod indubitatè falsum asserit cùm eadem interpretari consentaneè potuisset, eo scilicet sensu dicta, quo iis indigere dicitur Deus, sine quibus secundùm ordinariam legem, aliqua se non operaturum decrevit, licèt operari posset. Secundùm

Digitized by Google

quem sensum accepta verba Clemen. significant, tunc maximè desiderari operam Episcopi, cùm adversus Ecclesiam persecutio commovetur. Ad Ecclesiæ bonum ejus operam, ex ordinaria Dei lege desiderari, vacillare sine ipsa plurium ex fidelibus salutem: quæ eadem ipsa sunt capita, quæ contra Episcopalis dignitatis osores, & necessitatis hostes tutamur, allatámque ab ipsis persecutionis exceptionem elidunt.

Quàm longè etiam ab adversariorum sententia, distabat Athanas. qui Epist. ad Dracon persecutionis tempore, minùs fugere Episcopo licere, docet, eorúmque consilia carpit, qui propter turbatas Arrianorum furore Ecclesias, electum Dracontium ab Episcopatu capessendo eo tempore deterrebant. In contrarium verò Athanas. nihil ista movere debere differit, quandoquidem Deo nos, non temporibus servire deceat. Deinde nec Episcopatum eo prætextu refutandum iis argumentis probat. *Nam quæ Dominus per Apostolos instituit ea & bona sunt, & firma persistunt, & fratrum ita meticulositas compescitur. Quod si omnes eandem mentem habuissent, qualem nunc habent, quæ tibi in consilio sunt, quo pacto Christianus factus esses, nullis usquam repertis Episcopis? Quod si verò post nostra tempora, istiusmodi animos induunt, quomodo poterunt stare Ecclesiæ?*

Digna sunt accuratiori observatione singula, opposita scilicet singulis errorum, quos adversarii disseminarunt, capitibus: I. ea, quæ Deus instituit, *omni tempore bona & convenientia esse,* ac proinde cum Episcopatum instituerit, omni tempore, etiam congruere atque expedire. Alterum, *firmam debere esse Dei institutionem*: ideoque & durabilem, etiam persecutionis tempore, Episcopatus institutionem. III. Episcopi creationem *fidelium populorum formidini mederi.* IV. *Nec sine Episcopis, Christianos nos legitimè fieri, nec Ecclesiam stare posse.* Quid ad hæc Athanas. doctrinæ capita, mutire audebunt adversarii, nisi Athanasium in Ecclesiastica doctrina rudem esse; eúmque, quem Nazianz. Orat. 21. *leges orbis terrarum præscripsisse,* asseruit, Ecclesiasticarum legum ignarum fuisse, vel nostri sæculi Doctores constringere minimè potuisse.

Quòd

Digitized by Google

Quòd si Athanasii testimonium refutent, quomodo duorum summorum Pontificum Gregorii I. Martini I. auctoritatem effugient, quorum postremus, persecutionis tempore, cùm hæresis grassatur, & sævit, Episcoporum creationem monuit potissimùm curandam, non autem omittendam esse, Joannem Episcopum Philadelphiæ, cui potestatem dederat, *ut constitueret per omnem civitatem earum, quæ sedi tum Hierosolymitanæ, tum Antiochenæ subsunt, Episcopos, Presbyteros, & Diaconos his verbis admonuit, nam oportet in hoc maximè Pastoribus Spiritualibus frequentari ac muniri, quæ ubique sunt Dei Catholicas Ecclesias, quo juxta ipsius Domini prædictionis, tribulationes propter peccata nostra venerunt, quales non fuerunt ab initio mundi, neque fient, cum quibus & magnæ scandalorum tentationes ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi: quocirca* (subjungit) *ne differas omninò, dilecte, implere juxta præceptum nostrum, Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis, quæ istic sunt, Catholicas Ecclesias, &c.*

Primus verò Ecclesiæ Liparitanæ providendum quantocyùs, Maximiano Syracusano mandavit epist. 26. lib. 1. Indict. 10. *Quia locis inimicis Ecclesia constituta Pastoris vacare non debet officio.* Quin etiam idem sanctus ob ferinos mores & infidelitatem incolarum Episcopatum in eo loco constituendum indicavit, in quo priùs fuerat. *Quia autem,* inquit, *pro Sacerdotum indigentia, quosdam illic paganos remanere cognovimus, & ferino degentes modo, Dei cultum penitus ignorare, hortamur fraternitatem vestram, ut illic secundum pristinum modum festinet ordinare Antistitem, talem videlicet, qui ad hoc opus moribus ac verbo existat idoneus, & ob errantes ad gregem Dominicum pastorali studeat æmulatione deducere.* Quàm contraria ea sunt novitiorum hominum conatibus, qui nec iis locis, in quibus hæresis ita dominatur, ut adversus Catholicos persecutionem commoveat, Episcopos creandos censent, nec illis, in quibus incolarum ferina barbaries viget: sed in istis solùm, in quibus placidè ac tranquillè Episcoporum officia muniáque impleantur, dignitas excipiatur honorificè, & tutò regnet auctoritas.

Denique ut etiam hujus regionis auctorum testimonia

Digitized by Google

proferamus, cujus occasione, contentio ista mota est, Beda illustre ornamentum Angliæ, lib. 2. cap. 4. probat Augustini Anglorum Episcopi factum, circa ordinationem Laurentii, quem ipse idcirco adhuc vivens ordinaverat, *Ne se defuncto, status Ecclesiæ tam rudis, vel ad horam pastore destitutus, vacillare inciperet, in quo, inquit, & exemplum sequebatur, primi Pastoris Ecclesiæ, hoc est beatissimi Apostolorum principis Petri, qui fundatâ Romæ Ecclesiâ Christi, Clementem sibi adjutorem evangelizandi simul & successorem consecrasse, perhibetur.* Qua in re, duo notanda sunt, & rudi Ecclesiæ Episcopum magis, quàm aliis necessarium, ab August. judicatum, cùm tamen nondum tuta essent in Anglia religionis negotia: & in eo exemplum Petri ipsum secutum, judicio Bedæ fuisse. Qui nempe adolescenti Ecclesiæ, persecutione jam tum agitata, successorem sibi coadjutorem, jam tum assumendo destinavit, ne vel ad horam Ecclesia Episcopo, & nova, & persecutionis turbine jam afflata, vacaret, timens scilicet excidium Ecclesiæ, si persecutionis tempore, vel cùm nondum tempore diuturno coaluisset, absque Episcopo relinqueretur.

Et certè experimento compertum est, varias Americani orbis provincias, in quas Evangelicæ veritatis sermo pervaserat, ideo brevi ad errores suos reversas fuisse, quòd nullus in iis regionibus Episcopus ordinatus, nullus stabilis Clerus institutus fuisset, quorum utique discessu, fidem extinctam lugemus, sicut eorumdem prædicatione accensam, gratulabamur. Prævidit idipsum idem venerabilis Beda, dum lib. 3. cap. 23. in Isaiam hæc habet, *Ubicumque Ecclesiæ murus, collectis ad fidem novis populis, vel correctis iis, qui erraverunt, ædificatus fuerit, mox ponendæ sunt valvæ disciplinæ regularis, ne antiquus hostis, qui quasi Leo rugiens circuit, usquam in ovile ovium valeat irrumpere.*

Faceſſant igitur carnales istæ opinationes, nullibi Episcopum constitui debere, nisi ubi thronus Episcopalis, divitiarum splendore eniteat, nisi ubi Antistitis auctoritas formidinem renitentibus incutere possit, nisi ubi Apparitoribus ac stipatoribus, Pontificia majestas venera-

Digitized by Google

venerabilis appareat, quinimmò eò glorioſior erit Epiſcopus, quò pro Chriſto deſpicabilior, viſus fuerit. *Nec intereſt*, inquit Cypr. epiſt. 55. Cornel. *Unde Epiſcopo aut terror aut periculum veniat, qui terroribus & periculis vivat obnoxius, & tamen ſit de ipſis terroribus ac periculis glorioſus.* Rationem paulò poſt ſubjungit, *neque enim nobis ignominia eſt pati à fratribus, quod paſſus eſt Chriſtus, nec illi gloria eſt facere, quod fecerit Judas.* Quin etiam ſi pro Chriſto cæſus fuerit, rectè idem monet S. Doctor Epiſt. 4. *Populis circa Præpoſiti memoriam glorioſum eſſe, & nobis fidei ac virtutis præbere exemplum.*

Unde ergo nobis iſta perſuaſio, Epiſcopum creandum eſſe neminem, niſi potentiæ ſæcularis ornamenta obtineat, ſecus vileſcere Epiſcopalem dignitatem? Non attenditis fortè quid dicatis, cùm iſta probatione utimini: cùm tam aliena loquimini, ubi animus? quò mens veſtra abſceſſit? quò ratio? an non advertitis, hac probatione, & rectæ ratiocinationis, ac communis ſenſus everti fundamenta, & neglecta atque calcata religionis Chriſtianæ jacere principia? Probatis ſcilicet contemnendam eſſe Epiſcopalem dignitatem, atque è medio tollendam, ne deſpicabilis evadat. Quæ verò major ei ex contemptu injuria inferri poteſt, quàm ut nulla ſit? Quis magis deſpicabilem dignitatem iſtam putat, quàm qui non neceſſariam, nec tanti pretii æſtimandam prædicat, ut nullum pro ea retinenda periculum ſubiri velit. O ineptam veſtram dialecticam, quæ ne dignitas Epiſcopalis vileſcat, vilem eſſe perſuadet: ne ſordeat, nihili habendam prædicat, ne contemnatur, tollendam conſulit.

CAPUT XVII.

Non indiget Epiſcopalis dignitas, divitiis, ſæculari potentiâ aliiſque mundanis ornamentis.

NEque melior Politico-theologia veſtra, cùm dignitatem Epiſcopalem, apud Catholicos negatis in

Digitized by Google

pretio esse, nisi quæ divitiis, sæculari potentiâ, & humano fastu turgescat, eamque dignitatem, quæ Christi humilitate fundata, paupertate ornata, passione sublimata est, ad quam electi à Christo piscatores, cujus potissima functio paupertatis extollendæ ministerium, & sæcularis fastus contemnendi prædicatio, hanc, inquam, cum paupertate esse non posse, sublatis divitiis, & mundano fastu esse non debere, propugnatis. Quo utique errore nullum puto ab Evangelicæ prædicationis simplicitate magis alienum vel à Christianæ Religionis ac disciplinæ principiis magis dissonum, esse posse.

Hunc errorem inbiberant olim aliqui, Arrianâ contagione fœdati: contra quos ex professo ita declamat Hilar. libro contra Arrian, vel Auxent. Mediolan. *Ac primùm misereri licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere: Quibus patrocinari Deo humana creduntur: & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione sæculari laboratur. Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis: Quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus, Christum prædicaverunt, gentesque ferè omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Annè aliquam sibi assumebant ex palatio dignitatem, Hymnum Deo in carcere, inter catenas, & post flagella cantantes? Edictisne regis Paulus, cùm in Theatro Spectaculum ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Neroni se credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis, confessio Divinæ prædicationis efflоruit. Illi manu, atque opere se alentes intra cœnacula, secretaque coëuntes, vicos & castella, gentes quæ ferè omnes, terrâ ac mari contra Senatus consulta & Regum edicta, peragrantes: claves, credo, regni cælorum non habebant? aut manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit? Cùm tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis prædicari inhiberetur. At nunc, prôh dolor! divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis & carceribus Ecclesia, credique sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita: pendet à dignatione communicantium; quæ persequentium est consecrata terrore: fugat Sacerdotes, quæ fugatis Sacerdotibus, est propagata.* Hæreo

Hæreo in iis ultimis verbis, moneoque ut memineris quisquis tam carnalis auctor sententiæ, Ecclesiam à fugatis, extorribus, pauperibus, nudatis, flagellatis, omni persecutionis genere vexatis Sacerdotibus, & initia fuæ dignitatis, & gloriæ incrementa accepisse. Iniquum proinde videri, iis adimere Sacerdotales infulas, quorum sudoribus opprobriis & sanguine, infulæ istæ claruerunt: stultum redactâ ad eum statum, hæreticorum, vel aliorum malitiâ, & tyrannide, Ecclesiâ, eam velle ejus esse conditionem, quæ florentis ac regnantis existat; nolle eum esse illius statum, qui ei aliquando oppressæ, & persecutionibus conquassatæ fuerit. Denique crudelitatis quoddam genus esse, iis Ecclesiis, quibus impiorum furor exteriora, & humana ornamenta dignitatum ademerit, iis, inquam, eo titulo, divinæ institutionis dignitates ipsas auferre: & contumaci proterviâ contendere: Tollendum ideo esse Divini muneris magistratum, quia sustulit impius humanum ipsius ornamentum, sed de his susiùs infra.

Quomodo ergo, inquies, in officio subditos sine satellitio Antistes continebit? Resp. metu Divinorum judiciorum, Divini verbi virtute, exemplorum suorum admiratione, sermonum gravitate, amore & honore Cleri sui. Hæc sunt vincula, quibus Antistites subditos ligant, suisque mandatis obnoxios faciunt: eadem nempe, quibus Christus suos sibi adstrinxit; eadem, quæ nec angustiæ persecutionis, nec tyrannorum minæ dissolvere unquam potuerunt. Nunquam promptius Episcopis obtemperatum est, quàm cùm impunè convitiari iis licuit, & obtemperare crimen habitum est, quod carceribus & cruce plectebatur. Tunc utique graviùs Antistes timebatur, cùm corporalis mali infligendi minùs potens erat, ejusque apud certos de Dei conspectu potentissimè vigebat authoritas, quia, ut ait Tert. apolog. cap. 30. *summum futuri judicii præjudicium erat, si quis ita deliquisset, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis sancti commercii, relegaretur.* Hoc metu salutariter concussi Martyres pugnarunt, & tormentorum formidinem superarunt. Id me docet Rom. Clerus, epist. 30. ad

Digitized by Google

30. ad Cypr. testans, *Martyres, non propter aliud Martyres fieri, nisi, ut non sacrificantes teneant Ecclesiæ, usque ad effusionem sanguinis sui, pacem: ne cruciatus dolore superati, perdendo pacem, perdant salutem.*

Quanto ergo potentiora sunt vincula spiritus, quàm carnis, si vincula carnis sapientes non timeant, ne Spiritus vinculis constringantur? Hæc vincula Spiritus à Christo data sunt Episcopis, quæ nec persecutio tollit, nec solvit: Illis contumaces ligabunt, facineroſos devincient. Non persecutio eorum impediet, sed prudentia carnis, inimica Deo, adulatio Doctorum, quæ vocat bona mala, & mala bona, & amara æmulatio adversus Ecclesiæ Principes insurgens, jactans se dissolvere posse, quæ ipsi ligaverint, & ligare quæ ipsi solverint.

Hæc solùm, nostro sæculo, nimium familiaria mala, potestatis Episcopalis vigorem dissolvunt, Ecclesiæ gubernandæ sublimem ac divinam potestatem, contemptui exponunt, disciplinamque ipsam, quæ teste Cypr. in ejus laudem declamante, *Custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonæ indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper, ac jugiter vivere, & ad promissa Cælestia, & divina præmia pervenire. Quam sectari salutis est, & aversari ac negligere, lethale*: Quæ olim Martyres accendebat ad victoriam, lapsos erigebat ad pœnitentiam, eam, inquam, tantæ necessitatis, dignitatis, & utilitatis virtutem omnino prosternunt. Iis utique mederi oportet malis: non autem Episcopalem auctoritatem, quasi vi suæ institutionis nisi potestatis sæcularis adminiculis fulciatur, infirmam & impotentem criminari, opusque Dei, ut imperfectum, gubernationem Ecclesiæ, ut ex se mutilam ac imbecillam, turpi in Deum & Ecclesiam maledicentiâ, culpare: & ita abjiciendum consulere.

Iis tot efficacibus PP. sententiis, ac rationum momentis, futilia quædam objiciunt, nempe vetitum olim, Ecclesiasticis Canonibus, Episcopos in vicis constituere, ne Episcoporum numerositate, Episcopatus dignitas vilescat. Prudens sanè consilium, tollendi omnino & exterminandi quidpiam, ne vilescat: Egregium argumentum,

Digitized by Google

mentum, nullum esse debere in aliquo regno Episcopum, quia nimiò plures habendi non sunt & tamen hæc invicta adversariorum argumentatio est, quam infra fortè copiosius refellemus. Obiter duntaxat inculcamus, contra adversariorum futilem istam objectionem, Siderium vici Palæbiscæ, neglecto Alexandrino Episcopo, cujus juris erat ipsum ordinare, constitutum Antistitem, ab Athanasio toleratum, teste Synæs. epist. 67. propter hæreseos dominatum. Scilicet sentiebant sanctissimi isti PP. etiam in vicis, etiam in locis, in quibus Episcopus antea non fuerat etiam contra consuetudinarium jus Episcopum constitutum, tolerari debere, eo tempore, quo hæresis dominabatur: cùm è contra, eo prætextu jam aliqui, Episcopatum omninò exturbare velint.

Nec te fugiat (quod narrat Theodoret. lib. 5. cap. 4.) ab Eusebio Samosateno, nondum pacatis Ecclesiæ rebus, Marin Dolichæ, parvo oppido, & per id temporis morbi Arriani contagione admodum infecto, præfectum fuisse, quod iniquè incolas tulisse, ex eo colliges; quia ipse Eusebius hoc oppidum postea ingrediens, tegulâ, ab Arriana muliere, ex superiori parte tecti dejectâ gravi vulnere percussus, ex hac vita ad alteram præstabiliorem evolasse narratur. Similiter & ab August. disces, ipsum curavisse castello Fussalensi, cujus incolas recens ad Ecclesiam Catholicam reduxerat, Episcopum de novo præfici, eò quòd ab Hippone, memoratum castellum millibus 40. sejungeretur, quod spatium latiùs extendi putabat, quàm ut in iis regendis, & reliquiis eorum colligendis, satis diligentiæ adhibere se posse crederet, quemadmodum ipse scribit epist. 261. Cælestino Pap. Tantæ scilicet necessitatis, Episcopi præsentia, populis de novo ad fidem conversis, esse tunc temporis judicabatur.

Poterunt & alia tot exempla docere, prædictos canones, quos adversarii objiciunt, nec in usu semper fuisse, nec ubique, ut postea dicemus. Quæ omnia, & imbelles adversariorum conatus produnt, & Episcoporum etiam, ubi pompa ista sæcularis, ac tribunalis Ecclesiastici ornamenta mundana, quæ adversarii exigunt, defuerint necessita-

Digitized by Google

ceſſitatem confirmant. Adeò ut plus ſemper Epiſcopalis providentiæ cura majoribus noſtris fuerit, quàm iſtorum ornamentorum, ut notat Zonar. in can. 54. Carthagin.

CAPUT XVIII.

Non valere Excuſationem iſtam adverſus Epiſcoporum neceſſitatem, quòd eorum occaſione, perſecutio vel recrudeſcat, vel recrudeſcere timeatur, ex variis Eccleſiæ temporibus oſtenditur.

PRodunt metus ſuos ulterius adverſarii, & quaſcumque machinas humanæ prudentiæ adverſus Epiſcoporum neceſſitatem movent: terriculamenta oſtentant; ex Epiſcoporum creatione, perſecutionis incrementa ominantur; cùm tamen ex hujus, vel illius Ordinis religioſi Sacerdotum admiſſione, varias indignationis Principum, ac populorum hæreticorum (juſtas an iniuſtas non diſputo) meo quidem judicio injuſtè excitatas tempeſtates, quæ minori Eccleſiæ malo, ipſorum ſeceſſione devitari potuiſſent, diſſimulandas cenſeant: nec eas niſi malignè referri poſſe putent; ad ſuadendam verò Epiſcoporum fugam atque exterminationem, Caſſandras exhibere ſe non dubitant, minantur, calamitates imminentes, ex eorum admiſſione, Deum hominesque iratos fingunt niſi continuò ejiciantur: Atque ita in ſtatera, & ſtatera judicantes, ab eorum receptione, quos Chriſtus inſtituit, futurorum malorum metu, populos deterrent: & ad illorum admiſſionem, quos homines inſtituerunt, utilitatis quàm maximæ ſpe ac prope fiduciâ provocant.

Sed iſta non moramur, quæ iniquitatem judiciorum iſtorum hominum, non falſitatem ſententiarum manifeſtant. Hîc ergo probandum ſuſcipimus, pro Epiſcopatu retinendo, etiam mortem oppeti laudabiliter poſſe, imò & debere. Quamvis etiam hoc unum, ex Epiſcopi receptione bonum proveniret, quòd Sacramentum Confir-

Digitized by Google

firmationis petentibus ipse conferret. Quam propositionem magno impetu, magnoque ardore adversarii oppugnant, nos quâ parte, præsertim Episcopatus necessitate infirmare conantur hîc confirmare è contrario adnitemur, Confirmationis necessitatem alibi fusiùs probavimus, in tractatu, ad hoc specialiter, à nobis edito, lege, si lubet.

I. Itaque frivolam istam esse excusationem, ad ejiciendum ex aliquâ Ecclesia Episcopatum, ad excludendos Pastores, metum incrementi persecutionis exinde orituri, ex eo evidentet ostendimus, quòd primis Ecclesiæ sæculis, quibus persecutio sæviebat in Christiani nominis professores, nemo hanc excusationem, nemo exceptionem istam protulit. Scilicet in tanto Christianorum numero, nemo fuit providus, qui salutis Christianorum curam gereret; nemo meticulosus, qui persecutionis incrementum, ex Episcoporum creatione oriturum timeret; nemo divinarum legum peritus, qui habendi Episcopi legem, tunc tantùm vigere sciret, cùm ex Episcopi creatione, nullum persecutionis incrementum timeretur.

Quòd si providi fuerunt plurimi scirentque adeò invidiosam esse Episcopi creationem, *ut multò patientiùs* (si credimus Cypr. epist. 52. cit.) *& tolerabiliùs audiret imperator, levari adversus se æmulum Principem, quàm constituti Romæ æmulum Sacerdotem:* nemo tamen inventus est, qui Episcopi creationem, cum tanta imperatoris offensione dissuaderet, & populi neglectas partes susciperet, stragesque & clades innumeras, damnaque corporalia, imò & pericula animæ, ex persecutionis incremento, ingruentia cogitanda objiceret, antequam ad electionem Episcopi festinaretur. Si meticulosi fuerunt aliqui, cur non suspiciones istas amplificarunt, & metu isto se liberari petierunt. Deerat fortè occasio conjiciendi istud incrementum persecutionis ex Episcoporum creatione, cùm in Episcopos præsertim truculenta edicta ferrentur. Unde ergo nemo periculum istud objecit? Nemo propter illud periculum evitandum, excludendam ab Ecclesia Episcopalem gubernationem, non admittendos Episcopos proclamavit; nisi quia nemo putabat, exceptionem

Digitized by Google

ceptionem istam alicujus momenti esse posse nec adversus divinam legem, persecutionis metum, alligari posse censebat.

Quod si quis Tertull. hanc exceptionem, isto tempore protulisset, retulisset utique, quòd in negotio minus strictæ observationis, responsum reposuit lib. de corona mil. cap. 11. *Non admittit status fidei allegationem necessitatis. Nulla est necessitas delinquendi: nam & ad sacrificandum & directò negandum, necessitate quis premitur, tormentorum sive pœnarum, tamen nec illi necessitati disciplina connivet.* Dixisset, statum Ecclesiæ, nulla necessitate convellendum esse, institutionem nullo metu deserendam esse. Frustrà minari tyrannum, instare carnificem, ut Ecclesiæ statum prodamus, ut relictam à Christo gubernandi formam mutemus, ut disciplinam Christi depositam perdamus, ut sublimem ac Divinam regendæ Ecclesiæ potestatem, volentes deseramus, invitis nobis hæc eripi posse: eorum ablationi consentire nos nec posse, nec debere.

Hunc totius Ecclesiæ Catholicæ, ad hæc usque tempora, sensum, hanc mentem fuisse, discès, ex sententia Africanorum Præsulum apud Author. vitæ S. Fulg. cap. 16. cit. qui posthabito Regis Wandali edicto, Episcopos creandos esse statuerunt, *cogitantes aut Regis iracundiam, si quæ forsitan existeret, investigandam, aut si persecutionis violentia nasceretur, coronandos etiam fidei confessione, quos dignos invenirent promotione.* Discès ex Monachorum Ægyptiorum consiliis, pro Episcopo Athan. tuendo susceptis, quæ eleganter describit Nazianz. orat. 21. iis verbis. *Nam cùm quidam eò se contulissent, ut pium virum perinde ac feram quandam vestigarent, nec eum passim quæsitum invenirent, ne alloquendos quidem eos, qui missi fuerant, duxerunt: verum cervices gladiis objiciebant, velut pro Christo periclitantes, atque ita animo comparati, ut si acerbissimi aliquid pro eo perferrent, magni id ad Philosophiam momenti esse judicarent, diuturnisque jejuniis & humicubationibus, cæterisque corporis ærumnis, quas pro perpetuis deliciis habent, multò sublimius ac divinius.*

Egregium profectò Monachorum exemplum, Monachis,

Digitized by Google

chis, & Regularis vitæ sectatoribus omnibus proponendum, ut Episcopi defensionem Philosophiæ, id est, Monasticæ disciplinæ (sic enim Philosophiam non solùm Nazianz. verùm etiam Basil. & Chrys. vocitant) exercitiis præferant. Ut martyrii lauream Episcopi defensioni debitam credant, ut, quæ in odium Episcopi Catholici tormenta passuri sint, hæc ejusdem utilitatis esse arbitrentur, ac si in odium Christi cujus personam, Episcopus gerit, tolerent.

Quòd si tanta gloria, tanta merces tolerantiæ pro Episcopo uno esse credebatur; num æqualibus saltem præmiis eorum constantia coronanda, videretur, qui non pro uno tantum Episcopo, sed pro Episcopatu ipso retinendo decertassent? Et quoniam mentio facta est Athan. testatur ipse Athan. Apol. 2. testatur Sozom. lib. 4. cap. 8. & 9. quanta tormenta passi fuerunt Alexandrini fideles, dum Athanasium pro vero Pontifice habent, nec ejus damnationi subscribere volunt, dum adversus Imperatorem, ejus authoritatem tuentur, dum contra edicta hospitio excipiunt, occultant, fovent. Quæ omnia, dum pro ejus legitima authoritate tuenda, nulla persecutionis exinde recrudescentis formidine deterriti, tam libenter patiuntur, satis ostendunt, Episcopalem authoritatem, etiam hujus vel illius Martyrii subeundi materiam esse, & pro ea dira omnia esse subeunda.

Quàm facile, si ejusdem sententiæ fuissent cum adversariis hujus sæculi, Pontifices, pro Ecclesiæ pace Athanasii dejectioni ab Episcopali sede subscripsissent, & qui putassent, metu persecutionis acerbioris, Episcopatum etiam, esse prodendum, eodem metu, unum hominem de sua sede dejiciendum facilè consensissent. At contraria sententia apud Catholicos saltem melioris notæ obtinuit. Ideo ejecti in exilium Liberius Roman. Eusebius Versell. Lucifer Calarit. & alii plurimi flagellati, Pancratius Presbyt. & Hilarius Diacon. summi Pontificis legati, quòd subscribere ejus damnationi, nefarium ducerent, teste ipso Athan. Epist. ad sol. vit. agent. Severo lib. 2. Hist. Ruffino lib. 1. cap. 20. Theodor. lib. 2. cap. 16. Sozom. lib. 4. cap. 10. & aliis. Quis ergo rem

Digitized by Google

adeò minoris momenti existimatam, Episcopi creationem esse putet, ut pro ea persecutionis incrementum non dicam tolerari, sed nec expectari, quin etiam probabiliter ejus periculum suscipi debeat. Cùm è contra, totum orbem, pro unius Episcopi legitima auctoritate defendenda commotum, & in discrimen vitæ, ac fortunarum, furente in Athanas. Constantio, non ægrè deveniſſe videamus.

Innumera hujusmodi exempla sunt; meminiſſe enim possumus, quàm multas eodem tempore molestias, pro Paulo Constantinop. plebs ipsi subdita subierit, apud Theodoret. lib. 2. cap. 12. quàm varias postea Alexandrinis calamitates, Valentis imperatoris persecutio intulerit, occasione Petri Alexandrini, apud Socrat. lib. 4. c. 16. 17. 18. & 19. quàm sæva Cæsarienſis tulerit, pro Basilio, teste Nazianz. in laudem Baz. quàm dura Constantinopolitanus populus, ut à studio Episcopi sui Joannis Constantinop. abstraheretur, testibus ipso Chrysost. epist. ad Innocent. & Pallad. in ejus vita. Quanto ardore pro Eusebio Samosateno, adversus mandata Principis, retinendo, ejusdem civitatis plebs exarserit: quantas lachrymas ob ejus discessum fuderit, apud Theodoret. lib. 4. cap. 13. quanto animi zelo, quantaque constantia, circa Præsulem suum Ambrosium Mediolanenſis pia plebs, excubaret, parata potius mori, quàm Episcopum à se avelli pateretur, quemadmodum refert ipse Ambros. orat. contra Auxent. & lib. 2. epist. 13. *ad Marcellin. sororem.*

Nec desunt exempla scriptorum nostri temporis, qui meminerint, quantæ tragædiæ, in novo orbe, Gallis, Belgio, & alibi, excitatæ, adversus Episcopos, alioſque Eccleſiasticos doctrina & sanctitate radiantiſſimos, quæ malim viris piis, lugubri mente recolenda relinquere, quàm acriori ea calamo exaggerare, propter reverentiam Sedis Apostolicæ, quæ omnibus obedientiæ finceræ filiis meritò cordi esse debet.

Quæ omnia, aliaque plura, unius Chrysost. egregiâ istâ sententiâ concludimus, quam nempe protulit hom. II. in Epist. ad Ephes. *Existimatiſne, quæso, ſufficere, ſi dica-*

Digitized by Google

dicatur, quòd ſint orthodoxi: pereat autem & intereat rectorum electio, & quid juvat, ſi ea non ſit exacta & accurata, ſicut enim pro fide, ita etiam pro hac pugnandum eſt. An verò pro qualitate electionis, ut legitima & accurata ſit, æquè ac pro ſincerâ fide ſervandâ martyrium ſubeundum credidit Chryſoſt. & pro ejus ſubſtantia quocunque modo in Eccleſia retinenda, nec vitæ, nec fortunarum periculum incurrendum eſſe putaret? Certè ea fuit Chryſoſt. ſententia, ſicut pro fide, ita & pro Epiſcopali regimine atque electione, ad ſanguinis uſque effuſionem, eſſe certandum. Quod etiam confirmat epiſt. ad Epiſcopos & Presbyteros, ob pietatem in carcere incluſos, quos Martyres eſſe probat, quòd pro Epiſcopis cauſâ juſtâ decertarent.

CAPUT XIX.

Eadem excuſatio refellitur ratione deducta ex conſpiratione Capitis myſtici cum reliquis membris.

HUjus excuſationis refellendæ, plures ſunt rationes: I. quia dum pro Epiſcopo retinendo, fideles eniuntur, membrorum ſequuntur ordinem, & inſtinctum naturalem, quæ pro capite nullum periculum detrectant; ſi enim in corpore naturali, ea eſt membrorum pro capite conſpiratio, ut faciliùs ſe truncari, & lacerari ſinant, atque à corporis unitate divelli, quàm caput cædi, & à toto corpore abſcindi. Nonne eadem debet eſſe in corpore Myſtico, conſpiratio membrorum, pro capite, & pro Epiſcopo retinendo, ſi non hoc vel illo, ſaltem aliquo, populus omnis adnitatur, nullumque diſcrimen reformidet.

Eleganter ſanè Ambroſ. lib. 6. Hexam. cap. 9. Ubi capitis humani perfectionem deſcripſiſſet, ſubdidit, *Non immeritò igitur huic quaſi conſultori ſuo, cætera membra famulantur, & circumferunt illud ſervili geſtamine, ſicut numen atque in ſublime locatum vehunt. Unde cenſori à poteſtate, quo vult dirigit, obſequia ſervulorum, & præcepta ſin-*

Digitized by Google

gulis, pheunda decernit. Videns imperatori suo singula gratuito stipendia militare, alia portant, alia pascunt, alia defendunt, & ministerium suum exhibent. Quæ omnia, si Ecclesiæ mysticis capitibus, id est, Episcopis, quo scilicet nomine donantur à Naz. epist. 225. Theod. Episcopo Thyan. Chrysost. hom. 20. ad popul. Antioch. Auth. oper. imperf. in Math. hom. 42. apud Chrys. & aliis passim, applicaveris, facilè colliges, Ecclesiæ membrorum officium esse, Episcopi non solum personam, sed maximè statum & dignitatem, etiam cum dispendio bonorum, & vitæ tueri.

Huc refer præceptum Christi Domini, Matth. 10. *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ*: in eo enim serpentis prudentia præsertim commendatur, quòd, si credamus Bas. in Psalm. 48 Ambr. lib. 9. in Luc. Hieron. in cap. cit. Matth. Chrys. serm. de Pentec. & hom. 4. ad Antiochens. Aug. lib. quæst. ex Matth. c. 8. & l. 2. de doctr. Christ. cap. 16 Cæsar. Dial. 4. & aliis. Serpentes, corpore occultant caput & pro capite objiciunt ferientibus, illud membrorum suorum dispendio servare non dubitantes, in quo vitæ ptincipium potissimum est. Quo quidem serpentis exemplo dici possunt, à Christo moniti Christiani, ut quandoquidem in Præsulibus, tanquam capitibus Ecclesiæ, ac vitæ spiritalis motio præsertim consistit, pro ipsorum conservatione, se suaque libenter exponant, & se perire malint, quàm Ecclesiasticum corpus sine capite diu tanquam truncum manere.

Quòd si placet accuratius, capitis cum Episcopo comparationem instituere, & ex ea comparatione, quanta mala sint, quæ Ecclesiæ Episcopo viduatæ accidant, judicare: ut deinde colligas, non imprudenter facturos istos, qui pro avertendis ab Ecclesia tot malis, mortem ipsam subire non renuerint, audi primum Ambros. de capitis dignitate ita differentem: *In capite arboris, omnis est fructus, ibi omnis est pulchritudo: tolle arbori comam, tota arbor ingrata est. Quanto igitur major, humani capitis ornatus est, qui cerebrum nostrum, hoc est, sedem originemque nostrorum sensuum capillis capitis nostri munit & vestit, ne*

aut

Digitized by Google

aut frigore vexetur, aut æstu? Illic enim fons universorum est: & ideo ubi injuria nocet, ibi gratia præeminet. Quid sine capite est homo, cùm totus in capite sit? cùm caput videris, hominem agnoscis, si caput desit, nulla agnitio esse potest, jacet truncus sine honore, sine nomine. Audi August. in Psalm. 29. *Multum interest inter caput, & cætera membra: etenim in cæteris membris non sentis nisi tactu. Tangendo sentis in cæteris membris: in capite autem & vides, & audis, & olfacis, & gustas.*

Jam verò hæc Episcopis applicat, ab iis Ecclesiæ pulchritudo & venustas, quia ab iis ordo, sine quo nulla rebus pulchritudo vel venustas accedit, teste Nazianz. orat. 26. tolle Episcopum quid nisi confusio? videbis Presbyteros, sed dignitate pares: *Ordo verò parium est, mistarumque rerum sua cuique loca tribuens dispositio:* Ut à Magistro accepi, lib. 19. de civ. cap. 13. Presbyterium itaque sine Episcopo, confusio erit, corpus ordinatum non erit: ubi autem ordo non est, nec pax est, nam ut ibidem dicitur, *pax corporis, est ordinata temperatura partium; pax animæ irrationalis, ordinata requies appetitionum, & pax hominum ordinata concordia, pax domus, ordinata imperandi atque obediendi concordia cohabitantium: pax civitatis, ordinata imperandi atque obediendi concordia civium, pax omnium rerum tranquillitas ordinis.* Videbis Presbyteros, sed sine principatu, qui nec imperare possunt, nec quibus populi parere debeant: quos nec populi audire, nec qui populos vicissim pascere, iisque prædicare teneantur.

Qualis autem esse potest membrorum connexio, ubi nec mutua officia sibi membra rependere debent, nec strictâ sibi ullâ necessitudine alligantur, ubi autem partium connexio non est, nec unitas est. Itaque homines ita conviventes, non corpus unum dixeris, sed inconditam multitudinem, informem, invenustam. Cujus argumenti monuit me Isid. Pelus. dum lib. 2. epist. 216. Dionys. cuidam hoc scribit: *Siquidem ubique molestissima res est sublatio principatus, confusionisque ac perturbationis causa. Quò etiam fit, ut ne in corpore quidem, quod unum est, pari dignitate omnia sint, verum ex membris alia præsint, alia sub-*

Digitized by Google

sint. Quocirca rem ipsam potestatem, inquam, hoc est, imperium & regnum à Deo formatum atque institutum esse, profitendum est, ut ne ornatus sui statum inornatum degeneret. Nonne verò pro hac Ecclesiæ venustate, pulcritudine, ordine, unitate retinendis, membris Ecclesiæ mori glorioſum erit? nonne ſalutare? nonne etiam neceſſarium? certè millies Aug. pro Eccleſiæ unitate occumbendum docuit, & æquè ac pro fidei veritate decertandum.

Sed proſequamur cætera, quem putas eſſe Epiſcopum, niſi caput Eccleſiæ, quem ſublimiori loco conſtitutum novimus, quia ab ipſo in alios poteſtas derivatur, unde & ſummus Sacerdos dicitur, quia cùm cæteri partem habeant Eccleſiaſticarum functionum, ipſe omnes eminentius poſſidet: unde ait Ambroſ. in cap 4. ad Epheſ. *In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt.* Tantum ergo Eccleſiæ ornamentum, quo nullum majus aut præſtantius apud nos à Nazian. dicitur, orat. 1. pro virili Eccleſiæ quiſque ſuæ aſſerere, fovere debet, ne ſi capitis defenſionem negligat, corporis, cujus pars eſt, nullam curam geſſiſſe videatur.

Abſque Epiſcopo, nulla Eccleſiarum diſtinctio eſt, ab Epiſcopo ſuas illæ diſtinctiones & prærogativas habent, civitatum, pagorum, villarum, totius orbis nulla diſtinctio eſt ſublata Epiſcopali dignitate, à qua ſcilicet Epiſcopales urbes habent, ut à non Epiſcopalibus, puræ Epiſcopales, ut ab Archiepiſcopalibus, vel majori aliqua dignitate præditis, & Eccleſiæ ſingulæ, ſuarum Diœceſeon finibus limitibuſque, & Provinciarum juribus ſeparentur. Hæc omnia ſi ſuſtuleris, quid niſi rude & indigeſtum chaos, tota Eccleſia fuerit? Tolle Epiſcoporum ordinationes, quomodo Eccleſiarum, quæ per Epiſcopos ab Apoſtolis decurrit, ſucceſſio innoteſcet? eáque Catholicarum Eccleſiarum notâ veras à ſpuriis & adulterinis dignoſces? Quidni ergo & pro hac pulchritudine Eccleſiæ, ex partium ejus diſtinctione proveniente, pro prædicta veræ Eccleſiæ nota aſſerenda, benè erga Eccleſiam affectus fidelis, mortem oppetere dici debeat pro cujus pulchritudine & venuſtate, Chriſtus ipſe mortuus eſt.

Adde

Adde etiam, juxta eandem comparationem, Aug. in Psalm 139. ex eo, quòd non potest dici, *corpus, ubi caput nullum est*, probare, Christum non futurum caput, nisi foret Ecclesia: Auth. verò oper. imperf. in Matth. hom. 42. cit. Ecclesiam sine Pastoribus esse non posse, *quia nec membra, sine capite, nec caput, sine membris, esse potest.* Ac proinde colligere licere, non futurum corpus aliquod, cujus fideles sint membra, nisi Episcopum voto saltem habeant, & Episcopalem statum retineant, & licèt actu Episcopo aliquando careant, in proxima tamen ad eum potentia videantur, retenta etiam Episcopalis gubernationis forma, quemadmodum supra explicuimus, satiùs esse unum, vel multos perire, quàm unitatem: pro unitate singulis obeundum, quia Ecclesiæ unitas singulos salvat: & Ecclesiam odio habent, qui ejus unitatem oderunt.

CAPUT XX.

Eadem excusatio refellitur aliis Rationibus.

ALtera ratio: quia non minor est obligatio uniusque fidelis, vel Ecclesiæ, ad servandam acceptam à majoribus, & institutam à Christo cujuscunque Ecclesiæ gubernationem, statum & ordinem, quam sit unius cujusque civitatis, provinciæ, aut regni, ad retinendum, servandumque statum regiminis, quem à majoribus institutum accepit. Quam propositionem per se quidem notam, Aug. confirmat lib. 5. de civit. cap. 18. fructuosiùs pro prædicatione Christi, & Ecclesiæ defensione ac legibus Christi pati, asserens, quod fecerunt Christiani, quàm pro statu patriæ suæ, quod olim fecerunt Romani. Atqui obligatur unusquisque civis, etiam cum periculo mortis, ut unaquæque natio, ad eum statum regiminis servandum, (verbi gratia regium) quem à majoribus accepit; ad servandas leges istas, quas *fundamentales* vocant, qualis, verbi gratia, lex Franciæ, ut regnum ad mares, & ad primogenitos, natalium jure transmittatur: pro iis

Digitized by Google

acriter certatur, pugnatur, vincitur, laudantur qui leges istas fortiter ac generosè propugnant; vituperantur, qui commoda propria, imò & vitam ipsam, eorum tuitioni præponunt. Hæc si propter periculum vitæ, aut jacturæ bonorum negligi, violari possunt, infida omnia apud populos erunt; nutabunt brevi omnia imperia, facinorosis & perturbatoribus publicæ quietis, nemo obviam ibit, súsque déque omnia futura sunt. Igitur & pro Episcopali statu, non immutando, sed retinendo, dura omnia perpeti, etiam mortem oppetere oportet.

III. Ratio: quia commune bonum præferendum privato: atqui non est dubium, quin bonum Ecclesiæ publicum exigat, ut creentur aliqui Episcopi, quemadmodum ex prædictis colligere est, quod utique confirmat Naz. epist. 22. ad Cæsarienſ. patris nomine scriptâ, quâ in Episcopi electione, negotium Ecclesiæ agi offendit, eò quòd lucerna Ecclesiæ sit Episcopus, quo rectè se habente, totam Ecclesiam lucere necessum sit, secùs verò minimè; quâ proinde etiam exstincta concludere possumus Ecclesiam tenebrosa caligine obsitam fore. Ergo nemo est, qui non propria commoda, vitamque suam, Episcoporum creationi atque admissioni, quæ publicum Ecclesiæ bonum est, postponere debeat.

IV. Quia bona spiritualia præferri debent corporalibus, ideóque substractio bonorum spiritalium, quæ quibusdam Ecclesiæ membris necessaria sunt, plus timeri debet, quàm persecutionis acerbitas, per quam directè nobis auferuntur sola externa fortunæ bona, aut vita ipsa temporalis eripitur: atqui sublatio Episcopi, & ipsa spiritale malum est, & multa spiritalia mala, per se directè importat, putà prostrationem disciplinæ, libertatem peccandi, correptionum & paternarum correctionum ac medicinalium censurarum privationem, gratiæ Sacramenti Confirmationis defectum, sine qua plurimos prosternendos certum est, quos illa gratia præservasset à lapsu, constantésque reddidisset in fide.

Igitur tota Ecclesia, quæ singulis debet membris consulere, mala que spiritalia avertere, & bona providere, etiam cum persecutionis exacerbandæ metu, pro Episcopi

Digitized by Google

pi restitutione debet eniti: Ecclesia utique tunc temporis, præ oculis habere debet illam egregiam Aug. sententiam, epist. ad Honorat. 180 *Magis timeamus, ne oves Christi spiritalis nequitiæ gladio, in corde, quàm ne ferro in corpore trucidentur, ubi quandocunque quocunque mortis genere morituri sunt: magis timeamus, ne sensu interiori corrupto pereat castitas fidei, quàm ne feminæ violenter constuprentur in carne: quia violentiâ non violatur pudicitia, si mente servatur; magis timeamus, ne lapides vivi exstinguantur, deferentibus nobis, quàm ne lapides, & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis: magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spiritali victu, necentur, quàm membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur.*

V. Unica Jurisdictionis Ecclesiæ retinendæ, ac disciplinæ in Ecclesia fovendæ, causa sufficiens Martyrii esse potest, pro cujus vigore servando, & Episcopos mortem oppetere debere, & martyrii gloriam à fratribus, ob disciplinæ tuitionem sperare posse ait Cyprian. epist. 55 docens, *nihil interesse quis tradat, aut sæviat, cum tradi permittat, quos disponit coronari.* Quòd si pro honore Ecclesiæ, & servandis aliqua ex parte, Ecclesiasticæ jurisdictionis privilegiis, & immunitatibus Clericorum, occisos quosdam Martyres, Ecclesia colit; quidni & isti Martyres dicendi, qui pro retinenda in Ecclesia, integrâ jurisdictione & Episcopalis censuræ disciplina, ad mortem usque decertant? Ad vos Catholicæ fidei defensores, verba mea converto, iisdemque quibus olim Cypr. Africanos Martyres affatus est, ep. II. verbis compello, *sollicitudo loci nostri, & timor Domini compellit, fortissimi ac beatissimi Martyres, admonere vos, ut à quibus tam devotè & fortiter servatur fides Domino, ab iisdem lex quoque & disciplina Domini reservetur. Nam cum omnes milites Christi, custodire oporteat præcepta Imperatoris sui: tum vos magis præceptis suis obtemperare plus convenit, qui exemplum cæteris facti estis; & virtutis & timoris Dei: visitamur enim & fustigamur frequenter, & ut in nobis Domini mandata incorrupta, & inviolata permaneant, admonemur. Quod quidem, nec illic apud vos cessare cognosco, quominus pluri-*

Digitized by Google

mos quoque & vobis instruat ad Ecclesiæ disciplinam Divino censura.

Hæc Cyprian. dehortari volens illos, à lapsorum communione, quam quidam eorum, nimis ardenter & præmaturè dandum ab Episcopo postulabant: quid verò adversus eos diceret, qui omnem, ingruente persecutione, disciplinam, coercitionem omnem supervacaneam, imò & noxiam censent? qui nullâ adhibitâ discretione, communionem omnibus laxandam scribunt? qui in pacis tempora, coercitionem rejiciunt? cùm è contra Cypr. severitatem persecutionis tempore perseverare vellet, indulgentiam in pacata tempora rejiceret, *ut ante à Domino pacem mater prior sumat, quàm de filiorum pace tractetur.*

Optat eadem epist. S. Doctor, ut Martyres, *fidei ac disciplinæ congruentes literas dirigant.* Idem nostrum votum est, ait Hallier Doctor Sorbonic. ut qui videri volunt Martyres, fidei ac disciplinæ congruentia scribant, nec disciplinam, tempore persecutionis, convelli; Episcopalem statum, ejusdem metu subverti, censuram omnem tolli debere suadeant: nec fidei sinceritatem tenentes, nec Ecclesiæ unitatem, nec Dei præcepta, nec Christi disciplinam. Adversus istos, inquit, admonitio mea in Vindiciis militat, *Qui dum fidei professores, audire volunt, & Martyres, & persecutionis, acerbitatem, Episcopalis dignitatis expulsione, lenire se velle fingunt, tam pretioso scilicet sanguini exugendo, vulneribus suis applicant spongias, prius tamen alieno sanguine cruentatas.* Quibus verbis, non veros à se notatos Angliæ martyres, refert, sed eos, qui martyres non essent, & haberi vellent, qui impugnarent Episcopalem dignitatem, spongias maledicas scriberent, è Flandria libros dictarent, ac si in Anglia versarentur. Ita ille.

V I. Quia vel ipsius Sacramenti Confirmationis sufficiens causa esse potest, propter quam subeatur Martyrium, & Episcopus cum periculo persecutionis expetatur Testis hujus veritatis luculentissimus Augustinus pro Sacramentorum, & nominatim Confirmationis (quam signum Christi nominat) conservatione, Martyrium & tolera-

Digitized by Google

tolerari laudabiliter, & necessariò susci pi probana. Sic enim argumentatur lib. 19. contra Faust. c. 14. *veruntamen, si antiqui justi, qui Sacramentis illis intelligebant venturam prænuntiari revelationem fidei, ex qua licèt adhuc operta & abstondita, munere tamen pietatis intellecta, etiam tunc ipsi vivebant, quia in hac vita nemo potest esse justus, nisi qui ex fide vivit. Si ergo antiqui justi, pro illis prænuntiatis sacramentis, & rerum nondum impletarum figuris, omnia dura & horrenda perpeti parati fuerunt, & plerique perpessi sunt. Si tres pueros, Danielemque prædicamus, quia de mensa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis sacramentum: si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus qui escas, quibus nunc Christiani licitè utuntur, attingere noluerunt: quia tunc pro tempore prophetico non licebat; quantò magis nunc pro Baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus, cùm illæ fuerint promissiones rerum complendarum, hæc sint indicia completarum.* Quam etiam probationem prosequitur lib. 32. contra eund. cap. 14. dicens, *Quemadmodum enim tunc justi viri, qui pro illis Sacramentis nec mortem recusaverunt, jure laudantur, ita nunc pro istis Martyres Sancti.*

CAPUT XXI.

Confirmatio præcedentis doctrinæ.

ET confirmatur hæc doctrina, I. nam si vel cum ipso vitæ periculo ornatum Altarium, vestium Ecclesiasticarum apparatum ad Sacrificium, cæteraque id genus observantias, custodire, religiosum dicimus, quanto magis Sacramentum divinæ institutionis servare, cum vitæ discrimine religiosum ducemus? Nefas olim visum est, divinos libros impiis comburendos tradere, & *traditores* appellati, qui tradidissent, ut variis adversus Donatistas libris docuerunt Aug. & Optat. Nefas duxit Ecclesia, imaginum sacrarum dejectione, sibi pacem emere, persecutionem pati maluit, eamque duram & atrocem, ab imperatoribus Iconomachis, quàm religiosum, & à majoribus tradi-

tum

Digitized by Google

tum usum, licèt minùs ad salutem necessarium deferere. Quidni similiter nefarium censeat Ecclesia, minitantibus persecutionem Principibus, nisi Episcopos rejiciat, formam Episcopalis regiminis respuat, disciplinam ecclesiasticam funditùs tollat, aut nisi Sacramenti alicujus mandatum spernat, institutionem Christi negligat, & plenitudinem Spiritus S., quam Confirmationis Sacramento conferri credimus, contemnat, nefarium, inquam, censeat tyrannorum minis cedere, & inhonesta conditione tranquillitatem vel pacisci vel promereri.

Confirmatur hæc doctrina, II. nam Sacramentum Confirmationis, quod tanquam remedium, adversus persecutionem præcipue institutum est, nec persecutionis tempore minimè expedire dici potest, nisi Divinam providentiam incusemus; quasi minimè consentanea media instituerit, nec metu persecutionis ab Ecclesia auferri debet: ne similiter eandem Divinam providentiam incusemus, & persecutoribus Ecclesiæ nimiam in Sacramenta potestatem tradamus: etenim nulla ferè persecutio fuit, quæ non adversus Episcopos præsertim excitata fuerit: ac proinde, quæ non adversus Sacramentum Confirmationis, cujus soli Episcopi ministri sunt ordinarii indicta fuisse videatur; parum autem providus fuisset Deus, si illud contra persecutionis remedium adhibuisset, putà ad fidei constantiam, in persecutione retinendam, quod remedium vix unquam persecutionis tempore, sublatis scilicet Episcopis, haberi potuisset: ideóque nunquam Deus hoc Sacramentum Episcopis addixisset, in quos sciebat, persecutionem præsertim commovendam, si eo tempore, propter solam suspicionem periculi, vel propter imminens periculum, & ipsos fugandos, atque expellendos voluisset. De imbecillo quoque remedio providisset, quod nobis, sola comminatione persecutor eripere posset.

Itane Deus, adversus persecutionem remedium tam leve, tamque exigui momenti, statuit, ut si illud persecutor auferre voluerit, sufficiat, persecutionis incrementum comminari, statimque debeant Catholici, istâ solâ comminatione deterriti, Divinam istam medelam dese-

Digitized by Google

deserere, & se Divino beneficio privare, & Episcopos illius largitores, rejicere? quis hoc credat? Quare contra Divinam providentiam, & Sacramenti confirmationis fructum, atque dignitatem disputant, qui metu incrementi persecutionis, & Sacramentum Confirmationis abjiciendum; & Episcopos illius ordinarios ministros minimè recipiendos; imò eo tempore minimè expedire, scribunt, ac proinde, nec expedire Sacramentum Confirmationis asserere consentaneè debent, quod tamen pro hoc præsertim tempore institutum est. Vide latius tractatum nostrum de Sacram. Confirmation. jussu Episcopi Trallens. Vic. Apostol. editum anno 1658. Antwerp.

CAPUT XXII.

Quædam adversariorum objectiones refelluntur.

NEc obstant adversariorum objectiones aliquæ, apud Nicol. Smith. pro ista exceptione, quæst. 4. discuss. 1. siquidem, quod etiam ex persecutionis acerbitate, ruina plurimorum contingat, facilè refellitur. Tum quia per accidens solùm ex persecutionis recrudescentis incremento, oritur spiritalis quorundam ruina; per se verò ex defectu auxiliorum, quæ à Christo ad hunc casum avertendum per se, & tanquam propria ac proportionata remedia destinata fuerant, hominem spiritualiter cadere contingit: atqui in eligendo, vel fugiendo eorum, quæ per accidens contingunt, ratio haberi non debet. Alioqui & Sacramenta omnia, & Sacrificium Missæ, & ceremoniæ quævis, & constitutiones legesque Ecclesiasticæ ac Divinæ, cæteraque sacra ac pophana, quantumvis bona, honesta, ac necessaria subvertenda concludi possent. Quia nihil eorum tam sacrum, tam utile, tam salutare est, ex quo non per accidens malum aliquod sequi possit: immò, quò nobilior est virtus, & ad majorem provecta gradum, eò majus periculum habenti per accidens procreat, nesui admiratione animus

Digitized by Google

animus efferatur, & ſuperbia habita bona corrumpat.

Igitur quamvis per accidens ex perſecutione plurimorum ruina timeatur, non eximitur tamen Eccleſia ab obligatione, quâ ad providendum ſingulis de remediis à Chriſto inſtitutis adſtringitur, defectu quorum per ſe aliquid perire contingat: ſicut nec eximitur Paſtor ab obligatione prædicandi quibuſdam, quibus neceſſarium fuerit verbum Dei, aliaque impertiendi ſpiritualia ſalutis ſubſidia, quamvis per accidens aliorum invidia naſcatur, contemptus ſacrorum oriatur, obduratio ſequatur.

Tum quia ſi una ex parte damna Spiritalia, quæ quibuſdam ex perſecutione proveniunt, cum iis conferantur, quæ ex tranquillitate Eccleſiæ oriuntur non minora utique hæc quàm illa reperientur, teſtibus ſanctiſſimis Eccleſiæ P P. Tert. lib. ad Scapul. in fin. & Apologet. cap. ult. Juſtin. Mart. lib. de ve. relig Cypr. lib. de lapſ. Hilar. epiſt. ad Auxent. & lib. 7. de Trinit. Nazianz. orat. 1. 3. & 23. Ambroſ. lib. 6. in Luc. cap. 9. Hieron. epiſt. 62. ad Theoph. & de vit. Malchi, & Chryſoſt. homil. 3. in cap. 1. Act. & lib. de S. Babyl. adverſus Gentil. circa med. Leon. 1. ſerm. de S. Laurent. & aliis paſſim.

Itaque tam Spiritalibus damnis, quàm bonis, quæ ſive ex perſecutione, ſive ex tranquillitate Eccleſiæ per accidens oriuntur, ſepoſitis, quæſtio iſta diſputanda eſt, ſoláque ea penſanda ſunt, quæ per ſe ex ſublatione Confirmationis Sacramenti, vel ex perſecutione accidunt. Quam expendendi rationem ſi ineamus, damna ſolùm corporalia, ex perſecutione ſequi animadvertemus, ſpiritalia verò, ex defectu Sacramenti Confirmationis accidere. Ideóque maius ex defectu Confirmationis periculum, quàm ex perſecutione per ſe ingruere reperientes, minoris utique perſecutionem momenti eſſe credemus, quàm ut à procurando Sacramento Confirmationis avertere nos debeat.

Altera objectio, quod ex creatione Epiſcopi, plus incommodi ſpiritalis venerit ad Catholicos in commune, per diſcordias, & crebras charitatis injurias, quàm ceperint

Digitized by Google

ceperint emolumenti, ex solo Confirmationis Sacramento paucis oblato; pluréſque in periculum defectionis per has dissensiones, quàm per dicti Sacramenti carentiam fuerint adducti. Altera, inquam, ista objectio, cum injuria & contumelia Sacramenti Confirmationis, & Episcopalis dignitatis profertur. Quid enim opus erat dissensionum & discordiarum inter Catholicos meminisse, quæ ad Sacramenti Confirmationis administrationem nullatenus spectabant, ut ejusdem Sacramenti ex istis dissensionibus necessitas elevaretur?

Quasi verò admisso Episcopo, ad Sacramenti Confirmationis collationem, illicò discordias & dissensiones inter Catholicos excitari, necessum sit; quasi discordiæ fax Episcopus, quem è contra Hieron. epist. 83. & 85. ad Ocean. ut Schismatis & dissensionis tolleretur occasio, constitutum scribit, quem cæteri antiqui P P. Ecclesiasticæ communionis vinculum, dissensionis exterminium, pacis nuntium agnoscunt: quasi verò Sacramentum Confirmationis, cui ex adverso fidelium aggregationem, & in unum collectionem tanquam effectum proprium & singularem Aug. in Psalm 132. & Arnob. in eund. attribuunt, discordias & dissensiones naturâ suâ pariat, non potiùs extinguat. Certè simuli argumento, Baptismatis extinctio persuaderi potuisset, vel saltem Ecclesiasticicis ministris denegari debuisset; utpote cùm ex ipsorum majori vel minori dignitate, inter primitivæ Ecclesiæ fideles dissensionis occasiones teste ipso S. Paulo 1. Cor. 1. & 3. nascerentur.

Eodem argumento tolli debuit ministerium Ecclesiasticum circa mensas, ob quod inter Hebræos & Græcos murmur fuisse, sub initia Ecclesiæ referunt Acta Apostol. 6. cap. Exterminari debuit ipsa prædicatio Evangelii, quia ad Philip. 1. leguntur quidam fratres ex contentione Christum annuntiasse, existimantes se pressuram facere vinculis Pauli. Tollenda omnis correctio Ecclesiastica & castigatio, & nervus Ecclesiasticæ disciplinæ concidendus, quia nempe dissensiones exinde & simultates aliquando accidunt, & ita *quod mali jure atque æquitate non possunt, temeritate ac desperatione perficient.* Quod extre-

Digitized by Google

extremam Ecclesiæ atque Ecclesiasticæ gubernationi cladem allaturum; ac proinde vitandum monet Cypr. epist. 55. Cornel.

Rectè utique sentientibus, aliud agendum est; corrigenda siquidem nobis est malitia nostra, quæ est opus Diaboli, non propter eam Episcopi institutio removenda, quæ est opus Dei. Tollenda dissensio, quam immisit Diabolus: procurandus Episcopus, quem instituit Christus: frustra prætexitur adversus Episcopum dissensio voluntaria, quæ si tanti momenti esse censetur, ut ad eam evitandam, & status Episcopalis à Christo institutus deserendus, & Divini Sacramenti receptio, haud dubiè saltem utilissima, omittenda sit.

Quantò potiùs ad ipsam avertendam, privilegiorum quorundam de quorum & concessione & utilitate dubitatur, usus est cedendus: quem tamen, si cedere adversariis in tanta necessitate non placet, saltem patiantur cæteros nolle Episcopatum hujus rei gratiâ prodere, & divinitus institutum Sacramentum negligere: servata charitate aliud sentiant, quod cæteri, & de sua prærogativa contendant: non autem ad dissensionem istam tollendam Episcopatus dignitatem, & Sacramenti institutionem everti curent; quæ scilicet dissensio, vel Ecclesiæ nihil præjudicat, si cum charitate, servataque debita moderatione suscipitur: vel si præjudicat, malâ utique contendentium voluntate præjudicat. Cui etiam sine sui juris cessione mederi possent, si compositis ad quietem animis sine invidia, æmulatione & rancore sua jura prosequerentur.

CAPUT XXIII.

Solvuntur aliæ objectiones adversariorum.

NEque movere quemquam debent alia, quæ pariter adversarii objiciunt, straminea utique & futilia, adversus Episcopalis status, & Sacramenti Confirmationis necessitatem, ea ex Smith. loc. cit. eruimus.

I. Religiosum statum, plenitudinem Christiani nominis

minis cumulatius conferre, nec minùs roboris conferre ad persecutiones invicto pectore excipiendas, quàm sola Confirmationis susceptio; neque tamen culpâ vacaturum eum, qui ejus suscipiendi obligationem, quæcunque tandem persecutio supra caput esset, comminisceretur.

II. Baptismum præ reliquis omnibus Sacramentis maximè necessarium, cùm haberi ipse nequit, supplere mortem in fidei causa obitam: persecutionem verò quàm proximè accedere ad martyrium lentamq; mortem nuncupari posse: sperare proinde par esse de Dei bonitate, quòd Sacramento Confirmationis fideles carentes, quo absque insigni calamitatum suarum accessione, frui integrum non est, ejus fructu non careant: sed Divina providentia efficiat, ut eadem tribulatio vulnus sit & medela. Præsertim cùm ita animo affecti sint, ut si scirent, ad maiorem Dei gloriam, & animarum emolumentum cedere, quòd Episcopus propter Sacramentum Confirmationis, haberetur, fortunas, libertatem ac vitam non cunctanter, sicut pro aliis rebus, cuivis discrimini objicerent.

III. Quia atrociſſima aliquando incubuit persecutio, in qua sine Sacramento Confirmationis armati plurimi constanter ad prælium pro fide defendenda descenderunt, quibus jam recepto Sacramento Confirmationis, vix pares plurimi exstiterunt.

IV. Quia paucis confirmandis Episcopus sufficeret, tantula proinde utilitas, tanto damno vix emenda est.

V. Quia Episcopi potiùs creatio in damnum plurimorum cessit, ob dissensiones & dissidia exinde exorta.

VI. Denique, inquiunt, licèt totum nobis daretur, plusquam etiam justè postulare possemus, adhuc tamen propositum non evinceretur, donec probaretur, quod probatu impossibile, nimirum nostram hanc opinionem, quam ante Kellisonum, nemo prælo mandavit, adeò claram evidentiæ & certitudinis suæ lucem ingerere, ut contrariæ tanquam omnis verisimilitudinis inani, tenebras offundat. Quod nisi fecerimus; religioni sibi non

 ducent,

Digitized by Google

ducent, tanquam in conscientia tuti Catholici bona, libertatemque suam alteri magis necessariæ, ac exoratæ causæ reservare: conformando se oppositæ nostræ sententiæ.

Resp. I. argumenta ista ferè omnia directè scopum non attingere, utrum scilicet propter persecutionis metum ferendum sit, tolli ab Ecclesia satis ampla, & diffusa, tam Episcopalem statum, quàm Sacramentum Confirmationis, absque eo, quòd utrumque procuremus; imò ita potiùs, ut stante vel per plurima tempora eo statu, illa oblata, respuamus. Hoc est, quod jam in controversiam adducitur, allatæ verò rationes adversariorum solùm probant, aliquos à Sacramento Confirmationis abstinere posse, & se ejus fructu privare persecutionis evitandæ metu: quæ quæstio à posteriori diversa est, ut alibi fusè ostendimus, & forsan aliàs copiosè ostendemus, vide tractatum nostrum de Sacramento Confirmationis specialiter editum.

II. Resp. ea omnia tendere ad contemptum Sacramenti Confirmationis, ejusq; neglectum ingenerandum.

III. Iisdem ferè argumentis, si quam vim habeant, probari quoque posse, carentiâ Sacrificii Missæ, cæterorumque Sacramentorum & ceremoniarum sacrarum, licere pacem ab impiis persecutoribus redimere, quod non arbitror adversarios admissuros.

IV. Singula quoque ista argumenta inermia, & imbecilla, adversus assertionem nostram tela videri.

I. Quidem argumentum quod ad prior. part. attinet, jam dudum solutum est ab Albert. Magn. in 4. dist. 7. art. 1. in solut. ad instant. *Jam contra*, contra resp. ad 1. docente, *quod aliter est in gratiis ordinatis ad meritum, quales sunt in virtutibus & donis, & beatitudinibus, & aliter in gratiis sacramentali, quæ ordinatur ad defectum ex peccato provenientem: Quia illa dant plenitudinem copiæ mutantem statum personæ; sicut alius est status servantis consilia, & alius est status servantis præcepta tantùm: sed illa, quæ sunt in Sacramentis, expellunt peccatum in quocunque statu, vel defectum ex statu provenientem: & ideo sine illis non est plenitudo simpliciter ordinata ad salutem, vel ordinans:*

Unde

Digitized by Google

Unde gratia Sacramentalis magis pertinet ad plenitudinem salutis Christianæ, quàm gratia perfectionis in consiliis & supererogationis.

Quod clarius alii explicant dicentes, statum religiosum non esse à Deo institutum, pro quolibet genere hominum, statumque Episcopalem, pro qualibet Ecclesia institutum esse, Sacramentum Confirmationis pro singulis hominibus perficiendis institutum. Ideoque unumquemque fidelem Sacramentum confirmationis, non religiosum statum expetere, unumquemq; pro Ecclesiæ statu Episcopali servando pro virili decertare debere. Quandoquidem unicuique id expetendum sit, quod in ipsius gratiam Deus instituerit, pro eo statu fovendo pugnandum, quem Deus instituerit.

Quo ad posterior. verò part. minimè convenientem continet, & à proposito alienam comparationem, Sacramenti Confirmationis, ac status Religiosi, præsertim eâ rerum conditione, quæ grassante persecutione vigere solet. I. Enim minimè congruum est, quo ad vim producendi proprium effectum, quem ex opere operato, per se & directè Confirmatio confert, eidem æquiparare statum aliquem, qui nec directè, nec per se, nec ex opere operato, ad eundem effectum refertur, nec ad ulla bona opera vim ullam per se largitur, sed solùm obligationem affert, à qua multi quotidie deficiunt, & deficere singuli possunt: maximè cùm & ad corporalem exercitationem, quæ secundum Apostolum *modicum prodest*, 1. ad Tim. 4. atque instrumenta perfectionis potiùs, quàm ipsam perfectionem status, hujusmodi obligationem inducat.

E contra verò, Sacramentum Confirmationis gratiam roborantem, de qua sermo est, per se infallibiliter, ex Divina institutione sublato obice producat. Ideóque rectè facultas Paris. propositionem Author. Censur. propos. lib. Smith. de Sacram. Confirm. *In quantum continet comparationem, & inducere videtur paritatem status religiosi, & Sacramenti Confirmationis, ad fortem reddendum in persecutione hominem, falsam esse & temerariam*, utpote quæ nullo unquam auctori in mentem venerit, pro-

Digitized by Google

nuntiavit, aliaque in eadem propositione, quorum redargutio ab instituto nostro aliena est, non minori censurâ digna observavit, quæ nos prætereundo silemus.

Sed præsenti argumento ac loco, maximè dissentanea est ista oratio: quorsum enim mentio religiosi status pro supplendo Sacramento Confirmationis, cui statui, nec nisi pauci adnumerari possunt: nec ulli nisi pauciſſimi, unus scilicet aut alter, non donati Sacramento Confirmationis, adcenserentur? Quorsum media status religiosi adeo jactantur, ut Sacramentum Confirmationis suppleant, præsertim cùm ubi Sacramentum istud supplendum est, eadem persecutio, quæ Episcopi munia impedit, multò magis, regularis exercitationis, quibus sæculari statui præcellit, victus scilicet & vestitus austeritatem, obedientiæ domesticæ necessitatem, propriorum possidendorum renuntiationis usum, vitæ communis ducendæ rationem, aliaque ejusmodi sancta subsidia omnia tollat.

CAPUT XXIV.

Cæterorum argumentorum futilitas demonstratur.

ALterum argumentum etiam extra rem est, nisi fortè & Baptismum persecutionis metu atque omnia proinde Sacramenta, & Christianæ Religionis officia subverti, fas esse, adversarii velint, quod omnino impium est: fatendum sanè Baptismum, cùm commodè haberi non potest, suppleri per mortem, in fidei causa subitam. Nec dubium, eandem mortem pro Christo obitam etiam cætera Sacramenta supplere posse. Fatebor etiam amplius, bonorum temporalium jacturam, aliaque pro Christo incommoda patienter lata, animæ salutaria esse, & à Deo gratias impetrare posse non exiguas, quibus animus ad fidei Christianæ professionem roboretur.

Sed addo, ut patienter istæ calamitates, pro Christo ferantur,

Digitized by Google

ferantur nullum per se medium peculiare nobis, præter Sacramentum Confirmationis, relictum esse: ne quidem ipsam pro Christo patiendi voluntatem, quæ aliquando animis nostris, per Divinam gratiam insederit, medium esse institutum, ad hoc, ut quotiescunque opus fuerit, auxilia ad iterum patiendum pro Christi fide, & Christiani nominis professione, tanquam promissa conferantur, quæ intuitu Sacramenti Confirmationis, ex Christi pacto nobis donantur.

Addo iterum, patientiæ virtutem, Confirmationis, quando ipsa haberi non potest, votum non excludere, imò eam conjunctam habere debere, ut fructuosa sit: qui enim divinitùs instituta remedia negligit, consentaneum est, ut in periculum incidat, quod declinare secundùm viam sibi à Christo demonstratam, non curat. Hos autem non posse dici, votum habere Confirmationis, qui Confirmationem à tota Ecclesia eliminare contendunt, nisi fortè aliquos (quos ignorantia excusat) Deus extraordinariis quibusdam mediis & insolitis, (quod utique rarum est) ad Christianam invicti animi magnitudinem perducat.

III. Argumentum, nullius similiter est momenti: nam sicut non confirmatos legimus invictos, alacres, pro Christi fide patientes, è vivis excessisse; ita & cathechumenos, pro eadem Catholica fide necem constanter perpessos fuisse, ex librorum lectione compertum habemus. Quod posterius, cùm Baptismi Sacramentum ab aliqua tota natione, & amplissima Ecclesia, metu persecutionis, eliminandum non probet, nec Confirmationis, eodem metu accedente, refutandum demonstrabit.

In IV. argum. nodus quæritur in scirpo, & excusationes adducuntur frivolæ quibus omnia similiter Christi mandata eludantur, & eorum, quæ ab ipso instituta fuerunt observandorum æquitas impugnetur. Similibus siquidem ratiunculis potuissent sibi persuadere primorum sæculorum Christiani, fervente saltem gravissimæ persecutionis æstu, eliminandos fuisse omnes Christianos conventus, quia nempe non nisi rarò & furtim interesse fideles poterant: adeò ut, nec interdiu con-

Digitized by Google

venire possent, nec nisi in cryptis iisque obscurioribus, non notioribus, testibus Tert. libro de fug. prope fin. Cypr. epist. 56. & 77. aliisque passim scriptoribus, præsertim iis, qui publica Martyrum Ecclesiastica acta describunt: nec statis diebus, aut certis, colligi possent, testatur Cornel. epist. ad Just. Vienn. ideóque cursore Dominico indigerent, qui locum diemque celebrandi conventus, secretò indiceret, ut referunt Tert. loc. cit. Ignat. epist. 11. & 13. aliique passim.

Nec indictio ista tuta semper esset, atque in tribus Ecclesia aliquando consisteret, ut loquitur Tert. loc. jam cit. & Exhortat. ad castit. cap. 7. Quin etiam, ut plurimùm in ipsis cœtibus, & congregationibus Christiani opprimerentur, ut asserit idem Tert. cap. 6. Apolog. & insinuat loco toties cit. actaque Martyrum Ecclesiastica fidem faciunt; nec non Chrys. homil. 48. de S. Roman. tom. 1. Neque tamen adeò delicati erant majores nostri, ut tanto periculo ab iis celebrandis deterrerentur, & per se, & sibi ipsis sine publico Religionis cultu vivere, eliminato ab Ecclesia omni conventu publico, sufficere ad ad salutem arbitrarentur. Cùm è contra, *nec Christianum sine Dominico esse posse, nec Dominicum sine Christiano celebrari*, coram ipsis tyrannis auderent profiteri, ut fidem faciunt acta martyrum apud Sur. tom. 1. die 11. Febr. & Baron. tom. 2. annal. an. 303. num. 51.

Porro nullam persecutionem esse posse, quæ Synaxes sacras liberas sinat, quæ non etiam Sacramenti Confirmationis administrationem liberam relinquat, nemo si sensum habeat, inficiari potest. Perspicuum etiam est nullam jam toto orbe Christiano persecutionem in Christianos sævire, quâ non atrociores olim adversus persecutiones excitatæ fuerint. Illudque insuper in gratiam Sacramenti Confirmationis addi potest, quòd cùm semel tantùm in vitâ recipiatur, sacræ verò synaxes sæpiùs celebrentur, minus ex illius receptione, quàm ex harum frequentatione populis periculum immineat, ac conquerendi occasio minor sit, si ad Sacramentum Confirmationis persecutionis tempore illos etiam obstringamus, quàm si ad auditionem Sacrificii Missæ eosdem obligemus.

Digitized by Google

mus. Huic autem Sacramento omnibus conferendo, ſi unus non ſufficiat Epiſcopus, plures ordinentur, per me licet: ſed vel ſi pauci Confirmarentur, tamen etiam cum privato ſingulorum incommodo temporali, publicum Eccleſiæ ſtatum retinendum, cui conſervando omnes ſummo ſtudio incumbere debent, Epiſcopum retineri placeat.

V. Jam ſolutum eſt. VI. negligentiæ & tepiditatis circa Chriſtianam Religionem, & diſciplinam Eccleſiæ ineptum præſidium eſt. Hac machina omnes ferè humanæ Divinæque leges convellentur, tota diſciplina concutietur. Ubi enim duo vel tres Doctores, conjuratione facta, legem aliquam vel pravis interpretationibus corruperint, vel exceptionibus fregerint, & laxiorem vivendi rationem docuerint, ſtatim obligatio legis ceſſare dicetur, & ejus violandæ audacia excitabitur. Itane? apage has adverſus inſtitutionem præſertim Chriſti machinationes, quam ſcilicet nec humanæ excuſationes tollunt, nec ſtolidæ interpretationes corrumpunt. Intemeratam ſtare ipſam oportet, quamvis obloquantur aliqui novæ doctrinæ inventores & gloriatores, antiqua porro traditione conſtat, etiam cum periculo perſecutionis excitandæ, Sacramentum Confirmationis retinendum. Id ſiquidem Chriſtiani plurium ſæculorum uſu ac factis comprobarunt; id ſcriptis firmavit Auguſtin. nulla ad hanc ætatem natio Chriſtiana legitur, aut Epiſcopum habere noluiſſe, aut Sacramentum Confirmationis reſpuiſſe.

Non ergo doctrina iſta ante Kelliſon. ignota, ſed à majoribus credita, tradita eſt, cujus nullum initium, niſi ab Apoſtolis tradi poteſt. Viguit in omnium animis doctrina iſta, quæ quamdiu impugnatores habuit, Scriptorum multitudine caruit, qui inauditam hypotheſim, quam in animum cujuspiam cadere non putabant, attingerent. Ubi primum impugnata fuit, defenſorem habuit Kelliſon. defenſores nacta eſt Doctores Pariſienſes, novos in dies habitura propugnatores. Iniqua ſane poſtulatio adverſariorum, ut cum regulam generalem

Digitized by Google

habendi in unaquaque Ecclesia Episcopi, Divinæ institutionis retinendæ, nec ullo Sacramento, nequidem Confirmationis, Ecclesiam ullam privandi, antiquam, & ab auctoribus expressam legant: velint & exceptiones, quas novi Theologi otiosi homines, & delicati Doctores, corruptis hominum animis omnia aptantes, & ad hominum vel ignaviam fovendam, vel arrogantiam, proposuerunt, & ex cerebro suo recens excogitarunt, ab antiquis refutatas legi, atque auctorum silentium in favorem suum interpretantur, cum isto silentio convincantur novitatis, qui exceptionem istam adversus legem, nunquam à quoquam allatam probare possint; excipientibus siquidem incumbebat probatio, non legem defendentibus, ut juris utriusque regulæ nos docent.

CAPUT XXV.

Excusatio petita à simplicitate Ecclesiæ, & paupertate refellitur.

ALias excusationes afferunt Theologastri novitii, adversus Episcopi creationem 1. abstinendum ab Episcopi creatione, cùm Ecclesia pauper ac tenuis, sufficientes reditus non habeat, quibus Episcopalis dignitas, seu majestas foveri possit, periculum siquidem esse, ne ipsa hac paupertate, & simplicitate vilescat. Alteram, nondum satis esse numerosam Ecclesiam, ut Episcopus ei præficiatur, qui nonnisi his Ecclesiis præesse debet, quæ numerositate suâ turgescunt. Examinari eæ frivolæ exceptiones debent, non juxta terrestris prudentiæ principia sed cælestis, nec ex libidine humana, sed ex traditione Divina.

A priori incipio, probóque, excusationem esse frivolam, Episcopi rejiciendi, quòd tenues sint Ecclesiæ reditus, nec opulentæ fundationes, nec ea illis facilè suppetere possint, quibus sese apud homines, domus & supellectilis ornatu, vestium splendore, stipatorum multitudine, lautitia conviviorum, satellitum turbâ, ac reliquâ magnificentiâ, commendare possit. Neque enim hunc

Digitized by Google

hunc fastum, dignitas Episcopalis exigit; non successores Piscatorum hanc pompam requirunt; non prædicatores crucifixi, iis rationibus sibi fidem quærunt; non regnum Episcoporum, sicut nec Christi, de hoc mundo est; ideóque nec respiciendum, quòd terrenæ dignitatis adjumenta non habeat, quibus utique minimè indiget. Principatus sacer in animas, non in corpora, exercetur, ideóque non corporeis, sed spiritalibus fovetur ornamentis. *Respiciamus ad Petram, ex qua excisi sumus*, Christum, *Episcopum nostrarum animarum*, intueamur, qui non habebat, ubi reclinaret caput suum, & paupertatem divitiis prætulit, abjectionem atque humilitatem fastui sæculari præposuit: hic tamen forma, princepsque Pastorum, qui Ecclesiam humilitate vult crescere, quam humilitate fundavit.

Intueamur Apostolos, quos ipse *constituit Principes super omnem terram*, quos Episcopalis ordinis stipites, in Ecclesia plantavit, ex quibus series omnis Episcoporum fruticaret, hos graphicè describit Apost. 1. ad Corinth. 4. *Usque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris, maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus, tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* In hoc elucet Divina magis potentia, quod, *quæ sunt stulta mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus.* In eo verè Deus magnus apparuit, quòd, ut notat Chrys. in Psalm. 46. *pauperes piscatores, illiteratos, ideotas, numero undecim, obscuros, peregrinos, piscibus magis mutos, unicam tunicam habentes, calceis carentes, nudos per universum orbem misit, & veluti mandato omnes cæpit.* Sic enim paulò post subdit, idem S. Doctor, & ostendit se, *non habere in servis, imperii vim, non in specie ac vestibus, sed in ipsa natura.*

Apostolos ergo intueamur, & ad eorum formam, Episcoporum, saltem eorum, qui Apostolorum vestigiis

Digitized by Google

atque exemplis pressius insistentes, ad eandem, ad quam illi, vocantur gloriam, ut Evangelium infidelibus annuntient, qui præ cæteris Apostolorum vivendi genus imitari, & ad eorum formam componi debent. *Illi*, inquit Hilar. lib. contra Arrian. seu contra Auxent. Mediolan. *manu atque opere se alentes, intrà cœnacula, secretaque coëuntes, vicos & castella, gentesque ferè omnes, terrâ ac mari, contra senatus consulta, ac Regum edicta, peragrantes, claves credo Regni cælorum non habebant, aut non manifesta se Dei virtus, contra odia humana porrexit?* quantumcunque certè apud Christianos, quibus fidei nostræ mysteria nota, probata sunt, quibus annuntiatus est Christus, & religionis observantia, in consuetudinem abiit, humana subsidia, & mundanæ claritatis splendor aliquid valeret ad religionis majestatem, venerationem Sacerdotii, Antistitum dignitatem; at præstabiliùs esset fortasse, Christianam fidem gentibus, quibus inaudita fuerit, de novo prædicari, eâ ratione, quâ primùm prædicata est; adstrui fidem Christi crucifixi, imitatione patientiæ ipsius, & laborum tolerantiâ: induci recens Christi fidem amplexos, ad Evangelicam humilitatis, patientiæ, paupertatis professionem, suique abdicationem, quam religio nostra prædicat, exemplis Antistitum, easdem virtutes profitentium potiùs, quàm splendore vel dignitate sæculari insignium, eáque tempora diversa diversos exigere mores, notavit Aug. epist. 5. Bonif. *sicut enim*, inquit, *ordo temporum volvebatur, ut Judæi occiderent, prædicatores Christi, putantes se officium Deo facere, sicut prædixerat Christus, & gentes fremerent adversus Christianos, & omnes patientia martyrum vinceret*: postea verò impleretur, quod scriptum est, *Adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes, servient illi.* Ita temporum iste ordo congruus est, ut crux Christi cum humilitate primò prædicetur, & regni ipsius agniti magnitudo cum auctoritate defendatur.

Tantum igitur abest, ut nonnisi divites, ad Evangelii prædicationem, mitti debeant Præsules & pastores, & eousque exspectandum sit, donec divites mitti possint; ut potiùs, si qui sint divites, eos paupertatem voluntariam

Digitized by Google

riam amplecti, salubriùs sit, ut nudum Christum, ac pauperem, nudi paupereſque prædicent, & humanæ superbiæ motum, & cæcam ambitionis cupiditatem, quæ Evangelicæ prædicationis fidei resistit, exemplis frangant, ac doment, ut instar Apost. 2. Cor. 6. esse possint *sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

Verum major est Episcoporum necessitas, quàm ut ipsis etiam Christianis jam factis, substrahatur Episcopus, propter gentis paupertatem & inopiam, vel Ecclesiasticorum redituum tenuitatem. Quàm indignum foret, si in divitum tantum gratiam, Episcoporum institutus Ordo proferretur: & cùm Christus ad pauperes præsertim missus sit, quemadmodum ipse testatus est Luc. 4. *Evangelizare pauperibus misit me*: Vicarii Christi, nonnisi ad divites & nobiles mittendi dicerentur. Cùm Evangelicæ prædicationis gloria, & nota singularis sit, quòd pauperes Evangelizentur Luc. 7. & Matth. 11. illis tamen Evangelica quædam Sacramenta substrahenda crederentur: cùmque singulari titulo, in lege Christi promissum sit, *quia pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescent, & in ipso sperabunt populi ejus* Isai. 14. Pastores è contra, nonnisi divitibus populis & magnatibus concedendi, assererentur. An verò alius pauperum & divitum Deus? an alia Ecclesia, aliave Sacramenta? Quare indigna est Christiani exceptio, adversus Episcopi receptionem, paupertas gentis, nationis, indigentia redituum, quibus ali possit Episcopus, tenuitas, & exilitas.

Non indiget humanis adminiculis, Religionis majestas, Sacerdotii veneratio: & quidem, ut loquar cum Hil. loc. supra cit. *misereri licet nostræ ætatis laborem, & præsentium temporum stultas opiniones congemiscere: quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Ecclesiam ambitione humana laboratur, oro vos Episcopi.* (Episcopos compellabat iste) ego Presbyteros, qui Episcoporum ordinis abolendi excusationem, ipsorum venerationem prætendunt, & prætectu procurandi ornatus sæcularis, minimè necessarii, totius ordinis necessitatem

Digitized by Google

tem impugnant *Oro ergo vos, Presbyteri, qui hoc vos esse creditis: quibusnam suffragiis, ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt, quibus adiuti potestatibus, Christum prædicaverunt, gentésque ferè omnes ex Idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi assumebant ex palatio,* vel ex mundana pompa, & sæculari splendore, *dignitatem, hymnum Deo in carcere, inter catenas, & post flagella, cantantes?*

Olim istud objectum fuerat Greg. Naz. quod *nec mensa lauta & opipara, nec magnifica veste uteretur, nec splendidè in publicum prodiret, nec ad eos, à quibus conveniretur, gravitatem & fastum adhiberet:* Cui objectioni, qualiter ipse, orat. 33. irridendo respondeat, audiamus: *Nesciebam scilicet nobis cum consulibus, & præfectis, clarissimisque belli ducibus, qui tot opibus, copiisque circumfluunt, ut quo sua projiciant non habeant, æmulationem, & certamen esse: illúdque oportere, ut & nobis, pauperum bonis, ad luxum & delicias abutentibus, venter undique comprimatur, & necessaria, in res superfluas effundantur, atque Altaria ipsa ructibus nostris contaminentur. Nesciebam nos equis insignibus, & lascivis ferri, sellisque & curribus magnificis attolli, ac cum fastu & pompa deduci, velutque blandâ manu demulceri oportere; atque ita omnes nobis, erinde ac belluis, de viâ decedere, & in utramque viæ partem scindi, aut distrahi, aut etiam tantam præeuntium turbam esse, ut procul conspicuus incessus noster sit. Si hæc gravia vobis & acerba fuerunt, hanc injuriam mihi condonate, Antistitem alium, qui multitudini placeat, create; mihi autem solitudinem, & rusticitatem, ac Deum, cui soli etiam per tenuem victum, ac cultum placebimus, relinquite.*

Quàm egregiè, exemplis Petri & Pauli, Orig. hom. 16. in Genes. docuit redituum opulentiam, & divitiarum copiam, Episcopo necessariam non esse: exemplo, inquam, Pauli, qui de se ipso, & collegis suis dixit *tanquam egentes, & alios locupletantes:* & Petri, qui de se ipso, & Joanne professus est, aurum & argentum se non habere, Act. 3. ex quibus exemplis ita concludit: *Vides Sacerdotum Christi divitias; vides, nihil habentes, quanta & qualia loquuntur: istas opes largiri non potest terrena possessio.*

Rectè

Rectè in eam rem Ambros. de dignit. Sacerd. cap 4. explicans, quo sensu ornatum Episcopum voluerit esse Apostolus, vestium claritatem condemnat, Apostolumque ita se velle intelligi, contendit, quia *non carne Episcopum, sed mente decere esse ornatum, ut ille Sacerdos placeat Deo, qui animam habuerit compositam Deo.* Neque pluribus reditibus Episcoporum creatio, tantopere indiget quandoquidem verum sit, quod audacter sese affirmare profitetur Chrysost. hom. 15. in 1. ad Timoth. *Ecclesiæ Præsules, nihil præter victum & vestitum habere oportere, ne ad ista trahantur desiderio.* Quod expressè pariter asserit. Hieron. in cap. 1 epist. ad Tit. his verbis, *Episcopus, qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum & vestitum, his tantum debet esse contentus.*

CAPUT XXVI.

Occurritur cuidam objectiunculæ.

NEque objici debet Episcopum, his adminiculis terrenæ substantiæ destitutum, minùs apud potentes hujus sæculi authoritatis habiturum, atque officio suo imparem futurum: nam ne hæc quidem subsidia, redditâ Ecclesiis pace, necessaria censuerunt, SS. Patres, ut Episcopus officio suo fungi, & auctoritate valere possit, Hier. epist. 2. ad Nepot *Turpe est*, inquit, *ante fores Sacerdotis Christi crucifixi & pauperis, & qui cibo quoque vescebatur alieno, lictores Consulum, & milites excubare, judicemque provinciæ melius apud te prandere, quàm in palatio. Quod si obtenderis te facere hæc, ut roges pro miseris, atque subjectis, judex sæculi plus deferet Clerico continenti, quàm diviti, & magis sanctitatem tuam venerabitur, quàm opes: aut si talis est, qui non audiat Clericos, pro quibuslibet tribulatis, nisi inter phyalas, libenter carebo hujuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro judice, qui magis & citius subvenire potest, quàm Judex, &c.*

Ex qua Hier. sententia discès, & hanc unicam causam agnovisse Hier. cur Sacerdotibus, magnates conviviis interdum excipere liceret, ut apud eos possent, pro miseris

Digitized by Google

miseris interventores fieri: quam etiam causam, neque necessariam, neque sufficientem putasse; majoremque ex probitate acquiri Sacerdoti existimationem, atque auctoritatem, quàm ex divitiis, & lautitie convivio-rum.

Quam causam, cùm veram putarent Carthag. IV. Con. P P. ideo can. 15. statuerunt, *ut Episcopus vilem supellectilem, & mensam, & victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fide & vitæ meritis quærat.* Consentit Bern. lib. 2. ad Eug. cap. 3. quo, non vestium splendorem, non pompam quamlibet, nec comitum, nec asseclarum, aut domesticorum turbam, ad conciliandam auctoritatem necessariam probat, ut quis Pontificali officio ritè fungatur. *Petrus hic est*, ait, *qui nescitur processisse aliquando, vel gemmis ornatus, vel serico, non tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circum strepentibus septus ministris: Absque his tamen credidit satis posse impleri salutare mandatum. Si amas me, pasce oves meas. In his successisti, non Petro, sed Constantino.*

Eadem, & multò plura, Petr. Blesen. epist. 147. ad Episcop. Bangorien. *Non oportet vos, sic abhorrere Ecclesiæ vestræ paupertatem, quam in alienum grævamen tota die, coram hominibus allegatis. Titulus paupertatis glorioſus est apud Christum: ut quæ filium Dei decuit, vos dedecere non debuit. Princeps Apostolorum, & Præsulum dicit, aurum & argentum non est mihi: magnus etiam Augustinus ideo testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit; vestri officii est, vivere de Evangelio, sicut constituit vobis Dominus, non incedere pompatice, in vestium cultu, in equorum fastu, in multitudine Clientelæ.* Vide quæ dicentur ex Petr. Blesens. infra latius.

CAPUT XXVIII.

Eadem excusatio, veterum Episcoporum Exemplis rejicitur.

NOn desunt exempla, singularis veterum Episcoporum simplicitatis, moderationis, ac pauperta-

tis,

Digitized by Google

tis, quæ literarum monumentis, ad nos usque pervenerunt. Spiridionem, Trimithuntis in Cypro, Episcopum, miraculorum operatione, & prophetiæ gratiâ percelebrem, referunt Ruf. lib. 1. Hist. cap. 5. & Socrat. lib. 1. cap. 8. tantæ simplicitatis fuisse, ut pastor ovium, etiam in Episcopatu positus, permanserit. Nec illud unicum, sub Christianis Imperatoribus, istius simplicitatis exemplum: lege quæ de Episcopis & Presbyteris loquens, in eam rem scribat Epiph. hæres. 80. quæ est Massalian. num. 6. *Illi enim, tametsi ex Sacerdotum numero sint, ad sanctissimi sui secundùm Deum in Christo patris imitationem, (Paulum Apostolum intelligo) non omnes quidem, sed plerique tamen, ad susceptam Divini verbi prædicationem, externam manuum operam adjungunt, quamcunque demum artem adepti sint, quæ nec à dignitate sua, nec ab Ecclesiæ cura, quam perpetuam gerunt, abhorreat.* Neque recreationis tantùm gratiâ, ut otii vitandi causâ, hunc laborem ab iis susceptum, narrat, sed ut fratribus indigentibus operam aliquam adferrent.

Theodoretus in Episcopatu Ecclesiæ Cyri, suæ paupertatis testis est, tum epist. 113. Leoni Rom. Pont. in qua narrat, se Episcopatu tot annis gesto, non domum acquisivisse, non agrum, non obolum, non sepulchrum, sed *spontaneam paupertatem* amplexum fuisse & ea, quæ à parentibus ad se pervenerant, post illorum mortem, statim distribuisse: tum verò Epist. 123. Uranio, Episcopo Emesæ, quâ scribit, se missas aliorum Episcoporum eulogias, non accepisse, non quòd illas contemneret, sed quod necessarium victum, ab eo interea sumeret, qui hunc etiam corvis abundanter suppeditat, erga verò ipsius pietatem tale nihil egisse. Quibus verbis apparet, eum præter necessarium victum nihil habuisse, mirabili Dei providentia victum ipsum illi submINistratum fuisse, ejusque partem aliquam accepisse, ab Episcopo Emesæ, rejecisse aliorum Episcoporum dona, qui ejus paupertatem munusculis solari vellent.

Commendat quoque idem Theodor. Relig. hist. cap. 5. Aphtonium sanctissimum Monachum, & Monachorum præfectum, cùm annos amplius quadraginta

choro

choro præfuiſſet, ſedem aſcendiſſe Pontificalem, in eoque gradu, nec pallium mutantem aſceticum, nec tunicam caprarum, ex pilis contextam, cibiſque iiſdem utentem quibus ante Epiſcopatum veſcebatur, manſiſſe: quin etiam, licèt gregi paſcendo, adhortationibus habendis, litigiis componendis, aſſiduus eſſet, de ipſo tamen hæc addit loc. cit. *Eaque ſingula ſic præſtabat, ut contubernalium interim veſtimenta reſarciret, legumina expurgaret, frumentum ablueret, aut aliud quidpiam ageret hujusmodi.*

An igitur indecorum cenſebitur, quòd ad recens converſam multitudinem, vel ad convertendam aliquam gentem, Epiſcopus mittatur, qui tenui victu, veſtitu paupere, ſuppellectili vili utens, externoque omni faſtu abſtinens, ſoliditate doctrinæ, pietatis operibus, & charitatis fervore omnium in ſe oculos attrahat, non pompatico apparatu admirationem ſui, non ſtipatorum multitudine venerationem quærat, non vi obedientiam extorqueat, vel pretio eliceat: in talem Epiſcopum non plures expenſæ faciendæ erunt, quàm in quemlibet plebeium Preſbyterum.

Unum duntaxat exigendum, ad externam quandam ejus dignitatem, quod ipſi apud exteros, ac Neophytos auctoritatem conciliet, nempe Preſbyterorum, qui cum eo mittentur, facilem & docilem animum, ac reverentem Pontificalium infularum, obſequentem Antiſtitis ſui mandatis. Ad eorum enim formam, plebs tota componetur, & quam animadvertet, Epiſcopo, à Doctoribus, & religioſioribus Presbyteris venerationem, atque obedientiam ſponte impendi, eam non invita exhibebit.

Placet in hanc rem, aliud exemplum illuſtre proferre, quod à Bed. literis mandatum eſt lib. 4. hiſt. Eccleſ. gent. Anglor. cap. 12. Rem ipſam referam, adhibitis quibuſdam obſervationibus: rem autem, ipſius vener. Bedæ verbis, deſcribam, *Anno incarnationis 677. cum Edilred, Rex Merciorum, adducto maligno exercitu Cautiam vaſtaret, Eccleſias ac Monaſteria ſine reſpectu pietatis, vel Divini timoris fœdaret, civitatem quoque Rhoſi, in qua erat*

Putta

Digitized by Google

Putta Episcopus, quamvis eo tempore absens, communi clade absumpsit. Quod ille ubi comperit, Ecclesiam videlicet suam, rebus omnibus allatis depopulatam, divertit ad Sexvulfum Merciorum Antistitem, & acceptâ ab eo possessione Ecclesiæ cujusdam, & agelli non grandis, in pace vitam finivit, nihil omnino de restaurando Episcopatu agens, quia, sicut & supra diximus, magis in Ecclesiasticis, quàm in mundanis rebus erat industrius, sed in illo, tum Ecclesiæ Deo serviens, & ubicunque rogabatur ad docenda Ecclesiastica carmina divertens. Pro quo Theodorus in civitate Rhosi, Wilhelmum consecravit Episcopum, sed illo post non multum temporis, præ inopia rerum, ab Episcopatu decedente, atque ad alia loca secedente, Germundum pro eo substituit Antistitem.

Circa quam narrationem hæc observanda: 1. hypothesim, cujus eo loci fit mentio, à præsenti quæstione longè esse diversam: agebatur enim tunc temporis, utrum in civitate Rhofensi, constituendus esset Episcopus; cùm hostili clade omnino, devastata esset, nec, ut norunt omnes, à Cantuariensi civitate, nisi paucis milliaribus abesset, ac proinde Archi-episcopi Cantuariensis imperio, ac directioni, cum adjacentibus vicis ac territorio subesse posset: præsertim, cum & ipsius curam gereret, & loca ista visitaret, ut ex narratione Bed. prioribus capitibus, colligi potest: Hîc verò agitur, utrum provinciis, quæ nullius Episcopi vigilantiæ subduntur, nullius visitationi subjacent, nec à quoquam diriguntur, aut gubernantur, Episcopus concedendus sit, non obstante ipsarum Ecclesiarum paupertate; an verò illis sit denegandus, vel substrahendus.

Alterum in causa tamen, quæ tunc tractabatur, quamvis Episcopi necessitati longè minus illa faveret, hanc Theodori Cantuariensis, viri sacris, & sæcularibus literis instructissimi, & Vicarii sedis Apostolicæ, teste eodem Bed. lib. cit. cap. 1. & 2. in cujus laudem hæc dicere sufficiat, quod scripsit idem vener. Presbyt. lib. 5. cap. 8. *tantum profectus spiritalis, tempore præsulatus illius, Anglorum Ecclesias, quantum nunquam antea potuerc, cœpisse.* Hanc, inquam, ejus mentem fuisse, Ecclesiæ

Digitized by Google

istius, quæ aliquando habuisset Episcopum, regimen, quod ab alio Episcopo vicino geri potuisset, proprio tamen Episcopo, committendum fuisse, nec civitatis ruinam, atque omnium ferè rerum inopiam, & gravissimam egestatem, causam sufficientem visam fuisse, quæ proprii Antistitis ordinationem interverteret, multò minùs utique causam illam æquam illis visam iri, propter quam Episcopi, in extraneam provinciam Episcoporum omni solatio destitutam, missionem quis impediat.

III. A Bed. tanquam rerum gerendarum imperitum notari, Puttam Episcopum, virum utique, testimonio ejusd. cap. 2. lib. cit. *magis Ecclesiasticis disciplinis institutum*; id est, in iis præsertim quæ ad divini officii celebrationem spectabant: nam eum addit gnarum eorum, quæ ad ritus, & divini officii celebrationem pertinebant; *quem narrat magis modulandi in Ecclesia, more Romanorum, quem à discipulis Papæ Gregorii didicerat, peritum fuisse, quàm in sæculi rebus strenuum.* Notari, inquam, hunc Episcopum, quod nec omnino de restaurando suo Episcopatu egisset.

IV. Wilhelmum in ejus locum suffectum à Theodoro, quem etiam licèt, ut ex Beda describit Harpsfeld. ad 7. sæculum, *Rerum omnium inopia, & vastitas deterruerit, ut paulò post abjerit: Etenim succedens Germundus, cum dura fortuna fortior luctatus, constanter permansit, suaque industria videtur res Ecclesiæ, æquiore loco constituisse.* In ejus siquidem demortui locum refert Beda lib. 5. cap. 9. *à Berechwaldo Theodori successore Tobiam consecratum, virum Latinâ, Græcâ, & Saxonicâ linguâ, atque eruditione multiplici instructum.*

Quæ omnia ostendunt, neque Ecclesiæ vastitate, ac gravissima egestate retardatos viros pios atque insignes, quominùs Ecclesiæ, quæ habuissent Episcopum, Antistitem crearent, vel ipsi Episcopatum impositum subirent; neque populos conquestos fuisse, quòd stante istâ rerum penuriâ, Episcopus ad ipsos mitteretur: neque eorum, qui missi fuerant, dignitatem apud populos ideo viluisse.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXVIII.

Objectionibus in Contrarium Reſpondetur.

HOc unum præſeferunt adverſarii, maximè vereri ſe, ne ſi Epiſcopus pauper ad Eccleſiam, cujus acciſus & tenuis reditus fuerit, mittatur, ipſius dignitas auctoritasque vileſcat; cui, inquiunt, adeò conſultum voluere SS. Canones, ut Epiſcopos in vicis creari noluerint, *Ne vile eorum nomen fieret*, inquit Clem. epiſt. 2, *ne vileſcat nomen Epiſcopi*, ait idem Auct. epiſt. 3. *Ne Epiſcopi nomen, & auctoritas vilipendatur*, addit Concil. Sardic. can. 6. *Ne quod ſanctorum Patrum divinitus inſpirata decreta vetuerunt, ſi viculis & poſſeſſionibus, vel obſcuris & ſolitariis municipiis, tribuatur ſacerdotale faſtigium, & honor, cui debent excellentiora committi, ipſâ ſui numeroſitate vileſcat*, ſcribit Leo epiſt. 87. ad Epiſcopos per Cæſarienſ. Mauritan. conſtitutos: quâ de re etiam aliquid decernunt Concil. Laodic. Can. 57. & fusè Concil. Tolet. circa tempora Agathonis Papæ, regnante Flavio Eruigio Hiſpaniar. Rege, can. 4.

Hoc, inquam, ſe reformidare adverſarii profitentur, maluntque Epiſcoporum nomen extingui, quàm inglorium remanere. Novum charitatis genus, ordinem aliquem deſtructum velle, ejuſque internecionem meditari, eo prætextu, ne levem aliquam ſui honoris jacturam ſubeat. Non amamus, nimio iſto erga Epiſcopalem dignitatem ſtudio flagrantes; ſuſpecta ſunt nimia iſta cautio, & cultus iſte Epiſcopalis faſtigii immodicus, ordinavit Deus in nobis charitatem, noſque, qui, ſi Deo ita placet, Pontificalis Majeſtatis minus reverentes ſumus, non dubitamus, quin ſatius ſit apud imperitos, leviter periclitari Epiſcopalis dignitatis decus, atque exiſtimationem, quàm ab univerſo populo ejuſdem officii ac ſollicitudinis fructus & emolumenta, nobis conſentientibus ſubduci. Nam & maluit Chriſtus apud multos, divinæ ſuæ majeſtatis, in aſſumpta mortali carne,

Digitized by Google

ſplendorem obſcurari, gloriam vileſcere, magnitudinem ſperni, irrideri ſanctitatem, quàm Incarnationis ſuæ fructibus, meritorumque ſuorum, & ſatisfactionum eam conſequentium utilitate, humanum genus privari.

Unde cum in Eccleſia univerſa, ab antiquis temporibus, mos iſte invaluerit, ut nulli Eccleſiæ Epiſcopalis adminiſtratio deſit, nunquam univerſali Eccleſiæ conſuetudine lex iſta recepta fuit, de non ordinandis Epiſcopis, in vicis & oppidulis: ſed in ea re diverſa fuit Eccleſiarum obſervantia, ut notat Sozom. lib. 7. cap. 9. *Per ſcythiam cùm civitates ſint multæ, unum duntaxat hæ omnes Epiſcopum habent: apud alias verò nationes reperias contrarium, ubi & in Pagis Epiſcopi ordinantur, ſicut apud Arabes & Cyprios ego comperi, & apud Novatianos ac Montaniſtas eos, qui degunt in phrygia.* Epiſcoporum in vicis Pentapoleos, Palerbiſca ſcilicet, & Hydrace creatorum, meminit Syneſ. epiſt. 67. Theophylo, ad quos paratum ſe ait acceſſiſſe, ut perſuaderet, quatenus de eligendo Epiſcopo deliberarent: idem quoque epiſt. 76. eidem ſcribit, Olbiatis vici cujuſdam incolis, Epiſcopi creatione opus fuiſſe, ad electionem itaque ejus, qui Athaniæ Epiſcopo ſuccederet, ſe advocatum fuiſſe.

In Conciliis Africanis, plurium Epiſcoporum ſubſcriptiones leguntur, qui nonniſi in vicis & oppidulis conſtituti eſſent. Gregorium Nazianz. Baſilius in vico Saſimorum, anguſto & inculto, Epiſcopum ordinavit, ut ipſe Grego. queritur Carmine de vita ſua, Euſebius Samoſatenus Maim Dolichæ parvo oppido, Epiſcopum præfecit, teſte Theor. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 4. Innumera etiamnum exempla proſtant Epiſcoporum in vicis ordinatorum, Epiſcopalium ſedium in oppidulis erectarum: Sabinenſis & Portuenſis Epiſcopi prope Romam unam aut alteram domum ſui Epiſcopatus habent. Quod utique olim Zonaras in Can. 54. Syn. Carthag. notavit, prudenter Aurelium Carthaginenſem in Concil. Afric. Honorato & Urbano Epiſcopis obſtitiſſe quominùs ſtatueretur, ne duodecim Epiſcopi ad unius ordinationem requirerentur; propterea, quòd interiacentibus inter Tripolim & Azzuge Barbaris gentibus, non facilè tot Epiſcopi

Digitized by Google

Epiſcopi convenire poſſent: ideo ſatiùs illum duxiſſe, de ordinationis Epiſcopalis celebritate aliquid relaxari, quàm ejus difficultatem augeri, propter hanc ſcilicet rationem: *Utile enim eſt Eccleſiæ, hoc eſt, fidelibus, Epiſcopos conſtitui, utilitate videlicet neceſſaria.*

Hoc ad prædictam Eccleſiæ legem interpretandam ſimiliter referimus; nimirum prudenter quidem, & ſalubriter olim ſtatutum, ne in vicis conſtituerentur Epiſcopi, cùm ſcilicet commodè Epiſcopi in civitatibus conſtituti, vicorum adjacentium curam gerere poſſunt. Tunc enim militat iſta ratio, unum in civitate Epiſcopum eſſe debere, nec tot conſtitui in ſingulis vicis, oportere, utſuâ numeroſitate vileſcant. Sed ſi vaſta quædam regio, paucas habeat civitates, vel inter ſe longè diſſitas, vel quæ non facilè adiri poſſint, tunc legiſlatoris mens nunquam fuit, prohibere in vicis Epiſcopi creationem, & ad ſolas civitates Cathedræ Epiſcopalis erectionem redigere: ſed ſuprema lex, quæ utilitati populorum per Epiſcopi præſentiam atque operam providendum præſcribit, minoris momenti legi prævalet, de non ordinando in vicis Epiſcopo, præſertim cùm hujus poſterioris legis ratio ea ſit, ne Epiſcopi numeroſitate vileſcant: quæ ratio locum non habet, ubi in aliqua vaſta regione vix civitates aliquæ populoſæ reperiuntur, ſed tantum vici quidem huc illuc ſparſi, in quorum aliquibus, licèt Epiſcopi ſtatuantur, non ideo numeroſi evadunt.

Aliæ etiam occurrere poſſunt rationes, ob quas indecorum non eſt, nec canonum menti contrarium, etiam in vicis Epiſcopos ordinare, eæ videlicet omnes rationes, quæ vel Eccleſiæ unitatem, vel pacem promovent, & ad longè commodiorem populorum inſtructionem vel diſciplinam pertinent. Eæ enim præferendæ erunt huic unicæ rationi, quæ cavet ne ob numeroſitatem Epiſcoporum dignitas Epiſcopalis flocci fiat. Id enim demum numeroſitate minimè vileſcit, immò nec omnino numeroſum eſt, ſed rarum, quod neceſſitate, vel utilitate ſua fuerit pretioſum: & certè, eos ca-

Digitized by Google

nones, qui numerositatem Episcoporum præsertim fugisse videntur, ad hunc finem allegare, ut nulli omnino in quibusdam provinciis, & regionibus amplissimis, Episcopi creentur, ridiculum, nec minimè ferendum, cordati omnes putabunt. Tantumque abest, ut ex istis Canonibus, Episcopos tunc ab Ecclesiis amandandos esse colligi possit, cùm exiles tantum ad eorum sustentationem reditus submini strari queunt: ut potius supponere hi canones tanquam indubium videantur, necessarios Ecclesiis esse Episcopos: sed tamen non plures, quàm sufficiant, esse constituendos, ne numerositate dignitatis suæ jacturam aliquam faciant, unde argumentum, quod ab illis ducunt adversarii, elumbe, infirmum, & caducum est.

CAPUT XXIX.

Nec minus infirmum est argumentum, ex Praxi Innocent. III. in Livonia.

POssent fortè adversarii, prædictam excusationem, hoc etiam prætextu adornare, quod Innoc. III. lib. 14. Reg. Epist. 149. *Magistro & fratribus militiæ Christi in Riga,* scribens, anno scilicet Pontificatus sui 14. preces, quas instanter quidam ex militibus Christi, nomine omnium fuderat, ut in terris illis, quas nuper divina præeunte clementia subjugarant, dignaretur Episcopum ordinare, *cùm arduum negotium* ipsi videretur, *non duxerit protinus admittendas.* Quod ad annum usque 16. Pontificatus sui causæ istius discussionem distulerit: nec Episcopatum in iis regionibus erigi consenserit, nisi & locorum qualitas, Episcopum poscere, & facultates sufficere, & Episcopi creatio expedire judicarentur. Haud dubiè refutaturus Episcopum si minimè convenientes reditus honestæ & ornatæ Episcopi sustentationi reperti fuissent, ita siquidem scribit lib. 16. Reg. epist. 120. Archiepiscopo, Decano, & præposito Lundensi, quos in hac causa Judices, seu ut vocant, Commissarios, con-

Digitized by Google

constituit, *Discretioni vestræ, per Apostolica scripta mandamus quatenus inquisita & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficiant, & expedire videritis, Episcopatum auctoritate nostra constituatis ibidem & vocatis, qui fuerint evocandi, per electionem Canonicam faciatis, loco & populo provideri, de persona idonea in Pastorem, & jura, quæ debent ad Episcopum & Ecclesiam pertinere, assignari eis integrè & quietè.*

Verùm negotii Innoc. III. propositi, & quæstionis, quàm jam agitamus, diversus omnino status est. Etenim nullatenus agebatur, coram Innoc. III. utrum populi ad fidem de novo conversi, alicui Episcopo subdi deberent; qua de re jam agimus sed utrum populi Sackelæ & Hugenhusen, armis Theuthonicorum militum subacti, ab Archiepiscopo Rigensi illicò divelli deberent, & novum eis Episcopum dari oporteret; an verò exspectandum esset, donec totâ Livoniâ ad fidem subactâ, vel commodioribus locis devictis, locus magis opportunus seligeretur, ad Episcopatus novi erectionem.

Etenim notandum est, ab anno 1186. Lectiam & Livoniam fidei Christianæ parere cœpisse, ab eo scilicet tempore, quo Meynerus sive Meynardus Zegebergensis Canonicus, primus in eas orbis partes à mercatoribus invectus, Euangelium prædicavit, primusque hujus provinciæ Episcopus creatus est; cui post plurimos pro Christo labores morienti successit, Bertholdus Cistercienſis Ordinis, ab Harduico Bremensi Archiepiscopo sacratus, cui ab infidelibus in acie cæso, cùm equus, cui benè regendo impar erat, illum abduceret, subrogatus est ab eodem Harduico Albertus Bremensis Canonicus, vir singularis industriæ, qui per annos triginta multis laboribus & periculis, res eò perduxit, ut Rigensis Ecclesia, cui numerati præsules præfuerant, Metropolitica fieret: ut refert Albert. Krantz. Metropol. seu Eccles. Hist. Saxon. libr. 7. cap. 14.

Parebat ergo tota Livonia tempore Innoc. III. Archiepiscopo Rigensi, quo sedente, orta dissensio fuit, inter prædictum Albertum, & milites Christi, lisque tota quibusdam capitibus transacta & decisa est, eaque com-

Digitized by Google

positio ab Innoc. III. probata, lib. 13. epist. 141. Cujus inter cætera, caput illud legitur. *De terris verò, quas amodò extra Livoniam seu Lectiam, cum auxilio Dei, dicti fratres acquirent, Rigensi Episcopo minimè respondebunt. Sed cum Episcopis creandis ibidem, quoquo rationabili modo component, vel observabunt, quod Apostolica sedes super hoc provi derit statuendum.* Quamvis ita conventum fuisset, inter Episcopum Rigensem, & fratres Christi milites, tamen perfecta pax haberi non potuit, ut notant Helmold. & alii Wandali. & Saxon. rerum scriptores. Unde & adversus eundem Episcopum Rigensem quasi eos opprimere soleret, Apostolicæ sedis subsidium implorarunt, & protectores jurium, ab Apostolica sede concessorum impetrarunt, ut constat ex Epist. ejusdem Innoc. Abbati de Gotlanda, & aliis 122. lib. 16. Reg. Quare nihil mirum est, si tam instanter in terris à se conversis novos Episcopos ab Apostolica sede efflagitarint isti milites regulares, credentes se cum emolumento & meliori conditione, conventuros cum Episcopis, recens à se constitutis, quàm cum Episcopo Rigensi, à quo ab initio tertia parte prædiorum donati fuerant, quam immensè augentes, vix Ecclesiæ tertiam reliquerant, teste Krantz. lib. 7. Sax. cap. 14. Et quidem Innoc. III. tum Episcopum Rigensem redarguit, quod Neophytos ipsos indebitâ molestiâ gravaret. epist. 121. lib. 16. cit. tum istos dictos Christi milites, quòd *Christi Evangelio, præbere offendiculum non timerent, dummodò suas possent possessiones & reditus ampliare*, epist. 120. ejusdem lib.

Nihil mirum ergo, si moram in hoc negotio interponendam censuit, summus Pontifex, tempusque ad deliberandum assumpsit, si rem momentosam putavit sui Episcopatus, & redituum parte, illicò mulctare Episcopum Rigensem: cavendum sibi existimavit, ne Ecclesiæ, & Episcopi jura imminuta in novum Episcopum, recensque constituendam Ecclesiam transmitteret; ne quid deperiret pristini Ecclesiæ juris, cujus possessione, Rigensis Episcopus potitus fuerat. Itaque vult locorum qualitatem exquiri, ne qui posset commodo loco stare

Episco

Digitized by Google

Episcopus, incommodo statueretur, exquiri etiam in facultates, ne cum nulla urgeret occasio novi Episcopatus erigendi, quamdiu Rigensis Antistes toti ditioni, Episcopali auctoritate præsideret, non sufficientibus facultatibus instructus Episcopus ordinaretur: examinari etiam utrum expediret Episcopum constitui: expedire enim poterat, quod aliàs æquum visum est, ut Episcopus loca de novo ad fidem Christi conversa, quibus prædicari Evangelium procurarat, Ecclesiæ suæ lucraretur: & commodiùs fortasse Rigam populus ad Antistitem conveniret, quàm ad illa loca, quæ nova Episcopatui fundando, designarant Christi militiæ fratres.

Quantum autem ipse Innocent. necessarium existimarit, populis ad fidem conversis, Episcopum providere, cit. epist. 120. ostendit, dicens *Ne igitur, gregi Dominico desit cura Pastoris, cùm adhuc lupus rapax circumeat, quærens quem devoret, paratus eò fortiùs ad rapinam, quò recentiùs perdidit, quod diu tenuerat occupatum: discretioni vestræ, &c.* Nec præjudicium ullum Episcopali necessitati paupertatem inferre, vel inopiam, advèrsus Episcopi in terris infidelium admissionem, justam esse exceptionem ipse declarat: Cùm enim Esthiensis provincia, de qua epist. 129. scribit, *quòd in memoria hominum non exisiat, quòd cuiquam fuerit Metropolitico jure subjecta*, Fratris T. Montis S. Nicolai Rigensis diœcesis antea Abbatis prædicatione ad fidem conversa fuisset, eum nullis certis reditibus priùs instructum, per Padeburnensem, Verdensem, Ralkelburgensem, & Rigensem Episcopos ordinari mandavit; ut constat ex epistolis ejusdem libr. 124. 125. 126. 127. 128. 129. Sed præcipuè ex epist. 124. *Universis Christi fidelibus per Saxoniam constitutis:* in qua scribit eum, quamvis ex Evangelio vivere posset, tamen cùm esset Neophytorum Episcopus hac uti potestate metuisse, ne aliquod offendiculum Evangelio poneret: quocirca hæc verba, in ejus commendationem subjungit, *Eundem sine baculo atque pera, portantem coram Regibus, & gentibus nomen Dei, universitati vestræ duximus propensius commendandum, charitatem vestram monentes, & obsecrantes in Domino, atque in re-*

Digitized by Google

missionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ipsum tanquam Jesu Christi legatum recipiatis benignè, & sinceré tractetis in Domino charitate, suam & coadjutorum ejus in Evangelio abundantia vestra in hoc præsertim tempore supplentes inopiam, ut in illorum abundantia, vestræ sit supplementum inopiæ in futuro.

Duplicem ex iis observo differentiam, inter Episcopum Estienſis provinciæ, quem inopem sine baculo, sine pera, id est, sine mundanarum facultatum adminiculis Episcopum consecrari jusserat, & Episcopum in Sackela & Hugenhusen, quem à militibus Christi expetitum, eligi non permisit, nisi facta prius inquisitione, de facultatibus sufficientibus ad honestam Antistitis sustentationem: duplicem, inquam, reperio differentiam I. quod Estienſis Provincia ad Christi fidem, prædicatione & exemplis prædicti Abbatis, quem ad Episcopatum postea promoveri curavit, conversa fuisset; provinciæ verò prædictæ in Saccale, seu Sackela, & Hugenhusen, Gutlandiæ adjacentes, armis devictæ fuissent, à militibus Christi, & eâ præsertim ratione ad Christi religionem subactæ, ideoque in istis posterioribus provinciis, Episcopo opus esse videbatur, qui populos armis domitos, & ad Christi religionem inductos, auctoritate & sæculari potentiâ fretus, in officio contineret. In Estienſi verò provincia, quam humilitate conversationis prædictus Abbas ad Christi fidem maxima ex parte adduxerat, non adeò necessarium visum est, Episcopum in ea constitui, qui mundanâ auctoritate & divitiis polleret. Quin immò Episcopus ipse in illa Provincia, hac uti metuit potestate, quam Christus dedit, ut qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivant, ne offendiculum daret Evangelio.

Alteram, eamque præcipuam: quòd Provinciæ istæ Saccale, & Hugenhusen, antea Subderentur Episcopo Rigensi, atque adeò majori cautione deliberandum erat, de mutilando Episcopatu prædicto, & novo in iis regionibus constituendo, *tamen ne huic novellæ plantationi diligens cura deesset.* Quo argumento freti milites Christi, libello supplici oblato, ab Innoc. III. Episcopum postulare

Digitized by Google

lare non dubitarunt, quod & summus Pontifex *inquisita tamen & cognita veritate, si qualitas locorum poposcerit, ac facultates sufficerent*, concedendum illis Episcopum duxit. E contra verò, quia Estienſis Provincia à nullo hactenus Episcopo vendicata fuerat, ideo ei ad fidem conversæ, sine mora, etiam nullis certis reditibus dotatum Episcopatum in ea placuit constitui. Unde tantum abest, ut ex iis eam esse Inno. III. mentem colligere possimus, debere certos eosque amplos reditus Episcopis assignari, priusquam nationibus dissitis, Episcoporum subsidio destitutis, sive illæ de novo Christi fidem amplexæ fuerint, sive sub infidelium jugo oppressæ gemant, Episcopum aliquem mitti expediat: quin immò contrariam ejus mentem fuisse innotescat. Quod ipsum etiam exemplis postea ex Ecclesiæ usu petitis illustrari & confirmari poterit.

CAPUT XXX.

Refellitur, quoque excusatio ista, quòd Episcopus mittendus non sit, nisi ad valde numerosum, Christianorum Catholicæ Religionis Populum.

ALia etiam excusatio, à quibusdam prætexitur, nimirum, non expedire Episcopi creationem, nisi in iis locis, in quibus valde ingens, fidelium Catholicæ Religionis numerus fuerit, scilicet, metuunt illi, ne si ad modicam turbam Christianorum mittatur Episcopus: vel vilescat, vel otio torpeat. Neutrum prudenter verentur, nec excusatio illa ullis prudentibus probabitur.

I. Enim, nec Christus ipse saltem initio, nisi paucos Apostolos & Discipulos habuit, nec Apostoli, ad universum orbem missi sunt, non jam fidelibus, seu Christianis refertum, sed ut gentes ad Christianam fidem ac religionem perducerent, & ad Ecclesiæ unitatem dispersos colligerent, atque adunarent.

II. Nec

Digitized by Google

II. Nec insequentibus temporibus, Episcopos iis civitatibus subducendos esse, antiquissimi Patres crediderunt, in quibus pauci essent Christiani, sed potius in iis creandos esse censuerunt, ut Christianorum ipsorum operâ, ac studio, creseceret multitudo. Insigne est, quod de S. Greg. Thaumat. legitur apud Nyssen. in ejus vita, ipsum, *cùm munere suo fungeretur in Ecclesia administranda, & antequam excederet è vita, cuperet omnes à simulachris ad salutarem fidem videre conversos. Ubi suum obitum præsensit, studiosè, diligentérque totam urbem, agrumque circa vicinum perscrutatum, scire volentem, ecqui adhuc essent extra fidem relicti: eundem autem ut cognovit, non plures septemdecim esse, qui in antiquo errore permansissent, acerbum quidem etiam hoc, ad Deum suspicientem, dixisse, deesse aliquid eorum plenitudini, qui servantur Verumtamen magnâ gratiarum actione dignam rem esse, quod totidem, simulachrorum cultores relinqueret ei, qui sibi successurus esset in Ecclesia, quot ipse Christianos accepisset.*

Ex quo responso, colligi potest, quòd ipse Nyss. antea observaverat, Gregorio scil. Thaumat. Phædimum Amaseens. Antistitem, divinitùs afflatum, Neocæsarienſem civitatem, & regionem adjacentem regendam destinasse atque attribuisse, quæ ad illa ipsa usque tempora, adeò simulachrorum errori dedita fuerat, ut cùm infiniti essent, qui ipsam urbem, & regionem circumjacentem incolerent, non plures, quàm septemdecim invenirentur, qui sermonem fidei recepissent.

III. Priores ab Apostolis missi Episcopi, non ad fideles missi sunt, in fide fovendos & alendos, sed ad infideles convertendos. Exemplisque, quæ modò proferemus, constabit, non solùm primitivæ Ecclesiæ temporibus, quibus fides Christi annuntiari cœpit, ejus præcipuos præcones, Episcopos fuisse, ab Apostolis destinatos, vel aliis, in Ecclesiis, quibus Euangelium annuntiarunt, relictos; verùm etiam sequentibus temporibus, ad eas nationes, quibus seriùs annuntiatus est Christus, Episcopos fuisse sæpiùs missos, non ad multos Christianos, sed ad nullos, vel ad paucos.

Eoque sensu, sub Victore, & Zephirino Pontificibus scribit

Digitized by Google

scribit Photius in Bibloth. num 48. Cajum Presbyterum Romanæ Ecclesiæ ordinatum fuisse, *Gentium Episcopum*, scilicet, quia ad gentes convertendas, Episcopali cum auctoritate missus est. Innumeros taceo, variis temporibus, ab Apostolica sede, vel aliis Patriarchalibus, aut etiam inferioribus Pontificalibus, priùs infulis ornatos, missos fuisse.

IV. Neque ex paucitate credentium vilescere censuerunt S S. P P. Episcopatus honorem, cujus splendorem atque dignitatem, non ab ordine & relatione ad oves, Episcopo commissas, non ab amplitudine & potentia civitatum, quibus præsident, non à numerositate populorum, quibus præficiuntur; sed ab ordine, ad eum, cujus vicè præsident, ad Ecclesias toto orbe celebres, quarum communione gloriantur, cum quibus scilicet unam efficiunt Ecclesiam, & ad functiones divinissimas, quæ ad salutem æternam referuntur, sanctissimi Patres petendam, ac dijudicandam putaverunt, juxta illud Apost. *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Ideóque Hier. epist. 85. ad Evagr. *Ubicumque*, inquit, *fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexandriæ, sive Tanis: ejusdem meriti, ejusdem & Sacerdotii, potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit.* Et in eund. sensum Synes. epist. 59. Episcopos, quibus Andronici à se latam excommunicationem denuntiat, iis verbis interpellat: *Si quisquam velut angustæ urbis Ecclesiam contempserit, & ab ea damnatos receperit, quasi parere pauperi nihil necesse sit; noverit is à se sectam esse Ecclesiam, quam unam esse vult Christus.*

V. Neque otiosus erit Antistes, cui vel una anima commissa sit, satis amplus & spatiosus virtutis, & eruditionis campus est, in una vel altera ad æternam felicitatem anima deducenda: cui scilicet operi, etiam cælestes intelligentiæ sese quodammodò totas impendunt; multò minùs otiosus erit, cùm longè plures infideles in aliqua Provincia fuerint, quàm fideles, ostium Evangelio patens, tunc temporis aperietur, albicabunt agri ad messem,

Digitized by Google

sem, securis ad radicem ponetur, eripiendæ erunt animæ, è captivitate satanæ, amplificanda Christi gloria, Ecclesiæ fines proferendi, & de vitiis atque infidelitate triumphandum.

VI. Satiùs est, Episcopum mitti etiam ad paucos, quàm vel unum Sacramentis iis privari, quæ nonnisi ab Episcopis administrari possunt: vel paucos etiam alteri, quàm quòd à Christo institutum est, regimini assuescere, non facilè postea componendos ad obedientiam, nec ad subeundum dulce jugum Episcopale flectendos.

VII. Bonus Pastor relictis 99. in deserto, ovem unam errantem quærit, & inventam humeris suis imponit, plusque gaudii habet in unius recuperatione, quàm in 99. conservationes lætitiæ, Luc. 15. scilicet non sibi, sed aliis pastorem se esse meminit, qui non ab ovium, quibus stipetur, multitudine gloriam, sed vel ab unius, quæ periclitetur, salute, officii sui perfunctionem quærere debeat. Ergone paucæ istæ animę, quę ab aliis dissitæ, tanquam oves non habentes pastorem, huc illuc sparsæ sunt, adeò vilescent Episcopo, ut, ne sua ipsius dignitas vilescat, ad eas destinari se indignetur, & putet officium eminentissimæ charitatis, dejectionem esse Pontificalis dignitatis, eas animas Episcopi labore indignas putabit Christianus, pro quibus Christus ipse sanguinem fudit, qui sicut pro omnibus, ita pro multis, sicut pro multis, ita pro paucis, sicut pro paucis, ita pro uno mori voluit, ut nec misericordiam Dei, miserorum multitudo, nec beneficii Divini magnitudinem minueret, ipsius amplitudo.

Episcopi dignitatem vilescere, judicabit Theologus, qui non indignum arbitrabitur Angelorum sublimitate, quod ad singulorum hominum custodiam, ex beatissimis spiritibus, aliqui Divina ordinatione mittantur? *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te, in omnibus viis tuis*, inquit Bern. in Psalm. *Qui habitat. Nec cunctanter, quin etiam in manibus tollant te. Summa ergo majestas mandavit Angelis, & Angelis suis mandavit, illis utique sublimibus, tam beatis, quàm proximis sibi cohærentibus, & verè domesticis*

sticis mandavit de te. Homo verò putredo, & filius hominis vermis, à blandientibus quibusdam hominibus, persuaderi poterit, dignitatem Episcopi dejici, & despicabilem effici, nisi Antistes creatus multorum illicò experiatur obedientiam. Possuntne verò illi seriò monere, non esse honorificum, Episcopum constitui, nisi pluribus imperantem: qui & imperiis ejus parere noluerunt, & alios, eodem ore, ab Episcoporum potestate subducere conentur?

VIII. *Ubi sunt duo, vel tres congregati, in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* dixit Dominus, Matth. 18. Non dedignatur Dominus in medio duorum vel trium præsidem, & inspiratorem bonarum mentium, adsistere, & dedignabitur Episcopus, non dico, duorum vel trium, sed centum, vel mille conventui præsidere? *In uno & altero, Ecclesia est,* inquit Tertull. Catholicus, de pœnit. cap. 10. Quod confirmat, cum in eadem Ecclesia Catholica adhuc versaretur, lib. de Bapt. c. 6. his verbis, *nam si in tribus testibus stabit omne verbum, quanto magis, dum habemus per benedictionem eosdem arbitros fidei, quos & sponsores salutis, sufficit ad fiduciam spei nostræ, etiam numerus nominum Divinorum. Quum sub tribus & testatio fidei, & sponsio salutis pignerentur, necessariò adjicitur Ecclesiæ mentio: quoniam ubi tres, id est, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ibi Ecclesia, quæ trium corpus est.*

Idemque tradit ab Ecclesia Catholica extorris, exhortat. ad castit. c. 7. *sed et ubi tres ecclesia est, licèt laici:* & de fug. c. ult. *sit tibi & in tribus Ecclesia.* ita tamen, ut c. 7. cit. exhort. ad cast. reprehensionem non effugiat, dum & in tribus laicis, Ecclesiam esse contestatur, quæ apud Catholicos minimè esse intelligitur, nisi ubi plebs Sacerdoti cohæret, & grex Pastori suo coadunatur, ideóque prioribus locis, ita in tribus Ecclesiam consistere docuit, ut & ministrum Pœnitentiæ, & Baptismi Sacerdotem adesse velit, cujus tanquam præsidentis imitatione vel licentiâ, tres illi colligantur, ad quorum conventum, Patrem & Filium & Spiritum Sanctum præstò esse, contendit, quorum adventu, Ecclesiæ corpus, quod trium saltem esse debet, sanctificetur.

Men

Digitized by Google

Mens ergo ipsius est, sufficere trium cum Sacerdote collectionem, ut Ecclesia dicatur, quemadmodum familiam de tribus dici statuit Cuiacus, quia docet Ulpian. ne duos quidem familiam facere, leg. 40. Dig. de verbor. significat. quemadmodum etiam collegium rectè dici quod ex tribus constet, affirmat Nerat. Priscus lege 85. ff. eodem. Nulla igitur Sacerdotali dignitati fit injuria, si ad Paucos Christianos, imò etiam ad gentes non multum populosas, sed ita ab aliis dissitas, ut alibi degentium Episcoporum operâ, atque solatio, nec regi, nec instrui, nec foveri queant, Episcopus mittatur; Charitas enim Dei, & proximi bonum spiritale procurandum, levioribus istis suspicionibus, quæ sese opponere viderentur, omninò præponderant.

CAPUT XXXI.

Excusatio alia, quòd nascenti Ecclesiæ, nequaquam sit præficiendus Episcopus, sed tantùm adultæ, & confirmatæ, rejicitur.

NOn longè diversa à præcedenti, excusatio alia prætexitur, nimirum non esse Episcopum illuc mittendum, ubi Ecclesiæ status adhuc fluctuat, ac vacillat, sed duntaxat ad Ecclesiam adultam ac firmam, Episcopum mitti oportere, tanquam ejus perfectionem & apicem.

Verùm falluntur, qui hanc excusationem proferunt, & callidè ac versutè, omnem penitus Episcopi missionem intercludere conantur, atque felici Ecclesiæ amplificationi aditum obstruunt. Etenim vix unquam Ecclesiæ status firmus, ac certus esse potest, nisi ipsius Episcopi accessu: ac proinde, qui Episcopi ordinationem differri volunt, donec Ecclesia certo ac constanti statu consistat, ad illud tempus, ejus ordinationem protrahunt, quod vix unquam sperari possit; sicut enim sine certo magistro schola nunquam certo statu esse potest; sine certo patre familias rei domesticæ,

Digitized by Google

mesticæ; sine præposito regulari, familiæ religiosæ; sine duce, exercitus status nutat: ita sine Episcopo, in incerto pendet Ecclesiæ status, nec firmitatem ullam consequitur: sine quo nec Ecclesiam consistere, docent Ignat. epist. ad Trall. Cypr. epist. 69. ad Florent. Hieron. Dial. adverſ. Lucifer. & alii à nobis superiùs citati.

Sed ex omnibus, eligo Nazianz. Orat. 32. ex qua aliqua super. citavimus: ejus verbis, & rationibus jam ostendemus, statum Ecclesiæ, antequam Episcopus, seu Pastor aliquis ipsi præfectus sit, incertum esse, infirmum, turbidum, nutantem, calamitosum, nec incrementorum feracem, sed ad exitium inclinantem. Hoc ipse 1. pluribus similitudinibus eleganter depingit, dum Constantinopolitanam Ecclesiam Pastore destitutam, non tamen fidelibus Presbyteris omninò carentem ait gregem fuisse, imò *ne gregem quidem, sed parvum quoddam, Et tenue gregis vestigium.* Dispersum scilicet fuisse, ac palantem, instar gregis, quem leones expulerunt, aut tempestas dissolvit, aut caligo dissipavit. Dum eandem segeti parvæ comparat, & inopi, Deo cultore, imò ne paupere quidem ac tenui homunculo dignam, sed ne segetem omninò, nec horreis, nec areâ fortasse, nec falce dignam: cujus nec acervi, nec manipuli, aut certè parvi & immaturi, nec messoris manum implentes, nec eorum, qui pertranseunt benedictionem illicientes; dum ipsam comparat stipulæ in messe, & racemulo in vindemia, quem græci σταφυλίδα vocant, parvæ scilicet uvæ, quæ in vindemiis foliis tecta, oculos fallit, vel etiam propter immaturitatem relinquitur, ut explicat Nicet. schol. in istam orat.

Quam comparationem à Michea Proph. mutuatur, scribente cap. 7. *Væ mihi, quia factus sum, sicut qui colligit in autumno, racemos vindemiæ, non est botrus ad comedendum, præcoquas ficus desideravit anima mea.* Appositéque illâ similitudine, sicut Propheta raritatem, atque ruditatem Judæorum, quos ad colligendum inquirebat, deflevit; ita Naz. fidelium, ante sui adventum, & paucitatem, & ignorantiam expressit, ob quam etiam ignorantiam & tarditatem fidelium, qui Constantinopoli

Digitized by Google

reperirentur, comparat totam Ecclesiam, præmaturis ficubus: eandem Micheæ loquendi rationem imitatus, & Oseæ verba cap. 9. proferens, *quasi uvam in deserto invenit Israël*, & quasi σικυὸν apud 70. seu ut alii legunt, σῦκον ἐν σύκῳ, ut apud Cyr. Alex. in cap. istud Oseæ & alios passim πρωΐμον *ficum in ficu præmaturam: Quibus verbis*, inquit Nicet. *paucitas & raritas indicatur nam uva in solitudine rara est, quemadmodum &* κολὰς, *in ficu,* σικυὸς *autem, subdit, dicebatur præcox ficus, quæ ante alias maturuerat; quemadmodum enim* σικυὸς, *id est, speculator, & explorator, exercitui quædam prænunciat, sic etiam hæc ficus maturitatem prædicit.*

Raritatem verò fidelium, in eadem Ecclesia existentium, desumptis ab Isaia exemplis, illustrat, acini scilicet unius, qui in immatura adhuc uva reperitur (in quo alludit ad cap. 60. ejusdem Prophetiæ) & ideo benedictionis causa servatur, ac primitiis consecratur. Item signiferi ligni in colle, & mali navis in monte, aut alterius cujuspiam, quod sit singulare, nec multis conspicuum, in quo alludit ad verba ista cap. 30. ejusdem, *Mille homines à facie terroris unius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini quasi malus navis, in vertice montis, & quasi signum super collem*, id est, donec exterminationi proximi sitis, & ad paucitatem redigamini, *Nam*, inquit Nicetas, *multæ arbores in montibus, non ita claræ & notabiles sunt. Quòd ficubi in montis cacumine pinus una aut Cypressus relicta sit, viatoribus admodum insignis, & perspicua est. Ad hunc modum*, inquit, *vos pauci, ex multis relinquamini, faciléque numero comprehendemini.* Quâ proinde similitudine utens Naz. ostendere voluit, Constantinopolitanam Ecclesiam defectu Pastoris ad exterminium prope redactam, quænumerosa antea fuerat.

Denique Ecclesiæ viduæ statum egregiè describit, dum eandem Ecclesiam, ossibus siccis, sine compage, sine junctura dispersis, ac dissipatis, carne nudatis, spiritu vivificante destitutis, comparat. Hac similitudine repræsentans Ecclesiæ orbatæ Antistite ruinam, provenientem ex eo, quòd iis principiis careat, quibus res omnes conservantur, & crescunt, etenim concordiâ parvæ

res

Digitized by Google

res crescunt, discordiâ maximæ dilabuntur: Virtus unita contrariorum impetus facilius frangit, dissipata impugnantium conatibus proteritur; languescunt dispersæ vires, & debilitantur, quæ unitæ, & resistunt fortius, & acrius lacessunt impugnantes. Ut autem ejusdem Religionis, & fidei membra uniantur, Antistite opus est, ad cujus jussionem colligantur, cujus communione ac societate in idem corpus religentur, cujus præceptis ad eandem disciplinam formentur, sicut exercitus totus ad unius ducis vocem, ad eandem tesseram militarem symbolicamque voculam conglobatur, adversus hostes armatur & ab illis dignoscitur.

Quibus omnibus similitudinibus docet Greg. nec incrementum, nec firmitatem Ecclesiam Antistite orbatam consequi posse: quin immò firmam etiam debilitari, numerosam dissipari, & ad nihilum ferè redigi, è contra verò, firmitatem, robur, ornatum, incrementum Ecclesiæ per adventum præsulis accedere, oppositis similitudinibus, atque aliis quibusdam demonstrat, aitque statim ab Episcopi constitutione, parvam & inopem segetem in amplissimam messem evasisse, ex nocte diem factum, ex hyeme ver, ex tempestate tranquillitatem, ex siccitate pluviam, & in tantam fœcunditatem, Ecclesiam venisse, quantam in populo Jsraëlitico miramur, cujus sexcenta hominum millia, ex Ægypto egressa sunt, cùm non multo anteriori tempore, unus Joseph terram istam ingressus fuisset, ait, tantillum olim gregem & dissipatum, qui vix grex haberi posset succulentum, latéque sese porrigentem redditum fuisse, & si nondum perfectionem assecutum, ad eam tamen quotidianis incrementis progredi, atque etiam progressurum se à Spiritu Sancto motum, audere polliceri, multò enim mirabilius esse, quod ex tantillo, ad tantam magnitudinem pervenerit, quàm ut ex eo statu, quo tunc erat, ad summum splendoris gratiæque gradum provehatur.

Denique, ne cætera prosequar fusius, eleganti similitudine, Ecclesiæ instaurationem, quæ fit per Episcopi ordinationem, nobis describit, dum subdit, *Posteaquam enim semel ab eo, qui mortuos revocat, ossa cum ossibus commissuræ*

Digitized by Google

nissuræ cum commissuris, jungi cœperunt, ac siccis rebus spiritus vitæ & regenerationis datus est, resurrectionem utiq; omnibus suis numeris, partibusque perfici, atque expleri necesse est. Ac si diceret, non antea sperari posse, Ecclesiæ suis omnibus numeris absolutum complementum, nisi antea operatione Dei, cujus solius est mortuos ad vitam revocare, Ecclesiæ segmenta potius, quàm membra, quæ ante Episcopi constitutionem soluta, temeréque disjecta erant, ad unius corporis concentum & harmoniam ordinatâ dispositione colligantur, & quæ destituta vivifico Dei influxu, qui per Episcopum defluere atque communicari solet tanquam ossa arida effecta fuerunt, receptâ vitali istâ Pontificali ministerii interventu, dispositione, carnibus nervisque vestiantur, ornatumque & pulchritudinem suam amissam recuperent.

Eaque prima est ratio, ob quam ex Naz. probare possumus, vix ac ne vix quidem, Ecclesiam firmum, constantemque statum obtinere posse, quamdiu Episcopo orbata, & Episcopali Cathedrâ privata fuerit, quia sicut in naturalibus corporibus, primi cæli ad nos influxus minimè pertingunt, nisi per intermedia corpora, quorum vel uno destructo, sublataque mundi harmoniâ, atque concentu superiorum corporum, salutaribus influxibus inferiora corpora destituta, certo, constantique statu esse non possent, sed ad interitum tenderent, ita cum ex sententia Dion. lib. de cæl. Hier. toties inculcata, divinæ circa nos providentiæ, & gubernationis effectus, per Episcopum, tanquam hierarcham, vel ejus locum tenentem, cuilibet Ecclesiæ communicari soleant, subducto Episcopali ab Ecclesia principatu, intercluditur via, quâ se salutares illi effectus diffundant, quibus subductis, & harmonia ista terrestris hierarchiæ cum cælesti dissipata, ad interitum Ecclesiam, Episcopo viduatam, tendere, non progressus facere, secundùm Dei ordinariam legem necessum sit, utpote, quæ non amplius, divina, sed humana gubernatione nitatur.

Quam rationem etiam idem Gregor. insinuat, dum Ecclesiam, quæ non sub Episcopi Catholici auspiciis cöeat, indignam Deo asserit, qui pulchris pietatis seminibus,

Digitized by Google

bus, & doctrinis totum orbem terrarum excoluit atque excolit.

CAPUT XXXII.

Aliæ Rationes pro hac doctrina, ex Greg. Nazianz. expenduntur.

ALias Hujus Doctrinæ Rationes nobis suggerit Greg. Naz. dum negat gregem, qui sit ἀνυπεύθυνος ut ipse loquitur ne gregem quidem esse, sed tenue duntaxat gregis vestigium.

I. Quòd sit ἀνύπαυτος id est, immunis à muneribus, quemadmodum apud Synes. vox ista sumitur, seu in nullum ordinem descriptus in nullam classem contributus, seu tandem incompositus & inordinatus: quæ omnia gregi Episcopali Cathedrâ carenti, optimè congruunt, nam & Ecclesia quæ cathedram Episcopalem non habet nec consequentia hierarchica munia obtinet, nec ea omnia officia, quæ cum imperandi, vel superiorum jussa exequendi auctoritate, aut cum parendi necessitate conjuncta sunt: sicut autem nec civilis politia, nec ulla familia stare diu potest, inqua officia ista, munia, vincula, & necessitudines desiderantur, ita nec firma & constans stare potest Ecclesia, cui omnia ista defuerint, collectio hominum, sine istis muneribus, sicut arena sine calce, vel minimâ perflantis tentationis aurâ prosternetur. Quomodo item vel Ecclesia singularis dici poterit, quæ ad nullam totius Ecclesiæ partem commodè revocabitur. Solet enim, quævis singularis Ecclesia, vel diœcesis Episcopalis dici, si amplior, vel Parochia, si angustior seu restrictior fuerit, ad neutram autem classem grex Pastore carens, spectabit, itaque nec Ecclesia proprie dici poterit, ut pote ἀσύλλαντος populus, & ad nullum ordinem, nullamque classem, atque Ecclesiæ descriptionem reducendus. Huic etiam incompositus atque inordinatus futurus est, & venustate sibi debitâ privandus nec unquam ad ornatum debitum provehendus. Ea enim est rerum mundanarum conditio, ut, cùm ad eum sta-

Digitized by Google

tum pervenerint, in quo acquiescere non possunt, statim decrescant.

II. Nec propriè gregem esse, confusam hominum, sine Pastore collectionem, docet, quod sit ἀόριστον, id est, *indiscretus, nullis terminis inclusus*: Unde enim termini, qui gregem aliquem circumscribunt, & ab aliis discernunt, nisi à Diœcesean, cui unus Episcopus præsideat, & Parochiarum, cui Parochus præficiatur, creatione, atque institutione? indiscretum autem, & nullis terminis definitum populum, propriè Ecclesiam non esse, non gregem dici posse, ritè docuit Nazian. sicut enim hoc interest, inter acervum lapidum, & domum, inter palantem hominum multitudinem, sine rectore, & Rempublicam, quod hæc terminis quibusdam discreta, ac definita sint, illa minimè. Ita hoc interest, inter Ecclesiam, & vagantem hominum, quantumlibet in Christum credentium, multitudinem: quòd hæc in Ecclesiam nunquam evasura sit, nisi communione quadam inter ipsos credentes indivisa sit, & finibus quibusdam ab aliis discreta, ac divisa reddatur, nec sperari potest divinâ benedictione, eam multitudinem beandam esse, quæ divinæ institutionis formam non habeat. Quantumvis enim Ecclesiæ collectio divinum, non merè humanum opus sit, propagatio tamen & ampliatio, Deo præsertim tribuitur: dicente Apost. 1. ad Cor. 3. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Unde ab extraneis quidem Doctoribus, plantari divina fides, & rigari fidelium corda, divini verbi rore possunt, accrescere & foveri novæ istæ plantationes non possunt, nisi in veram Ecclesiæ societatem, sub Pastoribus suis coëant, & secundum Divinam institutionem à Pastoribus & divini verbi, & Sacramentorum pluviâ irrigata fœcunditatem à Deo recipiant.

III. Eandem veritatem probat quòd populus sine Pastore, nec pascui liberi jus habeat. Cur autem pascui liberi jus non habere dicatur populus, qui Pastore caruerit, quantumvis extraneos, & voluntarios plurimos Doctores retineat, qui ipsum pascant, ratio est, quia non habet ille liberam pabulationem, qui eam suo jure exige-

Digitized by Google

exigere à quoquam nequit, & cui fine iniuria, denegari potest. Talis autem est populus, qui Pastore caret, cui affatim interdum Divinum pabulum suppetit, interdum restrictiùs suppeditatur, nunquam jus est, quoties libuerit suo jure expostulandi & exigendi.

IV. Aliam rationem addit, causatus populum sine Pastore, *nec caulâ cinctum esse*, atque adeò patere insidiis luporum incurrentium, quia deest Pastor Dominicus, qui circumeat ovium caulas, repulsurus ab iis luporum insidias, desunt eis civitatis sanctæ seu spirituales præfecti, *monitis ipsos, & mystagogiis circumvallantes & obmunientes*, inquit Cyr. Alex. in cap. 54. Isaiæ. Deest Angelus terrestris, de quo Psal. 33. *Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Deest Pastor, qui exeuntes è caulis oberraturas oves regredi cogat: hoc enim interest, inter voluntarios Evangelii præcones, & Pastores, quòd hi quantumvis offensi malitiâ populorum, *non debeant regredi, sed efficere, ut rebelles subditi convertantur*; illi egrediantur è caulis ovium malitiâ offensi, *contenti ut summum cum Christo, qui nationi uni donatus non fuerat, dicere: O generatio incredula, quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar.*

V. Ejusdem populi miseriam ostendit Naz. dum ipsum nobis describit, πλανώμενον *errabundum, huc illuc dispersum, atque dissectum.* Errabundum quidem, quia pro libito discurrit, & ad Sacerdotem, quandoque minus idoneum, quem vel sors obtulerit, vel propria cujusque voluntas selegerit, non Divina providentia ducem destinarit: Ideóque hoc, quod felicitati aliqui deputant, infelicitati S. Doctor adscribit: libertatem scilicet eligendi sibi vitæ spiritalis præceptorem ac ducem; populumque suis desideriis ita relictum, dispersum putat, quia Ecclesiæ corpori tenui duntaxat filo cohæret, ab omni obedientiæ vinculo liber atque expeditus; disjectum existimat, atque dirutum, quòd abjectus quodammodo à Deo videatur, cui de Pastore Deus minimè providit, qui spiritali præsidio custodiæ pastoralis careat, qui nullum habet spiritalem Magistrum, quem timeat, nullum sibi præfectum, cujus, si peccaverit, judicium censuram-

Digitized by Google

que perhorreſcat: cùm tamen teſte Aug. Epiſt. 50. Bonifacio, multis profuerit, non pudore ſolùm, ſed & metu cogi, *ut poſtea poſſent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere ſectari:* unde quia eodem Aug. teſte ibid. *Sicut meliores ſunt, quos dirigit amor, ita plures ſunt, quos corrigit timor; quos pudor à peccando revocat, ideo disjectum ac diſperſum putat oberrantem gregem, & cujuſvis occurentis directioni ſe & animadverſioni ſubjicientem, ad eumque pro paſtu accedentem, & ab eodem ſuffurantem ſalutis media.*

Quidni verò infelicitati adſcriberet, eò reductam aliquam plebem, ut nullum certum morum ſuorum cenſorem, nullum ſibi præfectum vitæ ſpiritalis Antiſtitem, nullum habeat, qui pudorem incutiat reprehenſione, nullum, qui timorem inferat, pœnarum comminatione, *facilitas veniæ*, inquit Ambroſ. Serm. 8. in pſalm. 118. verſ. 2. *incentivum tribuit delinquendi.* Et certè, ut rectè Aug. exponit epiſt. 167. Feſto, *Tanta quoſdam malæ conſvetudinis vorago ſubmerſit, ut omnibus auctoritatibus, rationibuſque reſiſtere, quàm conſentire malint: reſiſtunt autem duobus modis, aut ſerviendo, aut pigreſcendo. Quid igitur hîc faciat Eccleſiæ medicina, ſalutem omnium maternâ charitate conquirendo, tanquam inter phreneticos & lethargicos æſtuans? nunquid contemnere, nunquid deſiſtere, vel debet vel poteſt; utriſque ſit neceſſe eſt moleſta quia neutris eſt inimica.* Hæc aliaque, tum eadem epiſt. tum aliis, cùm dicat Aug. de iis, de quibus, exemplo Apoſtoli, gaudet Eccleſia, quòd contriſtentur ad pœnitentiam, quantum deſertos illos, & à Deo relictos cum Naz. arbitraretur, qui nullos haberent paſtores, ſibi præfectos à quibus corrigi, nullos à quibus ex officio redargui, increpari, obſecrari poſſent, in omni patientia & doctrina: Divinæ cujusdam reprobationis indicium eſt, cùm quis concupiſcentiis ſuis relinquitur, ut quærat magiſtros ſibi blandientes, prurientes auribus ſuis, ut careat patribus & pœdagogis, à quibus ex officio diſtrictè moneatur, ne in peccatum incidat, corrigatur ſi inciderit.

Facilè negligitur voluntarius Doctor, quem nobis, ſi lubet, & quando lubet accerſimus: obturamus facilè noſtras aures eorum monitionibus, quibus non niſi volentes

aperi-

Digitized by Google

aperimus : auctoritas eorum facilè rejicitur, qui nec renitentes cogere possunt, nec durè increpare, nec Satanæ tradere, nec à communione repellere : inter ea, quæ Christianos in officio continebant Tert. illud reponit Apol. cap. 9. *Quòd disciplinam præceptorum inculcationibus densarent : quòd apud eos exhortationes, castigationes & censura divina vigerent : quòd & judicarentur magno cum pondere ut apud certos de Dei conspectu, summumque futuri judicii præjudicium esset, si quis ita delinqueret, ut à Communione, & orationis & conventus & omnis sancti commercij relegaretur.* Partem igitur aliquorum mediorum, quibus unicuique salutem, Christus in Ecclesia procurari voluit, amputat, qui nec censuræ, nec increpationibus, nec accusationibus ac reprehensionibus, nec omnino Pastorali judicio, ac Magisterio, locum relinquit, Episcopos atque Parochos omnes ab Ecclesia ablegans, populosque voluntariis duntaxat Doctoribus subjiciens, in quantum ipsi se subjicere illis & subdere voluerint.

Sed & ponderare debemus, egregiam loquendi rationem apud eundem Naz. quòd eos, qui pastoribus propriis caruerint, subripere & suffurari quodammodo salutem suam scribat sanctissimus Doctor, in quantum nimirum jus non habent, à quoquam ea exigendi, quibus ad salutem pervenitur, sed precariò duntaxat ab iis implorare coguntur, qui sponte, nullaque necessitate vel lege adacti, ipsa illis impertiuntur. Si ergo miseros & calamitosos existimamus eos, qui victum mendicatò quærere coguntur; nonnè similiter miseram eorum conditionem censere debemus, qui spiritualem alimoniam emendicare compelluntur, nec nisi cum opportunum, & commodum concedentibus fuerit, beneficia spiritalia sperare præsumunt.

Quam pariter populi Episcopali regimine carentis calamitatem, agnocit Tert. dum lib. de præscr. c. 42. desuri temporis hæreticis, ita differit, *Plerique nec Ecclesias habent sine matre, sine sede, orbi fide, extorres, quasi sibi latè vagantur.* Quibus verbis, quam misera sit hæreticorum quorundam conditio, quam profligata apud eos disciplina, demonstrat, quòd nec Ecclesias habeant, quia

Digitized by Google

sine pastore & capite certo constituto, Ecclesiæ non sunt, etiamsi numero constent: quod sine matrice Ecclesia consistant, à qua spiritalis regenerationis, & Sacramentorum administrationem petant: sine sede Episcopali, à qua leges & judicia Ecclesiastica promanant; quòd ab Ecclesia extorres videantur, in quantum ad nullam certam classem, ad nullum ordinem revocari possunt: quòd denique sibi latè vagentur, dum nullis addicuntur Pastoribus, sed sibi relicti, vagam & confusam habent Sacerdotum seligendorum libertatem; quam pernitiosam esse supponit, & indisciplinatam: cùm melius omnino sit à Dei nutu pendere, ejusque vicariis subjacere nobis præfectis, quibus tanquam à Deo constitutis obtemperemus, quàm pro libito, & pro suo arbitrio Sacerdotes seligere, quibus ad horam, & quamdiu placuerit, nosmetipsos subdamus, retinentes in nos absolutum imperium, usum tantum potestatis temporarium, & limitatum concedentes: nisi videlicet dicamus melius esse sibi, quàm Deo parere, propriæ voluntatis arbitrium sequi, quàm divinæ ordinationis legem, amoris proprii semina fovere, quàm rescindere.

CAPUT XXXIII.

Confirmatur Epilogicè, Doctrina Cap. XXXII. Præced.

HAnc igitur totam præcedentem ratiocinationem, ita colligo, perperam & impiè exspectari missionem Episcopi, donec Ecclesia ad adultum constantemque statum perveniat, cùm vix ad illum statum perventura unquam sit Ecclesia, nisi Episcopum habuerit, quo scilicet si privetur, tantum abest, ut in eo statu sit, ut accrescere, convalescere, florere possit, cùm potius Episcopo, ubi caruerit, statim emarcescat, defloreścat, depereat: & sine Episcopo quidem, quorumdam conversio procurari possit: sed vix ad fidem conversi, sine Episcopali regimine perfici possunt, nisi forte rari quidam, divinâ

Digitized by Google

vinâ gratiâ insigniter præventi; nec diu sine Episcopali gubernatione, fides propagetur, nec religio firmas radices agat, ita ut convelli non possit. Cujus rei cùm speciales rationes mox assignaturi simus, generales duas hoc loco adnotare sufficiat, experientiam scilicet, & institutionem divinam.

Experientiâ siquidem constat, à Christo nato ad hoc usque tempus, nullum Ecclesiæ florentis exemplum proferri posse, quæ non Episcopali regimine imperioque contineretur. Institutionem verò divinam esse ex prædictis constat, quòd Apostolis, qui Ecclesiarum fundamenta dicuntur, Psalm. 86. ad Ephes. 2. & Apocal. 21. Episcopi succedant: eorumque munus proprium sit, propriaque dignitas, *ut Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores existant*, ut loquitur S. Prosp. lib. 2. de vita contemp. c. 2. ex quo eadem verba exscripserunt, Conciliorum sub Ludov. Pio Paris. lib. 1. 1. c. 4. & 9. Aquisgr. part. 4. cap. 5. P P. & Religiosi imperatores Capitular. lib. 5. c. 163. quo etiam sensu Episcopi omnes à Greg. Naz. car. 11. κόσμοιο γέννεθλα, *mundi fundamenta*, à Nicol. 1. Epist. 42. Episcop. Galliæ, & Clem. V. in conc. Vienn. prout refertur Clement. de parv. *columnæ Ecclesiæ*; à Philippo Burgund. duce, orat. ad P P. Conc. Basil. *veræ bases Ecclesiæ*, dicuntur, eodem Athanasium Episcopum, τῆς Ἐκκλησίας στύλον, Nazianz. orat. 21. & 28. & Cyr. Alexandr. homil. 8. Pasch. Basilium, *columnam & fundamentum Ecclesiæ*, idem Nazianz. orat. 19. iisdemque verbis, Eusebium Samozatenum, Epist. 29. ad eumd. & 74. Nectarium *Ecclesiarum commune firmamentum*; & Antistitis vigilantiam, Nyss. in vita Thaumat. *commune munimentum* appellant.

Quare Ecclesia Dei, ut ex sterili, fœcunda evadat, dicitur per Isaiam, juxta interpretationem 70. *Ecce ego præparabo tibi Carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua Saphyrum, & ponam propugnacula tua Jaspim, & portas tuas lapides Cristalli, & murum tuum, lapides electos*, id est si Cyr. Alex. interpretationem auscultemus, ponam pro fundamento Ecclesiæ Jesum quasi Carbunculum, in quem, si quis crediderit, non pudefiet, firmum scilicet lapi-

lapidem, & immotam sanctæ civitatis basim; ponam Apostolorum cœtum, tanquam Saphyrum, secundum ipsum Ecclesiæ fundamentum; ponam tanquam Jaspidem, & lapides Christi, lapides *Sanctorum Mystagogorum, Deo amicum & sapientissimum cœtum, quos postea præsidentes,* ac civitatis S. præfectos, appellat, qui fundamentorum, propugnaculorum, portarum loco, & usui sunt, quòd pugnent cum his, qui multitudini fidelium, bellum inferunt: quod impiarum sectarum inventoribus resistant, Ethnica fraude irretitos, illicò ad Dei cognitionem revocent: quòd monitis, & sacris directionibus, & sacrorum administrationibus, quas μυσταγωγίας, unico vocabulo appellat, obvallent, & obmuniant credentes, ut non exponantur malis potestatibus, & falsorum Doctorum scurrilibus nugis, qui falsò nominatæ scientiæ venenum, animis simpliciorum infundunt.

Hinc autem sequitur, quod subdit Propheta, *& omnes filios tuos, discipulos Dei,* supple præparo: *& in multa pace, filii tui,* supple erunt; Pax enim Ecclesiæ procuratur, cùm Pastores dotibus & gratiis cælestibus donati ipsi præficiuntur, quam pastorum creationem, editio vulgata Hebraico textui conformior, expressius describit his verbis, *& ego sternam per ordinem lapides tuos, in lapides desiderabiles.* Nam Pastores & Hierarchicos Sacerdotes, præordinatos lapides, quorum unus alteri subsit, & quibus populus ordine congruo subjiciatur, qui sint fundamenta immobilia, propugnacula firma, termini populorum, quibus alii ab aliis discernantur, melius, quàm Sacerdotes, voluntariam operam præbentes, dici posse, nemo est qui non fateatur.

Denique ob eandem causam, Zacharias Proph. cap 9. salutem populorum, & singulorum Christi, supra Christianum populum, tanquam gregem suum, tutelam ac custodiam, Pastorum creationi, qui tanquam lapides, ad Ecclesiæ fundationem consurgant, adscribit his verbis, *Et salvabit eos Dominus Deus eorum, in die illa, ut gregem populi sui: quia lapides sancti elevabuntur super terram ejus.* Eos enim lapides sanctos super alios elevatos, Pastores propriè intelligi posse, quis non videat? maximè

cùm

Digitized by Google

cùm huic interpretationi consentiant Cyr. Alex. Hier. & alii, in caput Isaiæ cit. & rectè exponit Albert Magn. in hunc locum, lapides sanctos intelligens, *sanctos solidæ vitæ, qui elevantur super terram, quando principatum accipiunt*, juxta illud Job 5. *cum lapidibus Regionum erit pactum tuum*, id est, cum Principibus, & rectoribus Provinciarum.

CAPUT XXXIV.

Ecclesiam novellam maximè Episcopo indigere ad Procurandam disciplinam.

ALiis peculiaribus rationibus, refutari potest præcedens excusatio, iis scilicet, quæ ostendunt tantum abesse, ut Ecclesia in sua infantia, Episcopo privanda sit, quinimmo, tum maximè indigeat. Quarum rationum I. hæc est, quia par est Ecclesiæ universæ, & hominis individui, servatâ proportione, institutio: Unde quemadmodum à tenera ætate, puerorum instituendorum ingenia formare, & ad ea studia vitæque genus flectere, necessum est, ad quæ volumus eos, ubi ad grandiorem ætatem pervenerunt, promptos ac dociles esse: ita si Ecclesiam Christi volumus ad disciplinam, ad obedientiam, ad vitæ Christiano homine dignæ severitatem, ad religiosas observantias, & officia erga superiores Ecclesiasticos, formare, hæc omnia ab ipsa Ecclesiæ erectione, expedit maximè commendare, inculcare & in praxim revocare, ne si eorum aliquid prætermissum fuerit, difficilè postea suscipiatur, sicut gypsum, & argilla dum uda sunt, in quamvis imaginem facilè sequuntur fingentis manum, ubi siccata sunt, ad nullam aliam exprimendam, idonea sunt, quàm ad eam, quam susceperunt, sicut etiam.

Quo semel est imbuta recens servabit odorem,
Testa diu.

Similiter rudes puerorum animi, ad omnem disciplinam idonei sunt, si à teneris unguiculis eidem assuescant,

Digitized by Google

cant, ad asperiora verò studia incapaces, nisi ad ea, à teneris formentur. Ecclesiæ quoque ipsæ, ubi primum colligi cœperint, ad omnem disciplinam, & religiosam observantiam suscipiendam, sine molestia, sine gravi labore, flecti possunt: sed ubi formam religionis susceperint, tanquam pro avita possessione, sic pro susceptâ, vel libertate, vel disciplinâ contendunt. Et quod de homine privato dixit Hier. Thren. 3. *Bonum est, si portaverit jugum ab adolescentia sua*; hoc de quolibet fidelium cœtu dici potest, bonum esse, si à prima sua origine, publicarum Liturgiarum frequentationi, Festorum & Jejuniorum indictioni, observantiæ erga superiores Ecclesiasticos, honori, tam in reverentia, quàm in muneribus ipsis exhibendis consistenti, obedientiæ Episcoporum legibus deferendæ, pœnitentiarum Canonicarum devotæ susceptioni, aliisque disciplinæ Ecclesiasticæ, iis etiam, quæ apud nos forte exoleverunt, institutis, assuescat.

Quibus omnibus, assuescere non poterit, nisi Pastorum imperio, atque Episcoporum jurisdictioni, fideles statim ab initio subjaciant. Eorum autem omnium, si vel quidpiam de novo, ipsis, post Religionem Christianam susceptam, onus, cum Episcoporum constitutione imponatur, neque illa, quæ putabant, minimè necessaria, quia sibi primitùs minimè imposita, nisi inviti suscipient; & propter illa, Episcoporum creatio molesta ipsis, atque ingrata futura est, quorum alterutrum, quantum Ecclesiæ Dei pernicioſum sit, nemo non videt.

Tantum ergo abest, ut Ecclesiis nascentibus, aut Episcopalis jurisdictio, tanquam minimè necessaria, subtrahenda sit, aut disciplinæ severitas relaxanda, cùm potiùs intendenda tum maximè sit disciplinæ cura, cùm de novo aliqui, Catholicam fidem subeunt, & sub potestate continendi, qui de novo Ecclesiæ se auctoritati subjiciunt. Quod enim in uniuscujusque religionis factitiæ (quo nomine majores nostri utebantur) professione, ac susceptione, in usu antiquo esse solet, ut scilicet novitii, recensque professi, severiore lege domentur, ac sub regu-

Digitized by Google

regularium præfectorum imperio & custodia, strictius contineantur, quàm cæteri, in exercitatione Monastica diu probati; hoc in Catholicæ Religionis professione, etiam in usu esse debet, ut qui ad eam de novo veniunt, non nisi diligenter examinati ad eam admittantur. Quorum adlectionem exploratam commendat Tert. de præscript. cap. 43. ècontra, in hæreticis reprehendens, quòd præproperè baptizarent. *Æthnici*, inquit, *si supervenerint, sanctum canibus, & porcis margaritas, licèt non veras, jactabunt*, cap. 4. ejusd. lib. Hinc tot olim scrutinia, tot probationes Baptismo, ex Ecclesiæ lege, præmissa sunt. Hinc idem Tert. de Bapt. cap. 20. docuit, *Ingressuros Baptismum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportere, & cum confessione omnium retrò delictorum, ut exponant etiam Baptismum Joannis*. Similiter, & post emissam Religionis nostræ susceptionem, in officio magis ipsi, ex infidelibus conversi continendi sunt, ne ad Æthnicos mores, vel superstitionem, aut consueta in Gentilibus vitia relabantur, quàm si in Christiana disciplina semper educati, & moribus Christianis, ab ipsa prima ætate assuefacti fuissent.

Quare sicut tenera arbuscula, majori curâ sepienda, custodienda, colenda sunt, quàm adultæ jam, & grandiores arbores, ita novelli in fide populi, majori sollicitudine, & vigilantia curandi, quàm in fide à multo tempore fundati, ac radicati. Quemadmodum etiam, quò magis inculti, & à pluribus annis squallidi, ac neglecti agri fuerint, eò altius aratro subigendi, sarculo findendi, sæpius, rastris frangendi pertinacius, ligonibus durius pulsandi, exhauriendi, purgandi sunt. Similiter & eæ Regiones, quæ de novo ad Christi fidem sunt perductæ, disciplinæ vomere subigendæ diligentius, ac salutaribus pœnitentiæ, ac religiosæ observantiæ legibus audentius atterendæ, tum ne primus ille fervor religionis tepescat, tum ne redeant pristini mores, & impietatis, & superstitionis crimina reviviscant.

Neque hoc ipsum forte quod in hac veluti Ecclesiæ, nostris in Provinciis, senecta, benignius nobis indultum, relaxatum, remissum fuit, Ecclesiis, in aliis partibus

Digitized by Google

bus renascentibus, non videtur indulgendum, sicut non eadem erga pueros, & adolescentes indulgentia, quâ erga senes utendum est. Quocirca tantum abest, ut quòd & factis procurant, & libris persuadere conantur quidam, in novis terræ partibus, in quibus religio Christiana, Dei gratiâ excitata, reviviscit, disciplina languere, Episcopalis potestatis usus veluti supervacaneus negligi debeat, ut potius & austerior disciplina, illis populis commodior sit: & Episcopalis vigor, in iis præsertim regionibus excitandus, ac judiciorum, legum Censurarum Episcopalium sublimis auctoritas, acriùs instauranda videatur.

CAPUT XXXV.

Alia Ecclesiasticæ, alia Civilis disciplinæ Ratio. Prosecutio cap. Præced.

ALia autem est Ecclesiasticæ gubernationis ratio, alia civilis; nam cùm civiles potestates, fraudibus, minis, verberibus, blanditiis amplificare terminos suos minimè veritæ, ad regni sui communionem, & societatem, etiam renitentes vel vi, vel blanditiis trahant, quos in officio, deindè parendi assuetudine, quæ in naturam veluti transit, continendos, non diffidunt: è contra, Ecclesiasticus magistratus, quia neminem in Ecclesia vi retinet, quia ad supernaturalem militiam, cum propria carne & concupiscentia ineundam, homines colligit, nec sperat unquam, ita in nobis domitam fore, intestinam concupiscentiæ luctam, ut spiritui nullam molestiam inferat; ideo non tam curat, de amplificandis Ecclesiæ, in hac terra militantis, limitibus, quàm de reparandis cælestis sedibus, ad quas occupandas, nonnisi edomitis concupiscentiis, Christo commortuos, & confixos cruci, homines novit admittendos.

Ac proindè non blanditiis, non disciplinæ relaxatione, conversionem infidelium emereri satagit; non curat multiplicare gentem, nisi magnificet lætitiam, convertendis itaque ad fidem, duriora propronit: prius pæniten-

Digitized by Google

tentiam, quàm Baptismum, exemplo Apostolorum, Act. 2. & alibi 1. Cor. 1. & 2. prædicat & qui ab ea mittitur prædicator, Jesum crucifixum prædicare se, non resurgentem, cum iisdem Apostolis gloriatur, cum Christo clamat, Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus: & qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus.* Duriora itaque primum Christianæ religionis onera, recèns conversis, imponit Ecclesia, ne fortè si aliqua legis nostræ præcepta, magis operosa celentur, à proposito posteà, majori cum injuria Servatoris, & Evangelii, & gratiæ, Neophyti resiliant. Non ergo recèns conversis, remittenda disciplinæ severitas, non obedientiæ Pastoribus exhibendæ jugum ab illis subducendum, non quidquam, nisi fortè quod prædicantium gloriam minuere possit, jurium Ecclesiasticorum relaxandum.

Quid est, quod adeo Cathechumenis sui sæculi, diffidit Tert. adhuc Catholicus, lib. de Bapt. adversus Quintill. c. 28 ut extra necessitatem, cunctationem Baptismi, maximè circa parvulos, utiliorem putet, *Ne sponsores etiam periculo ingeri, necesse sit, qui & ipsi per mortalitatem destituere promissiones suas possunt, & proventu malæ indolis falli: & circa innuptos, donec aut nubant, aut continentiæ corroborentur?* Unde, inquam, ista diffidentia, nisi ab Ecclesiæ nascentis conditione, quæ disciplinâ severiori indiget, à periculo perversionis Neophytorum, qui facilius lapsuri timentur; unde & ad Sacerdotium à Paulo promoveri prohibentur, & à periculo, quod ab infidelium conversatione prudenter metuitur, nisi disciplinæ austeritate, & Pastorum vigilantiâ, in officio fideles retineantur?

Putas Ecclesiam aliquo tempore sine Pastore, sine Antistite, sine rectore, sine disciplina & coërciti one in suo robore, ac vigore permansuram? falleris, flu a hominum, mobilia, & ad malum proclivia ingenia sunt; disciplinæ retinaculo indigent, ne in pejus labantur, rectoris solertiâ & auctoritate, ne tumultuentur, monitio-

Digitized by Google

nibus, increpationibus & animadversionibus ne indurentur. Audiatur Chrysost. hom. 34. in epist. ad Heb. *Magistratum, ducemque & rectorem non habere, malum est, & est causa multarum calamitatum, & principium inordinationis ac perturbationis. Ea porro, tantò est in Ecclesia periculosior, quantò magistratus hujus conditio potior est, ac sublimior.* Et plura ibidem S. Doctor, alibi à nobis jam citata, nec nos, hanc crambem iterum recoquimus; sufficiat insigni exemplo, rationem istam, pro necessitate Episcoporum, illustrare: causam non solùm disciplinæ corruptæ, sed & morum depravatorum, in Canonicis & Monachis Ecclesiæ novellæ Congiensis regni, atque exinde Ecclesiæ totius desolationem, in diuturnam Episcopi absentiam, refundit Philipp. Pigaferta, 1. part. Indiæ Orient. lingua Italica conscripta, quam Reinerius sermone latino donavit, in descript. Regni Congiani, cap. 4. postquam enim retulit, in insula S. Thomæ, Episcopum, qui Indianis Regni Congi, ad Christianam fidem conversis præesset, constitutum, feliciter obiisse, aliumque, qui ei succederet, in itinere mortuum, Canonicos & Monachos, post ejus obitum, altercatos narrat, & deteriores factos. *Canonici enim*, inquit, *& Monachi, tanto tempore, & hortatore & monitore Episcopo destituti, & pro libitu omnia intermittere assueti, iniquè ferebant, se ab Episcopo reprehendi, & eò tandem venerunt, ut unoquoque se Episcopo parem, aut etiam majorem existimante, jussa ejus & monita exequi detrectarent, quamvis maximo Ecclesiæ scandalo & detrimento.* Subdit postea, *Rex autem, ut erat amantissimus doctrinæ Christianæ, Episcopi fovebat partibus, refractarium Clerum, ad obedientiam suo Episcopo præstandam hortans, & resistentes in Lusitaniam captivos transmittens.* Quin etiam paulo post Cleri malitiam incusat, *exqua Religio labefactata sit*: Mortuum Episcopum describit, *& vacuam Cathedram, magno cum Reipublicæ Christianæ detrimento: Contingit enim*, iuquit, *ut ad ingenium, absque inspectore redeunte Clero, Christiana fides, pietasque refrigesceret. Rex deficiente Episcopo in voluptatibus permansit.* Subjungit cap. 5. penuriam Sacerdotum eam fuisse, ut iterata legatione rogati, cum Episcopo missi tandem fuerint. Po-

Digitized by Google

Potuitnè clarius absentiæ Episcopi incommoda, malaque ex ea suborta, auctor iste describere, & ad oculum quodammodo depingere; altercationem scilicet inter Altaris ministros, disciplinæ solutionem in Clero, morum depravationem, indociles exinde & impotentes principatus sacri ferendi effectos Clericos, & rebellionem ipsorum excitatam; laxatæ exinde Ecclesiæ ruinas, fidem populi refrigescentem, Regis post Christianam fidem susceptam ad delitias Christiano homine indignas reditum, penuriam Sacerdotum, dissipationem Religionis universam.

Nicolaus Orlandin. histor. Societ. Jesu, scriptor elegans, regni Congiani à fide defectionem, in Sacerdotum, qui è Lusitania venerant, vitæ licentiam, & in Sacris administrandis oscitantiam, rejicit, lib. 8. num. 99. lib. 14. num. 98. & lib. 15. num. 112 Sed causam depravationis morum & disciplinæ, apertè non prodit, quam Pigafetta nobis retulit, sed eam duntaxat leviter oculatioribus insinuat, dum scribit, *Ecclesiæ illi laboranti succurrere, pro sua pietate Rex Lusitanus, cùm vellet, idoneum ei quæsivisse Antistitem: & ut viam sibi munire, ad hæc consilia, legatum ad Congi Regem jam designavisse. Sacerdotes etiam animo destinasse, cùm ex Societate Jesu, qui suis doctrinis atque functionibus, Congensium animos ad virtutis amorem excitarent, tum ex libero Clero, qui Parochorum partes subirent.* Quæ omnia incassum destinata fuisse, ait, rege Congiano minaci edicto præcipiente, ut omnes Europæi regno facesserent, misso insuper armato agmine, qui per vim ejicerent repugnantes quo edicto, compulsos Patres Societatis Jesu, secessisse in insulam S. Thomæ, & à toto isto regno, Catholicam religionem exulasse.

Digitized by Google

CAPUT XXXVI.

Ecclesiam novellam maximè indigere Episcopo, ad evitandas scissuras & dissensiones.

ALtera ratio, quæ in novella Ecclesia, Episcopi necessitatem præsertim demonstrat, petitur, ex Sacerdotum & ministrorum discordia, populorumque distractione in partes, & scissuris haud dubiè futuris, si moderatoris seu Episcopi præsentia Ecclesiæ subtrahatur. Si enim communi, & ordinariâ lege ἀναρχίαν confusio, discordia, schismata sequi solent, quemadmodum superius docuimus, in Ecclesia novella, id tamen præcipuè timendum est: I. quòd populi de novo ad fidem conversi, spiritalibus suis præceptoribus magis obnoxii, & devincti sunt, quàm qui antiquam fidem retinentes & avitam, eorum opera utuntur, quos ut pædagogos, non ut patres reverentur: ideo facilius in partes populos trahere possunt, ac si diversæ conditionis, diversi religiosi instituti fuerint, probabile est, eâ Potestate, ad fovendas istas partes, & scissuras abusuros, nisi Dei potentissimâ gratiâ muniantur, vel certè Episcopi, tanquam patris communis auctoritate, reprimantur.

II. Quòd nihil spiritales homines potentius movere soleat, quàm gloriæ cupiditas, præsertim si specioso Dei nomine tegi & obvelari possit: superbia siquidem ex omnibus vitiis ultima dediscitur, occultiusque quàm cætera vitia, etiam iis, qui perfecti videntur, obrepit: gloria porro videtur illa, etiam viris bonis expetenda, quæ ex devicto errore, triumphatâ impietate, amplificatâ religione, gentium ad Deum adductione nascitur; acriùs proinde stimulat hujus gloriæ cupiditas, etiam perfectionis studiosos, præsertim si non sibi, sed suo Ordini, quem singuli cæteris, insita quadam hominibus ambitione, (quam non illaudabilem credunt plurimi, qui sibi videntur esse sapientes) præponunt. Hinc acriter ab iis

Digitized by Google

iis certatur, ut quisque sibi plures populos subjiciat, & suam operam cæteris, tanquam fructuosiorem, atque utiliorem commendet, & sui Ordinis viros, tanquam Apostolos, & primos religionis præcones persuadeat.

Quem scilicet morbum, si nec Apostolorum, cæteris Prælatorum, dignitas, atque auctoritas excluſit, si primo isto sæculo Christiani, primitiæ Spiritus S. hac peste infecti sunt, adeò ut reperti fuerint, qui Paulo in carcerem conjecto, Evangelium *propter invidiam, & ex contentione Christum annuntiarent, non sincerè, existimantes se pressuram suscitare vinculis ejus*, ut testatur ipse Epist. ad Philip. cap. 1. id est, ut explicat Chrysost. hom. 2. qui invidentes gloriæ ejus, illumque perditum cupientes, adjuvarent, & proveherent actiones suas, ipsi quoque honoris cupiditate ducti, ac putantes fore, ut aliquid de ejus gloria decerperent, & dolorem dolore cumularent, adeò ut in Ecclesia novella Corinthiorum, eæ contentiones exortæ fuerint, ut unusquisque diceret, *Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo, ego verò Cephæ, ego verò Christi*, quos iis verbis redarguit Paulus 1. Cor. 1. *Divisus est Christus nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quibus si miles hodiernâ die multæ contentiones, ex dissitis provincis, & alibi audiuntur, populis se variis, seu factionum nominibus, prout in hunc, vel illum, ex Ordinibus Religiosorum, aut Clericorum inclinat, ad seditionem excitantibus.

III. Quòd in Ecclesia novella, in qua nondum Sacrificii divini, Sacramentorum, & divinorum officiorum ritus præscripti sunt, nondum Festorum, & jejuniorum dies indicti, nondum exterioris divini cultus observantiæ plurimæ statutæ, nondum disciplina composita, frequentiores dissensionum & scissurarum occasiones occurrant, nisi Episcopi auctoritate sopiantur. Si enim, neque Apostolorum præsentia, neque auctoritas impedierunt, quo minùs (ut narrat S. Luc. Act. 6.) *Crescente numero discipulorum, factum fuerit murmur Græcorum, adversus Hebræos, eò quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum*: si cùm non longè abesset Paulus, qui poterat suo jure dicere, *cætera cum venero, disponam*:

Digitized by Google

scissuræ in Ecclesia Corinthiorum, circa Eucharistiæ celebrationem exortæ sunt, de quibus Apost. 1. Cor. 13. scribit, *Audio scissuras esse inter vos*, quarum causas licèt non expresserit, ex seqq. tamen eruere eas licet, vel de loco recumbendi, vel de tempore cœnæ inchoandæ, vel de conviviis, quæ ἀγάπαι dicebantur in Ecclesia, vel extra Ecclesiam celebrandis, illic disceptatum fuisse, maximè inter divites & pauperes, quorum hi ab illis se spretos esse querebantur. Si, inquam, dissensiones istæ & scissuræ exortæ sunt, quæ non potuerunt, nisi Pauli sententiâ decretoriâ compesci, quis miretur, in Ecclesia novella, cùm nihil eorum compositum est, quæ ad cultum religionis, ex indole præsertim gentium diversa permittuntur, non operariorum diversi Ordinis vel instituti, diversam mentem futuram fuisse, & populos iis, veluti flabellis excitatos, in dissensiones exarsuros, nisi in potestate unius sint, qui arbitrio suo enatas dissensiones dirimat.

Quin etiam, quia circa doctrinam ipsam, ac mores nasci solent faciliùs curiosæ inquisitiones, & disceptationes, cùm de novo populus aliquis, abjectâ etiam falsâ opinione, veram Christi fidem amplectitur, quàm cùm antiquam à majoribus acceptam retinet. Excitata enim veritatis inquirendæ curiositas, modum difficilè servat, & qui antiquum errorem etiam in meliorem sententiam mutavit, faciliùs inducit potest, ut novæ probabilitatis specie, veram quoque sententiam, cum falsa commutet, quàm qui antiquam sinceram fidem à majoribus acceptam retinuit, & tunc maximè, cùm primùm divina veritas hominum mentibus illucescit, diabolus adnititur, ut susceptam fidei doctrinam, novis excogitatis erroribus obscuret, seu quod futurum prædixit Christus, Matth. 13. bono semini, à Domino seminato, zizania superinducat. Quod utique, vel in ipsis Ecclesiæ initiis, Apostolorum ipsâ ætate, videre est, non priùs videlicet Christi fidem prædicatam, quàm novos errores, auctore malo spiritu disseminatos, & contentiones invectas.

Lege Paulum ad Rom. 16. *Rogo autem vos, fratres, ut observetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctri-*

nam,

Digitized by Google

nam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis ad Gal. 1. *Miror, quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocavit, in gratiam Christi, in aliud Evangelium, nisi sint aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi.* ad Phil. 3. *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi,* &c. 1. ad Thess. 2. *Eadem passi estis vos, à contribulibus vestris, sicut & ipsi à Judæis, qui & Dominum occiderunt Jesum, & Prophetas, & nos persecuti sunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adversantur, prohibentes nos gentibus loqui, ut salvæ fiant,* &c. 2. ad Thess. 2. *Rogamus autem vos, fratres,* &c. *ut non cito moveamini à vestro sensu,* &c. *ne quis vos seducat ullo modo.* Audiendus idem Paul. Act. 20. hæc in concione differens: *Ego scio, quoniam intrabunt, post discessionem meam, lupi rapaces in vos, non parcentes gregi: & ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.*

Legendus Petrus, 2. Can. cap. 2. scribens, *fuerunt verò & Pseudo-Prophetæ in populo, sicut in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias,* &c. Legendus Joan. Epist. 1. cap. 2. *Filioli, novissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit, & nunc Antichristi multi facti sunt, quia novissima hora est, ex nobis prodierunt, sed ex nobis non erant.* Novissimam horam dicit, in qua Christus annunciatur, quâ horâ elapsâ, cùm scilicet consummata fuerit Evangelii prædicatio, mundi finis adventurus sit, ubi autem hæc hora advenerit, continuò & Antichristos venturos, qui Christianæ fidei profectibus obsistant, prædicit, quia novissima hora advenerit; sub finem autem ejusdem horæ, eum, qui per antonomasiam nominandus est Antichristus, seu filius perditionis, quem Christus Dominus, Matth. 24. & Luc. ult. nec non Paul. ad Rom. 11. & 2. ad Thess. 2. prænuntiant. Sed ab initio mysterium iniquitatis alii operabuntur, quod de suo tempore agnoscit Paul. c. 2. ad Thess. cit. Denique Judas fusè hæreticos suo tempore describit, qui subintroierunt ad Evangelii profectus retardandos.

Digitized by Google

Unde elicio, dissensiones circa fidem, maximè in Ecclesiis novellis cavendas esse, æmulatione prædicatorum, curiositate discentium, Diaboli, Evangelii profectibus invidentis, astutiâ. His dissensionibus Ecclesiam nondum adultam, brevi destructam iri, nisi unius Episcopi auctoritate comprimantur: neque enim ut observat Cypr. epist 55. *aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata Schismata, quàm, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus, Sacerdos, & ad tempus judex vice Christi cogitatur.* Dissensiones pariter circa mores, aliaque etiam, quæ levia videntur, si rectè, & à sapientibus pensentur, quarum haud dubiè in Ecclesia nondum adultâ, nondum Ecclesiasticis imbutâ institutis, multæ occasiones quotidie occurrent, maximas excitare possunt tragædias, & scissuras efficere, nisi contendentium fervorem, Episcopi auctoritas leniat, fanitorum populorum imprudentem zelum, ejusdem judicium moderetur. Itaque ad reconciliandam inter pares, consortii ut plurimùm impatientes, concordiam, ac pacem in Ecclesia novella, necessarium maximè esse Episcopum, rationes istæ comprobant: quam allato superius exemplo discordiarum, inter Canonicos & Monachos enatarum, quæ ex Episcopi absentia ingravescentes, religionis secum in regno Congensi jacturam traxerint, commodè possumus confirmare.

Aliæ tum ex Oriente, tum ex orbis novi Provinciis plurimis, inter Monachos diversi instituti, quæ maximo cum fidelium scandalo, eruperint, & fidei Catholicæ amplificationem interverterint, dissensiones quotidie audiuntur: quibus ut consuleret summus Pontifex, hoc consilium dabat pissimus quidam, severioris instituti Religiosus, qui per plurimos annos, infidelium regiones, Christi Evangelium annuntians, pervagatus fuerat, & zelo religionis nostræ amplificandæ supra modum æstuabat, expedire scilicet, ut, qui ad Evangelium in Regionibus istis prædicandum mitterentur, omnes uni subjicerentur Episcopo, quem haberent, & vitæ spiritalis ductorem, & functionum sacerdotalium ducem, omnes eodem habitu vestiti incederent, & Apostolicam viven-

di

Digitized by Google

di regulam tenerent, soluti, quamdiu in hoc opere laborarent, ab omnibus sui Ordinis regulis, & constitutionibus, ob Ecclesiæ majorem utilitatem & gloriam Dei. Sic enim remotâ omni ambitione, & æmulatione, uno omnes spiritu, uno Evangelio collaborantes, ampliores fructus reportaturos, & majores in Evangelii dissemination profectus facturos. Ego istius boni viri judicium refero, neque probo, neque improbo, quia meum non est.

CAPUT XXXVII.

Ecclesiam novellam, maximè indigere Episcopo, ad probationem missionum, & Missorum.

III. RAtio, quia novellis Ecclesiis duplici titulo maximè cavendum est, ne vel Pseudo-Sacerdotes, & Pseudo-prædicatores, vel facinorosi, turbidi, aut malè sentientes irrepant: nam sicut facilius in offensionem Neophytorum incurritur, & periculosior est, quæ ab illis contrahitur offensio; ita in novellis Ecclesiis Pseudo-prophetæ & Pseudo-Sacerdotes tutiùs aliquando latitant, & iis perniciosius insidiantur.

Primò itaque procliviores esse ac proniores ad scandalum Neophytos, quàm alios in Catholica fide obfirmatos, testantur Christus, ejusque interpres Apostolus; prior siquidem, dum de scandalo loquitur, *pusillos* nominat, qui scandalizentur, Matth. 18. Marc. 9. Luc. 17. quos ille, *infirmos* vocat, & quidem infirmos in fide, ad Rom. 14. *Conscientia infirma*, 1. Cor. 8. vide Ambr. Serm. 21. in Psalm. 118. Hier. in cap. 18. Matth. Basil. inter regulas breviores interrogat. 64. Eisdem etiam pusillis, quàm periculosè scandalum seu offensio adhibeatur, ex cit. locis discere poteris, experimentóque comprobatur, nam si vitiosi Sacerdotes ad illos mittantur, quàm periculosum est, non solùm, ut Sacerdotium exinde vituperetur, quòd licèt iniquum sit, ut fusè ostendit Chrys.

Digitized by Google

serm. de virt. & vit. tamen etiam inter fideles, qui fidem à parentibus susceperunt, frequentissimè contingit.

Sed insuper aliud infidelibus, ad fidem conversis creatur periculum, ne vitiorum, quæ ipsis in gentilitate laudabilia, vel certè non adeò damnanda videbantur, excusationes exinde accipiant, quasi vel non seriò, vel fictâ simulatione pietatis, in ista vitia invehamur, quæ vel evitari nequeant, vel reprehendi non debeant. Cùm enim in eradicandis gentilitatis vitiis, & extirpandis gentilium erroribus, qui in vitiorum gratiam, ab obcæcatis & traditis in desideria cordis (ut loquitur Apost. ad Rom. 11.) excogitati sunt, major labor sit, dum ad nostram Religionem inducantur, qui in gentilitate versati sunt, quàm in fidei nostræ Mysteriis commendandis, quæ rudes ipsorum animos suâ sublimitate, in admirationem facilè trahunt, ut exemplo Pauli videre est, quem de Mysteriis divinis patienter, Felicem Judeæ Præsidem audiisse, Scriptura insinuat Act. 24. Sed disputante illo, de *justitia, & castitate, & futuro judicio tremefactum* testatur: ideo timendum est maximè, ne si prædicatorum actiones, ab eorum doctrina abhorrere animadverterint, efficaciùs contrariis exemplis, quàm legis ipsius sanctitate moveantur.

Hinc coram Neophytis, etiam ab iis, quæ aliàs licuissent, abstinuisse Apostolos, & abstineri præcepisse, docemur ex Scriptura, quod utique pluribus exemplis probat Bas. loco super. cit. ex Apost. referente verba ista ad Rom. 14. *Sed hoc judicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum* quibus expressiora sunt seqq. *Si enim propter cibum frater tuus contristatur, jam non secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est.* Ejusdem etiam verba citat, aliàs gravius ab hujusmodi peccato deterrentis, 1. Cor. 8. *Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idoleo recumbentem: nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in scientia tua frater, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum; ne fratrem meum scandalizem.*

Digitized by Google

lizem. Citat & ex ejusd. epist. c. 9. *Aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi*: putà stipendia sumendi ex Evangelio, & mulierem, ad rei domesticæ curam circumducendi. Et Paulo post, *sed non usi sumus hac potestate, sed omnia sustinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Christi.*

Quare, sicut arbuscula vel levi aliquando ventorum agitatione, prosternuntur, quæ ubi radices fixerunt, ventorum turbinibus resistunt, ideóque à ventorum impetu, quamdiu tenera sunt, quibusdam adminiculis, & fulcris, & obicibus defenduntur: quemadmodum item sepibus, & sentibus muniuntur, ne feræ corticem tenerum depascantur, ubi verò adoleverunt, à bestiarum morsibus immunia omnibus patent. Similiter à Neophytorum, qui adhuc in fide censentur infirmi, auribus & oculis, scandalorum omnium occasiones, diligentiùs removendæ sunt, ne mala exempla, vel oculis, vel auribus, ad animum transmissa, vim præsentis veneni habeant, & fidem, ac propositum religionis adhuc tenerum extinguant. Quibus scilicet exemplis, & adulationibus Sacerdotum, in regno Congensi, fidem defeciisse super. animadvertimus.

Verùm, si non solùm vitiosi, & morum depravatorum Sacerdotes ac prædicatores, verùm etiam Schismatici, hæretici, aut pernitiosæ doctrinæ, ac fidei minùs sinceræ, in Ecclesiam novellam introducantur, quantas strages animarum edent, quanto Ecclesiæ damno, vel suam hæresim, pravámque doctrinam persuadebunt, vel dubios suspensósque circa Religionis dogmata, Neophytorum animos efficient. Mobilia enim illorum ingenia, ubi ad veritatem perducta sunt, nisi in ea aliquamdiu acquiescant, facilè ad errores quosque pertrahuntur, ut super. docuimus.

Si ergo, vel diaboli instinctu, qui novellas plantationes evellere toto studio conatur, ad Ecclesiam novellam Pseudo-prædicatores, vel Pseudo-prophetæ accedant, si fuga è regionibus Catholicis, ob turbas vel hæresim ejecti, aut elapsi, in eas sese conferant, ut lateant, si spe commodorum temporalium ducti, ibidem appellant aliqui,

Digitized by Google

qui, dum vel Neophytis illudere, utpote incautioribus, facilius se posse suspicantur, eaque arte emungere temporalia subsidia; vel pietatis specie, ab iis, qui zelo ferventius incalescunt, sese obtenturos præmia laboris sui, præsumunt facilius, si, inquam, iis, vel aliis rationibus persuasi aliqui sese Evangelium prædicaturi, & Sacramenta administraturi, ad eas regiones de novo ad fidem conversas, & Episcopis carentes, sese vel corruptæ vitæ, vel depravatæ fidei ac scientiæ, homines conferunt, quantum periculum immineat novellis istis populis, nemo non advertit.

Quis verò, in Ecclesia Episcopo vidua, criminosum Sacerdotem corriget, & à Sacramentorum administratione rejiciet? quis hæreticum vel schismaticum devitandum denuntiabit? quis turbulentum compescet? quis novarum opinionum assertorem reprimet? Certè licèt voluntarii Sacerdotes, verbi divini prædicandi, & Sacramenta ministrandi provinciam in se recipiant, tamen cùm in alios imperium non habeant, nec auctoritatem legitimam, quâ reliquos coërceant; neque aliorum illi missionem probare, vel improbare, neque eorum, qui missi fuerint, aut se missos jactaverint, fidem explorare; neque doctrinam examinare, neque vitia corrigere suo jure possunt.

Populus, vel altercantium rationibus, & auctoritate permotus, animi pendulus hærebit, vel in unam partem inclinabit, & eam fortè pejorem, cui scilicet major vis ingenii adfuerit, majora eloquentiæ flumina, major adsertorum numerus, conformior humano sensui verisimilitudo, plura & apertiora divinæ legis oracula, sed planè novo ac malo more intellecta, callidiori artificio simulata vitæ sanctitas, miracula artificio majori conficta; humana denique præsidia potentiora adfuerint: & ut ponamus vel casu, vel divino consilio, in saniorum partem inclinaturum, hoc saltem pernitioso impostorum exemplo futurum est, quàm cui consequens esse solet, perniciosissima licentia, ut populus judicium sacrorum assumat, & se inter Sacerdotes, arbitrum vel judicem putet, eorumque auctoritatem contemnat.

Quis

Quis pariter vel ignarum, sese sacris ingerentem ministeriis, vel à regularibus præfectis missum (qui de suis benignius interdum judicant) improbare poterit? cùm tamen Ecclesiæ novellæ periculosior sit, Doctoris inscitia, quo ipsi populi minus instructi sunt, minusque nori ii quorum doctrinæ tutius consentire possint. Quis tandem eos, qui se Sacerdotes esse mentiantur, ut in exteris regionibus arte non operosa victum quærere possint, dignoscet? quis eos cæteris manifestabit? nisi auctoritate ita cæteris emineat, ut de ejus persona & dignitate, probabile dubium moveri non possit.

Quod si exemplis agendum est, discimus Ecclesiæ, cum novella esset, vel nondum à persecutione perfectè convaluisset, curam fuisse potissimam, ut beneficio formatarum communicatoriarum literarum, Clerici probati, à spuriis vel illegitimis, & rejectis dignoscerentur. Notas earum à Nicen. PP. aliquas, teste Attic. ad fin. Chalcedon. conc. excogitatas fuisse, *ne aliqua fraus falsitatis temerè præsumeretur.* Episcopis & Presbyteris, sine ipsis vetitum peregrè proficisci, Apostol. Can. 33. Græco, 34. Latino, Conc. Laodic. Can. 41. Antioch. Can. 11. Quin etiam, ad earum literarum sinceritatem servandam, & fidem authenticam, cautum fuisse, ne Presbyteri in vicis illas dare possint, sed in solius Episcopi potestate situm esse, ut illas concedat, Antioch. can. 8. noverant scilicet majores nostri, quantum Ecclesiæ novellæ, & apud infideles consistentl, vulnus inferre posset, ignoti Sacerdotis, vel spurii, vel damnati, vel hæretici vel criminosi admissio, de quo cap. seq. latius.

CAPUT XXXVIII.

Quantum damnum Ecclesiæ, præsertim novellæ, per spurios & criminosos Sacerdotes.

Zelus S. Bonifacii, Germanor. Apostol. in iis expellendis.

NEque infrequens in Ecclesiis, de novo ad fidem conversis, hoc criminosorum Presbyterorum & alio

Digitized by Google

aliorum malum, S. Bonifacius Archi-Episc. Moguntin. & ultraject. Germanorum Primas, Ecclesiam Germanicam, hoc morbo laborasse, queritur 1. epist. 132. quæ est 1. ad Zachar. Papam, num. siquidem 7. hæc habet, quæ correctiora referri videntur à Sirmund. Tom. 1. Concil. Gall. *Episcopi quoque & Presbyteri generis Francorum, qui fuerunt adulteri, vel fornicatores acerrimi, quos in gradu Episcopatus, vel Presbyterii, fornicationum filii nati arguunt, revenientes ab Apostolica sede, dicunt, sibi Romanum Pontificem licentiam dedisse, ministerium Episcopale, in Ecclesia ministrare. Quos contra contendimus, quia Apostolicam sedem nequaquam contra decreta Canonum audivimus judicasse.* Cui Epist. respondens Zachar. Papa epist. 142. seu 143. inter Epistol. Bonif. num. 7. *Nam de Sacerdotibus illis, qui falsa opinantur, qui etiam adulteri & fornicatores probantur, & sibi ab Apostolica sede indultum esse testantur, & è contrario, licentiam sibi prædicationis concessam esse. Hoc nulla ratione credat tua sancta fraternitas; sed similiter in eis Canonicam exerce vindictam, quemadmodum de his superius à nobis edoctus monstraris. Non enim aliud te agere volumus, præterquam quæ SS. præcipiunt Canones, vel etiam ab Apostolica sede instructus dignosceris.*

Idem Bonifac. epist. 135. quæ 11. est ad Zachar. ab intrusis Sacerdotibus, maximum sibi laborem creatum, Ecclesiæ verò periculum, scribit his verbis: *notum enim sit paternitati vestræ, quia postquam indigno mihi mandastis, in provincia Francorum, sicut & ipsi rogaverunt Sacerdotali Concilio, & Synodali conventui præesse, multas injurias, & persecutiones passus sum, maximè à falsis Sacerdotibus, ab adulteratis Presbyteris, seu Diaconibus, & fornicariis Clericis, maximus tamen mihi labor fuit, contra duos hæreticos pessimos, & publicos, & blasphemos contra Deum, & Catholicam fidem, unus, qui dicitur Adelbert, natione generis Gallus est: alter, qui dicitur Clemens, genere Scotus est, specie erroris diversi, sed pondere peccatorum pares. Contra istos obsecro Apostolicam auctoritatem vestram, quod meam mediocritatem defendere, & adjuvare, & per scripta vestra, populum Francorum & Gallorum corrigere studeatis, ut hæreticorum fabulas & vana prodigia, & signa præcurso-*

ris

rii Antichristi non sectentur: sed ad Canonica jura, & ad viam veræ doctrinæ convertantur.

Quæ autem istæ, istorum hæreses fuerint, & quæ impietates, & flagitia, quæ adversus Ecclesiasticam disciplinam molitiones, iisdem litteris fusius ipse scribit: constatque eosdem Pseudo-Sacerdotes, in Syn. Suession. à 23. Episcopis damnatos fuisse can 2. ejusd. Syn. Eorumdemque damnationem, in Syn. Rom. à Zachar. Papa fuisse confirmatam, ex actis ejusd. Syn. & epist. 138. & 139. Zachariæ, ad Bonifac. & Gemmuli Diacon. epist. 148. ad eund.

Sed & alios plures Pseudo-Episcopos, & Pseudo-Presbyteros, in istam Ecclesiam novellam sese intrudentes, colligere possumus, ex variis Zachar. Pap. epist. Legimus epist. 137. Francor. Episcopis, & populis scripta, eundem ipsum illos commonuisse, *ut falsos Schismaticos, & homicidas, & fornicarios à se ipsis expellerent Sacerdotes*: & insinuasse, ad hoc opus præsertim missum fuisse Bonifacium, quod maximè momentosum videatur. *Ipsum enim*, inquit, *vice nostra, in partibus illis ad prædicandum habemus constitutum, ut vos, Deo propitio, ad viam perducat rectitudinis, & à cunctis facinoribus, salvi esse possitis: Habuistis enim, peccatis facientibus, nunc usque, falsos & erroneos Sacerdotes. Unde & cunctæ paganæ gentes, vobis pugnantibus prævalebant.* Legimus epist. 138. ad Bonifac. eundem mentionem facere falsi Episcopi, adulterati Clerici, & homicidæ filii, ac in adulterio nati, & absque disciplina nutriti, qui & plures sui similes Sacerdotes, consecrarit, quem in ordinem redigendum mandat. Item alterius *seductoris, nomine Geolebi, qui antea falso Episcopi nomine, & honore fungebatur*, cujus Romam venientis causam, se discussurum, scribit.

Legimus & epist. 140. mentionem fieri, hæresis Sampsonis Presbyteri Scoti, circa Baptismum, quem non necessarium esse dicebat, sed solâ Episcopali manus impositione, Christianum posse fieri, asserebat; erroris item Virgilii, qui & se à sede Apostolica, ab Episcopi potestate exemptum jactabat, & Otilonem Ducem Bajoar. adversus Bonifacium concitabat, quem etiam ab Eccle-

sia

Digitized by Google

ſia pellendum reſcribit, honore Sacerdotii privatum. Item Presbyterorum ſacrilegorum, qui ſuperſtitiones paganicas fovebant, & de quibus, utrum Baptiſmi formam uſurparent, dubitabatur: quin etiam eorum, qui ſe Sacerdotes eſſe falsò mentirentur, maximus eodem tempore erat numerus, quemadmodum ejuſdem epiſt. verba iſta demonſtrant. *Eos autem, quos reperiſſe affata eſt fraternitas tua Pſeudo-Sacerdotes, multò majoris numeri, quam Catholicos erroneos ſimulatorum ſub nomine Epiſcoporum, vel Presbyterorum, qui nunquam ab Epiſcopis Catholicis fuerunt ordinati, illudentes populo, & miniſteria Eccleſiæ Confundentes, & conturbantes: falſos, gyrovagos, adulteros, homicidas, molles, maſculorum concubitores, ſacrilegos, hypocritas: & multos ſervos tonſuratos, qui fugerunt dominos ſuos, ſervos Diaboli, transfigurantes ſe in miniſtros Chriſti, qui ſine Epiſcopis, proprio arbitrio viventes, populares defenſores habentes, contra Epiſcopos, ut ſceleratos eorum mores non confringant, ſeorſim populum conſentaneum congregant: & illud erroneum miniſterium, non in Eccleſia Catholica, ſed per agreſtia loca, per cellas ruſticorum, ubi eorum imperita ſtultitia, celari Epiſcopos poſſit, perpetrant.*

Legimus, ut veterem iſtam in Eccleſiis novellis peſtem, reformidatam fuiſſe, de qua, à Greg. II. prædeceſſore Greg. III. cui Zacharias ſucceſſit, Bonifacius commonitus fuit, quemadmodum ipſe teſtatur epiſt. 141. ad Zachar. his verbis, *Anteceſſor etenim prædeceſſoris veſtri venerandæ mem. Gregorius, dum me indignum ordinavit, & ad prædicandum verbum fidei, Germanicis gentibus miſit, Sacramento me conſtrinxit, ut Canonicis, & juſtis Epiſcopis, & presbiteris, in verbo, in facto, in conſenſu adſtipulator, & adjutor fierem. Hoc autem cum divina gratia implere ſtudui, falſos autem Sacerdotes, hypocritas, & ſeductores populorum, vel corrigerem adviam ſalutis, vel declinarem, & abſtinerem à communione ipſorum, quod ex parte ſervavi, & ex parte cuſtodire, & implere non potui. ſpiritaliter implevi ſacramentum, quia in conſenſum & conſilium eorum, non venit anima mea: corporaliter autem ab eis omnino abſtinere non potui,* &c.

Illud

Digitized by Google

Illud quoque Gregorii mandatum, refert Zachar. Papa, epist. ad eund. 42. ejusque consilium approbat, quòd *propter principalem, & humanum favorem gentis* Francorum, cum Pseudo-Episcopis, & Pseudo-Sacerdotibus corporaliter; *cogente necessitate Ecclesiarum Dei*, conversatus fuisset, nullam tamen aut in sacris communionem, aut in consiliis, & criminibus consensus participationem, cum ipsis habuisset. Attende, mi lector, in iis omnibus, Ecclesiæ novellæ, eò quòd Episcopali jurisdictione, & Episcoporum Synodis (ut aliquæ, ex epistolis cit. notant) caruisset, miserum statum, in quam, Episcoporum & Presbyterorum nomen, atque ordinationem mentiti, aliqui Pseudo-Episcopi & Pseudo-Presbyteri, aliique hæretici excommunicati, suspensi, Sacramentorum administrandorum ignari, criminosi, irruerent: ad quos detegendos, & investigandos S. Bonifacii Archiep. Mogunt. sedis Apostolicæ legati, vigilantia opus erat, ad quos ejiciendos tum Concilii, ex diversis provinciis collecti, tum Romani, ab ipso Papa habiti, auctoritas advocanda visa sit.

Putasne, meliorem Ecclesiarum istarum statum esse, quæ pastoribus, Episcopis, Apostolicis legatis orbatæ, fidem Christianam ex voluntariis quibusdam Euangelii præconibus, nostro vel superiori sæculo audierunt? Plurima narratu similia, ex relatione Presbyterorum Regularium, omni exceptione majorum discenda erunt: quorum aliqua, si latent, ideo latent, quòd, qui ista è tenebris in lucem eruerent, Bonifacii defuerint: ab iis, quæ per se invidiosa sunt, recitandis ex professo abstinemus: monemus duntaxat, iis malis remedium illud à Conciliis adhibendum, judicatum fuisse, quod nisi restituto Episcopali statu, & instaurata Episcopali, atque Hierarchica jurisdictione, nec fingi, nec cogitari potest.

Etenim Concil. Liptinense, ea de causa congregatum, Can. 4. *Statuimus*, inquit, *ut secundum canonicam cautelam, omnes undecumque venientes ignotos Episcopos, vel Presbyteros, ante probationem Synodalem, in Ecclesiasticum ministerium non admitteremus.* Suession. similiter Can. 5. *Et statuimus, ut supervenientes Episcopi, vel Presbyteri, de aliis*

Digitized by Google

regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi prius fuerint probati ab Episcopo, cujus parochia est. Lege etiam Canones à Zachar. summo Pontifice, Pipino majori domus, per Ardobaneum missos, præsertim II. III. VIII. & XIX.

Aliud exemplum nobis porrigit Nicol. I. cujusdam Græci, se Presbyterum, in Ecclesia Bulgarorum novella mentientis, responsor. ad consulta Bulgarorum cap. 14. 15. & 16. quem severè auribus & naribus truncatum, acerrimis verberibus cæsum, & ex regione Bulgarorum ejectum reprehendit, I. *Quod nondum clarè pateret, eundem hominem non esse Presbyterum, & scriptum sit, Nolite judicare ante tempus.* II. *quoniam etsi se fixit esse, quod non erat, non tamen fecit, quod factum Deo, vel fidelibus ejus non placeat, præcipuè in ea gente, in qua usque ad illud tempus, nulla recta fides, nulla vera religio colebatur, sibimet ostium multos lucrandi divinitus videret apertum, & ille forsitan anhelaret plurimos ad tantum donum perducere, in quo se Deum senserat misericorditer adiuvare, &c. Presbyterum verò, ut opinamur, idcirco se finxit esse, quoniam non senserat vobis fuisse persuasum, quod baptizandi ministerium non nisi Presbyteris tantum esset indultum.* III. *Quoniam etsi in ista simulatione valde fuit culpabilis, in tot hominibus conversis, satis exiitit laudabilis.* IV. *Quia etsi pœnâ dignus erat, non tamen debuisset modum ultionis excedere, nec in unum hominem tot, & tam crudelia detrimenta congerere.*

Hæc nos ex Nicol. responsis, ad gentem in fide de novo instructam, referre volumus, ut constet, accidisse interdum, & accidere etiamnum posse, ut aliqui, in Ecclesiis præsertim remotioribus, quæ de novo fidem Christianam suscœperunt, ordinationem, quam non habeant, mentiantur, & ita populis istis illudant. Nec aliud remedium esse, quàm ut ab Episcopis, singuli ex aliis regionibus advenientes, Sacerdotes, probentur, vel improbentur, aliàs non futuros moraliter certos populos, quos adire pro Sacramentis recipiendis, quos pro conscientiæ suæ directione, & fidei doctrina, morum præceptis consulere debeant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXIX.

Ecclesiam novellam maximè indigere Episcopo, ad sui perennitatem, & conservationem.

ALia ratio, pro necessitate Episcoporum, in Ecclesiis de novo ad fidem conversis, est, quòd Episcopi creatio, ac regiminis Hierarchici in iisdem institutio, ad Religionis conservationem, & ipsarum Ecclesiarum, perennitatem sperandam, omnino necessaria videatur: sine utraque, ex Principis vel Reipublicæ voluntate, seu nutu, non tantum Ecclesiæ statum pendere, verùm etiam externis quibusdam causis corrumpi, ac nascentem Ecclesiam facilè destrui.

Ecclesiarum novellarum, quæ Episcopum non habeant, non pastores, glebæ addictos, & ad residentiam, quacumque persecutione grassante, abstrictos, accedente contraria Principis, seu magistratus voluntate, & significatione, interitum continuò præsentem, ac certum esse, tum ratio, tum exempla plurima persuadent. Pro ratione statim initio assumam, verba ipsa Cellotii, moderni cujusdam socii, lib. 5. c. 13. pag. 335. ad calc. *Qui pastor est*, inquit, *lupo venienti occurrere, non ut mercenarius fugam arripere debet. Religiosus autem, cui charitas, non justitia, labores illos imperat, tempestati cedet, & mitius cælum requiret, fovendo cælesti semini magis idoneum, exemplo Pauli & Barnabæ à Judæis ad gentes Evangelii prædicationem transferentibus.*

O constantem Ecclesiam, & adversus portas inferi prævalentem, cujus quæcunque excitabitur à Satana persecutio, fundamenta convellet, Sacerdotes dejiciet, Doctores fugabit, eamque sacri, ac Divini verbi prædicatione, id est, omnibus illis præsidiis privabit, sine quibus vix per aliquod tempus consistere poterit: ô navim benè munitam, instructam, stipatamque, quam subortà statim tempestate, nautæ remigesque deserent, gubernaculo destitutam! ô benè curatas teneras arbores,

Digitized by Google

quas si ventus perflaverit, continuò agriculæ cura deseret, nec rigationi amplius intentus futurus, nec sationi, nec culturæ: nemo certè est, qui non videat, fieri vix posse, ut novam, quantumvis meliorem religionem, regnum aliquod seu provincia amplectatur, quin Diaboli insidiis, & humani ingenii volubilitatis, & veteris consuetudinis, (*cujus mutatio etiam, quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat,* teste Augustin. Epist. 118. ad Jan.) studio, quod multos devinctos tenet, impellente, vel Principes ipsi, & magistratus, quos novitas, quæ ab initio delectat, nobis faventes fecerat, ejusdem pertæsi, ad antiquos atque inolitos mores suo ingenio redeant, vel iis succedant alii, diversi ingenii & studii, qui, quam prædecessores religionem, omni studio novam amplexati fuerint, tanquam legibus regni contrariam repudient: vel populorum factione non facilè antiquos errores dediscentium, & superstitionibus, quibus enutriti fuerint, renuntiantium, cogantur in eam religionem, in quam ipsi propenderunt, legibus sævire, aut certè alii, in eorum locum intrudantur, qui vel ex animo, vel commodi sui procurandi studio, legum severitatem, adversus fidem nostram arment: quibus edictis, si Sacerdotes statim exulent, doctores religionis nostræ è regione pellantur.

Quis non videt, religionis nostræ statu, in iis regionibus, nihil incertius, nihil inconstantius esse posse. Id autem futurum est, si voluntarii duntaxat in quamlibet regionem prædicatores mittantur, qui nempe commotæ tempestati illicò cedant, & mitius cælum requirant, fovendo cælesti semini magis idoneum. Econtra verò, si Episcopi, Pastoresque in aliqua Ecclesia ordinati fuerint, qui suo sanguine, Evangelii prædicationem consignare teneantur; qui lupo venienti occurrere, & pro ovibus suis occumbere obligentur: perennitati Ecclesiarum consuletur, isto sanguine irrigatus, Ecclesiarum ager fœcundabitur. Ex isto semine in terram decidente, amplissimæ Christo segetes succrescent: quod eleganter gentilibus objiciebat Tert. c. ult. *Nec quicquam proficit exquisitior crudelitas vestra; illecebra est magis sectæ, plures*

Digitized by Google

plures efficimur, quoties metimur à vobis, semen est sanguis Christianorum. Et Chrys. Serm. Paneg. in SS. Martyr. Juventin. & Maxim. Tom. 1. oper. *Etenim sicut Plantæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata, magis floret: & vexata, incrementa majora sumit, neque horti aquis irrigati; ita germinant, & fœcundi fiunt, ut Ecclesiæ, dum martyrum irrigantur sanguine.*

Injiciamus oculos, in Ecclesiam Christi nascentem, cùm adversus eam gentes fremerent, populi meditarentur inania, adsisterent Reges terræ, & Principes convenirent in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus, ut disrumperent vincula nostræ religionis, & à se atque aliis projicerent jugum Christianæ fidei. Sed qui habitat in cælis, irridebat eos, & Dominus subsannabat eos: irriti omnes eorum conatus fuere, intrepidis stantibus Episcopis, & cæteris Ecclesiarum Pastoribus, quamvis in eos duriora edicta præcederent, & furor præsertim persecutorum debacharetur: exhortabantur illi fideles ad pugnam: libenter cædebatur unusquisque ad conspectum Antistitis, & in oculis Pastorum suorum; si qui tentatione victi succumberent, pudore animati, pœnitentiæ severitate castigati, redintegratis veluti viribus, redibant ad prælium: cædebantur Christiani, nec deficiebat Christiana religio: quin immò, iis persecutionibus adaugebatur;

Testis hujus rei Tert. libr. ad Scapul. in fin. *Nec tamen deficiet hæc secta, quam tunc magis ædificari scias, cùm cædi videtur.* Testis Justin. Mart. in eversione dogmat. Aristotel. num. 12. pro resurrectione mortuorum, & fidei nostræ veritate argumentum sumens, quod nulla sit religio, quæ pluribus mortis cruciatibus, & suppliciis stabilita fuerit. Testis Hilar. lib. 7. de Trinit. his verbis, *Hoc enim Ecclesiæ proprium est, ut tum vincat, cùm læditur, tum intelligatur, cùm arguitur, tum obtineat, cùm deseritur.* Et contra Arrian. seu Auxent. Mediol. loquens enim de persecutionibus Ecclesiæ, ab Imperatoribus, *Aut non*, inquit, *manifesta se tum Dei virtus, contra odia humana porrexit, cùm tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis Christus prædicari inhiberetur.* Testis Basil. ep. 338.

Digitized by Google

A schol. Thessal. affirmans, res nostras nunquam meliori statu fuisse, quàm cum persecutores, & passi persecutionem, in aperta luce designari possent: *Populi bello appetiti, magis adaugerentur, & sanguis ille martyrum, Ecclesias irrigaret, athletasque veritatis multiplicatos produceret, parantibus se ad certamen secuturis à præcedentium zelo excitatis.*

Testis Nazianz. orat. 3. docens, Julianum persecutionem adversus Ecclesiam, non apertam, sed callidam & artificiosam, movere voluisse, ne quod ex persecutionibus pristinis cogitare poterat, *Quæ Christianam religionem potiùs illustrarent, quàm debilitarent, animas nimirum ad pietatem roborantes, ac periculis, ut aqua calens ferrum, obdurantes,* id quoque eveniret Consentaneè quoque idem orat. 13. de Ecclesia loquens, cui persecutiones molestiam non inferant, *Nam persecutiones illustriorem quoque ipsam per supplicia reddebant.* Ipsum quoque lege carm. ad Episc. & alibi. Testis Chrysost. tum cit. orat. paneg. in laudem SS. Juvent. & Maxim. consilium Juliani idem, quod Nazianz. retulit, exponens: tum libr. contra gentil. seu, de S. Babyl. contrarium Ethnicæ superstitionis, & Christianæ religionis fatum esse, docens; hanc, persecutionibus magis inclarescere, illam, non nisi humano imperatorum favore, & gratiâ amplificari, & illustriorem fieri, & alibi. Testis Hieron. epist. 62. ad Theoph. *fundendo*, inquit, *sanguinem, & patiendo magis, quàm faciendo contumelias, Christi fundata est Ecclesia, persecutionibus crevit, martyriis coronata est.* Quod de vita Malch. repetit, addens, *Eam, postquam ad imperatores Christianos venit, potentiâ & divitiis majorem, sed virtutibus minorem, factam esse.* Testis est Cyprian. tract. *de lapsi.* Ambros. lib. in Luc. c. 9. Leo Magn. Serm. de S. Laurent Stephanus Tornac. epist. 86. & alii passim.

Unde verò differentia ista, inter Ecclesiam priorum istorum sæculorum, & Ecclesias, quæ postremo hoc sæculo, ad Christi fidem congregantur, nisi quòd priorum temporum Ecclesia, Episcoporum curâ ac diligentia fundata, indigenarum ad fidem conversorum ordinatione munita, pastorum in vicis & urbibus institutione val-

Digitized by Google

vallata, & ubi priores defeciſſent, aliorum ſuccedaneâ creatione continuò defenſa, perennitati conſecrabatur, obſcurari poterat, non extingui, concuti, non proſterni; premi, non opprimi. Quin immò paſtorum pro Chriſto morientium exemplis, vel admonitionibus excitati greges, pro Chriſto fortiter dimicabant. Ipſaque illa obſtinatio utrorumque, cæteris ad Chriſtianam fidem recipiendam, magiſtra erat. *Quis enim*, inquit Tert. Apolog. cap. ult. *Non contemplatione ejus concutitur, ad inquirendum, quid intus in re ſit? quis non ubi requiſivit, accedit? ubi acceſſit, pati exoptat, ut totam Dei gratiam redimat, ut omnem veniam ab eo, compenſatione ſanguinis ſui expediat?* Demetebantur capita, moxque ex aliis fidelibus ſupplebantur: decreſcebat perſecutione Chriſtianorum numerus, moxque infidelibus cum incremento, inſtaurabatur, atque adeò fœcunda prole ſua Eccleſia, novis acceſſionibus, jacturam ſuam reſarciebat, nec unquam peribat.

Econtra, in Eccleſiis, quæ vel noſtrâ, vel patrum, avorumque & atavorum memoriâ, ad Chriſti fidem convertuntur, ſi Princeps noſtras res, religionemque noſtram perſequi voluerit: uno edicto advenæ, & exteri, (neque enim abſente Epiſcopo, indigenæ altaris miniſtri creari potuerunt) qui difficilius latere, atque occultari poſſunt, è regione pelluntur: nec inviti, ut plurimùm, è provinciis, in quibus tutò ipſis remanere non permittitur, diſcedunt; meliorem opportunitatem operientes, & placidam temporis conditionem præſtolantes; nullis ſcilicet adſtricti nexibus neceſſitatis, ad manendum, nulla obligatione conſtricti, ad perſeverandum: diſſipatur nullo negotio populus, abactis & fugatis Sacerdotibus; ſublato monitore & cenſore, animus langueſcit, inermes & nudi relinquuntur, qui corporis & ſanguinis Chriſti protectione, fugatis Sacerdotibus, muniri nequeunt: quæ ratio movebat Cypr. & collegas, ut lapſis, imminente perſecutione, communionem redderent, pugnaturis arma ſuggerenda cenſentes, ineptoſque eos exiſtimantes, qui pro confeſſione nominis Chriſti, ſanguinem ſuum funderent; quibus militatu-

Digitized by Google

ris, Christi sanguis denegaretur, minusque ad Martyrii poculum idoneos, qui non ad bibendum in Ecclesia Domini poculum, jure communicationis admissi fuissent. Lege epistolam Cypr. 54. Cornel. & exempla seq. capitis.

CAPUT XXXX.

Enucleatur præcedens doctrina, variis exemplis, in dissitis Regionibus.

HUjus igitur rei, ac doctrinæ exempla, prostant, in Sinensium, Japoniorum, Abyssinorum, aliisque Regionibus, in quibus, quamdiu Imperatores & magistratus, Christianæ religioni faverunt, res nostræ floruêre, ubi persecutio adversus Christianos efferbuit, brevi tempore religio Christiana vel decrevit, vel omnino extincta est. Et quidem, è Congensium regno, unico Regis ad idololatriam reverfi edicto, omnes Christianæ religionis Sacerdotes, ac Prædicatores, statim fugatos expulsosque superius legimus; nec à multo tempore intellectum, Societatis Jesu Patres, è toto regno Abyssinorum, novissimo Imperatoris ipsorum (quem *Preto Joannem*, seu *Pretiosum Joannem*, aut *Presbyterum Joannem*, corruptè vocamus) edicto, pulsos fuisse, quorum literis antea referabatur, totum ferè regnum, ad Romanam Ecclesiam inclinare, conversis ad fidem nostram Rege ipso, & Principibus, ac Optimatibus pluribus. Ejectis autem Societatis Jesu Patribus, nullos in toto isto regno supereſſe Sacerdotes, & difficiliorem aliis aditum patere, in suspicionem proditionis, venturis omnibus, qui ex provinciis extraneis, accessuri sint: spes proinde ampliſſimas, unico ictu succisas fuisse, plurimorum annorum laboris fructum excidisse.

Quæ utique non contigissent, si Episcopalis in iis auctoritas, cum Christiana religione, recepta fuisset, & ex illis regionibus, Episcopi, Presbyterique ad fidem conversi ordinati, cum aliis pastoribus, ex nostris provinciis missis, remansissent, qui Ecclesiis suis addicti, nec

Digitized by Google

nec reditum in Europam cogitassent, neque in suspicionem novarum rerum moliendarum & turbarum concitandarum, tam facilè veniissent, neque Ecclesiam suam, præcepti divini nexibus illigati, reliquissent, atque adeò non unico rescripto, diffiata religio Christiana fuisset, nec Ecclesia tanto tempore inchoata, momento recidisset.

In Japoniorum Regno, cùm ad illud Episcopus missus esset, licèt nec Episcopatus, nec hierarchicus Presbyterorum curam animarum habentium status, adhuc firmas radices egissent, tamen grassante persecutione in Christianos, legimus aliquot perfecta Martyria, & edicto tyrannorum obicem positum, constanter repugnatum, quemadmodum ex infer. dicendis innotescet: adeò, ut Episcopi creationi, quò minus similiter religio Christiana, in his vastissimis regionibus protinus, sicut in aliis quibusdam extremis, nata fuerit, tribuere non immeritò possimus.

Concludere itaque ex iis licet, absque Episcopi creatione, & Hierarchici status in Ecclesia erectione, conversiones, quæ videntur infidelium, nec certas, nec constantes esse, floréque præcoces videri, in medio infidelitatis frigore exortas, & primas erumpentes Ecclesiæ gemmas, quas una aut altera persecutionis pruina decoquit. Ecclesiam similiter in eo statu demum videri, non quæ supra firmam petram, leporibus seu erinaciis refugium, Psalm. 103. id est, supra Episcopalem Cathedram fundata sit, ad quam Neophyti, grassante persecutione, tanquam timida animalia confugiant. Hanc enim Christus, Matth. 7. neque pluviis, magna vi decidentibus, neque fluminibus inundantibus, neque ventis perflantibus cessuram, prænuntiat: sed supra arenam ædificatam, quæ fluida est, & coagmentari non potest, nec in unam copulam redigi, id est, supra voluntarios Sacerdotes, nullo nexu vel Ecclesiæ, vel inter se devinctos: quam proinde casuram, suo oraculo Christus ibid. confirmat, si descendat pluvia, veniant flumina, flent venti, id est, si tentationes irruant, casuram, inquam, & ruinám ejus magnam futuram.

Digitized by Google

CAPUT XXXXI.

Confirmatio & Conclusio Capitis XXXIX.

CONfirmatur & concluditur tota hæc, de caducitate, & infirmitate Ecclesiæ novellæ, quamdiu Episcopo proprio caruerit, dissertatio; eò quòd, si situm ipsarum regionum, in quibus de novo, Evangelii doctrina propaganda supereſt, exquiramus, eas ab Europæis nostris regionibus, à quibus Sacerdotes haurire debent, longè dissitas esse, & infidelium, tum idololatrarum, tum Mahumeti sequacium incursionibus patentes, ad oculum ex chartis Geographicis exploratum habebimus. Ideóque animadvertemus, quod multi casus occurrere possent, quibus ad eos, Sacerdotum ex Europa advectio, impediri posset, v. g. si bellum, integras Europæ provincias corripiat, longioris maritimi itineris opportunitates pervertat; si incursiones infidelium, ad illas regiones aditum, nobis intercludant. Si maris tempestates, destinatis ad istam peregrinationem temporibus, viam turbent; si alia id genus impedimenta, itineri obsistant.

Hæc autem si occurrant, & pestilenti morbo, aut alio casu, vel omnes, vel maximam partem Sacerdotum ac Prædicatorum, ex Europa antea advectorum, interim interire contingat, debilitari vel omninò extingui, religionis cultum exteriorem, necessum erit, qui non potest non secum fidei, & religionis interioris cultui jacturam, vulnusque maximum inferre. Igitur etiam sublatâ persecutione Ecclesiæ novellæ, quæ Episcopo viduantur, interitui proximæ sunt, & inclinant ad exitium suum. Inclinant autem defectu principii propagationis, cujus defectu, species rerum, corruptioni obnoxiarum potius, quàm illata ab agentibus contrariis injuria, seu violentia, intereunt.

Principia siquidem propagationis, ac perennitatis Ecclesiæ, sunt Sacerdotes tam primi, quàm secundi ordinis; sicut enim generatione carnali, genus humanum: ita genera-

Digitized by Google

generatione spiritali, Ecclesia conservatur, Presbyterorum autem Ordo, quemadmodum ex Epiph. in hær. Aërian. docuimus, est generator filiorum, Episcoporum ordo est, generator Patrum; ab Episcopis Presbyteri fiunt, à Presbyteris Christiani. Ideóque Ordo Presbyterorum conservatur, per Episcopos; Christianorum plebs per Presbyteros: atque adeò alterutro sublato, Ecclesiam defectu principii propagationis spiritalis, deficere necessum est. Vide tractatum nostrum de Hier. Eccl. jussu Episc. Castor. Vic. Apost. Editum Ann. 1666.

Addo, si adversarii nostri non putant ullos ex Ordinibus religiosis, perennes esse posse, nisi vo orum obligatione, ad perseverandum in ipsis, aliqui religentur: quia metuendum est, ne fastidio, vel tædio vitæ religiosæ, functionum cuicunque Ordini propriarum, & legum, totus Ordo, dissilientibus ab hoc instituto iis, ex quibus coalescit, dissolvatur: cùm longè majora incommoda subeunda sint, in conversione populorum infidelium ad fidem, perennitati Ecclesiæ apud illas gentes, non consuli, nisi aliqui ad manendum in iis regionibus, obstringantur; Pastoresque proinde, putà Episcopi, & Parochi constituantur.

Secùs enim accidere posse, ut vel voluntate superiorum regularium, revocentur illi religiosi, ad tempus missi, qui huic operi destinati sunt, præsertim ubi suo Ordini molestam, & onerosam istam missionem persenserint; vel ipso Ordine fatiscente, & penuria hominum laborante, missiones istæ minus frequentes fiant, & alii antea missi, ad honorificentiorem, & Ordini utiliorem operam redire jubeantur; vel tandem voluntarii isti opifices, tædio ac labore victi, sponte regrediantur, honestamque ad reditum vocationem procurent. Ex quibus omnibus, unum si contingat, Ecclesiæ novellæ status fatiscet, & inchoata fidei propagatio turbabitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXXII.

Ecclesias novellas, defectu legitimæ administrationis Sacramentorum, maximè laborascere.

ULtima ratio ex potissimis, ob quas Ecclesiæ novellæ maximè indigeant, Episcoporum creatione, est legitima Sacramentorum administratio. Etenim si verum est, quod verum esse asserit Aug. lib. 19. contra Faust. cap. 11. *In nullum nomen religionis sive verum sive falsum coagulari homines posse, nisi aliquo signaculorum, vel Sacramentorum visibilium consortio, colligentur.* Certè, vix religio foveri poterit, nisi ubi legitima Sacramentorum administratio procurari queat: at in Ecclesiis novellis, absque Episcopo, vix legitima Sacramentorum administratio procurari potest. Taceo, pro regionum diversis moribus, aliqua circa Sacramentorum administrationem de novo decerni, vel judicari debere; variari etiam aliqua posse, ex Aug. epist. 118. & 119. ad Januar. Noxiam verò, & scandalorum procreatricem esse, in eadem provincia, diversorum rituum institutorum consuetudinem, ceremoniarum variam observationem, quæ haud dubiè continget, nisi ab uno, putà ab Episcopo, omnes Sacramentorum ministri, in aliqua provincia, quoad ista omnia, dependeant.

Descendo ad singulas Sacramentorum species: tria Sacramenta sunt, in quorum administratione legitima, olei & Chrismatis, ab Episcopo confecti, seu consecrati, usus est necessarius. Et quidem in Sacramento Confirmationis, sacrum Chrisma necessariò adhibendum est, quod ab Episcopo fuerit consecratum, ex Florent. in decret. union. Sacramenti Extremæ Unctionis, oleum ab Episcopo benedictum materia est, ut Florent. ibid. decrevit, cujus Synodus Trident. decretum confirmavit; in Baptismo tanquam ceremoniæ quidem accidentales, sed antiquæ, ab Ecclesia præscriptæ, nec inutiles adhibentur,

I. qui-

Digitized by Google

I. quidem olei, ab Episcopo benedicti, tum Chrismatis in vertice inunctio. De oleo, in sacrandis Presbyteris adhiberi solitō, nihil hic dico. Quin etiam novum singulis annis, die cœnæ, Chrisma confici, ex veteri more debuisse, testantur Fabian. epist. 2. Auctor de operib. card. serm. de cœna Dom. Cornelii, & Cypriani Synchronos, si tamen Cyprianus ipse non sit existimandus, P P. Carth. Conc. 4. can. 36. Syn. Melden. can. 46. & Suession. Quin etiam veteris usum prohibent, Fabian. Impp. Christiani, capitular. lib. 7. c. 13. rituum Ecclesiasticorum plures scriptores.

Hæc autem observari non possunt, in novellis Ecclesiis, in quibus de novo ad fidem Christi perducendis laboraretur, nisi in ipsis constitutus sit proprius Episcopus, non singulis annis sacrum Chrisma commodè advehi potest. Quin etiam variis occasionibus occurentibus, necessum est, ut ad illa Sacramenta administranda, nisi præstò sit Episcopus, vel certè non valde dissitus, deficiat oleum sacrum, sacrum Chrisma ac salutare desit; atque adeò nec Baptismus legitimè administrari, nec omnino Sacramenta Confirmationis, & extremæ Unctionis conferri, ac recipi possint. Hoc argumentum, cum per se clarum sit, atque perspicuum, adeò ut confirmatione non indigeat, tamen juvat unico exemplo, ex historia Societ. Jesu petito, ipsum illustrare.

Refert Orlandin. lib. 16. num. 71. *fuisse civitati Goanæ, Patriarchæ Nunnij, in Æthiopiam destinati, gratum admodum & opportunum adventum; quæ cùm jampridem suo caruisset Antistite, sacrum jam defecerat oleum, ad inungendos in extremo certamine moribundos, & qui sacris initiari se vellent.* Unico isto exemplo disce, longè te probabilius, id te de reliquis regionibus minùs populosis, & ad quas, ex Europa Christiani Catholici rarius appellant, præsertim iis, quæ Episcopos nullos habuerunt, suspicari debere, in iis scilicet non dicam, novi Chrismatis, aut olei ab Episcopo recèns consecrati, nullum usum, sed simpliciter ab Episcopo quoquomodo consecrati, rarissimum usum esse solere, ac proinde & Ecclesiasticam legem, de veteri Chrimate, ad usum non revocando, in iis regionibus

Digitized by Google

nibus omnino intermissam esse; Baptismum suis antiquis ritibus mutilum haberi, & Ecclesiam Confirmationis, & Extremæ Unctionis Sacramentis truncatam, dimidiata tantum divina beneficia obtinere, & salubri adversus peccatorum reliquias remedio, morituros, munitissimo adversus mundi tentationes præsidio victuros fideles, æquè privari.

Sed quàm iniquum, & à Christi institutione alienum, iis invidere, Sacramenti Confirmationis usum, quibus præcipuè à Christo comparatum, pro quibus præsertim institutum est: cùm enim istud Sacramentum, *contra aprorum irruptiones muniat*, ut ait Paulin. epist. 15. Delphin. adversus persecutorum minas, & infidelium persecutiones nos armet, animumque corroboret, ut Apostolorum exemplo explicat Greg. in cap. 29. Job, cùm perfectissima sit animæ custodia, ut tradit Clem. Alexand. apud Euseb. & ut tradunt omnes Theologi post Melchiadem, nos ad pugnam confirmet, & ad fidei professionem confidentius emittendam, ex divina institutione suffulciat: quâ quæso fronte, iis Ecclesiis, sublato ministro ejus ordinario, qui est solus Episcopus, subducendum asseretur, quæ Ecclesiæ isto maximè indigent? Et cùm Christus tunc maximè istum commendet, iis, qui inter infideles versantur, vel adhuc Neophyti, magis circa fidem periclitantur: è contra adeò temerarii sunt aliqui, ut illud substrahi procurent, Neophytis inter infideles degentibus, quibus profitendæ fidei occasiones plures, negandæ plura pericula occurrunt.

Neque verò prætermitto, fœcunditatem populi Christiani, in Chrismate & Eucharistia promissam, Psalm. 46. vers. 8. *A fructu*, aliàs *à tempore frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt*. I. à tempore, quo illa percepta beneficia fuerint, Ecclesia adaucta est. Hæc est Arnob. in Psalm. cit. interpretatio. *In quo*, inquit, *lumine data est Lætitia in corde nostro, ab illo tempore, quo accipimus frumentum in Corpore, vinum in Sanguine, oleum in Chrismate*. Eadem est quidem clarior interpretatio Vigil. Trid. lib. 3. adversus Eutich. *Primus ergo populus gentium, cujus Jacob præformabat imaginem, à rore cœli, & à pinguedine terræ,*

Digitized by Google

terræ, id est, Christo, qui est Deus & homo, benedictionis sortitus gratiam, frumenti, vini, & olei, est abundanti cumulatus, id est, Corporis & Sanguinis Christi, & Chrismatis ejus ministerio consecratus, cujus trinæ benedictionis multiplicem gratiam, David etiam sacro commemorat carmine dicens, à tempore frumenti, vini & olei sui, multiplicati sunt. Nec incongruè vim facit Hug. Cardin. in illa particula, *sui*, ut non de quolibet frumento, vino, & oleo, sed quod singulariter Dei sit, & Christi sermonem esse pateat.

Quin etiam singulariter notat Aug. Serm. 184. de temp. Sacramento Confirmationis, quod sub extraordinariis, & prodigiosis Symbolis, Apostolis, in die Pentecostes collatum fuit, sub specie Chrismatis, ordinariè postea conferendum, deberi multiplicationem populi Christiani, & Ecclesiæ gentium miram fœcunditatem. Hoc enim verba ista Aug. significant cit. serm. de Miss. Spir. S. *Nam sicut de semetipso Christus Apostolis suis dixerat, Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi: ita etiam de Spiritu S. paraclitum, inquit, dabit vobis pater, qui vobiscum sit in æternum. Affuit ergo in hac die fidelibus suis, non jam per gratiam visitationis & operationis, sed per ipsam præsentiam majestatis: atque in vasa jam non odor balsami, sed ipsa substantia sacri defluxit unguenti, ex cujus fragantia, latitudo totius orbis impleretur, & appropinquantes ad eorum doctrinam, Dei fierent capaces, atque participes.*

Ne ergo miremur, Ecclesias novellas, in quarum cultura, à tanto tempore laboratur, præ aliis steriles esse, infirmas & effœtas: & cùm brevi tempore totus ferè orbis se Christianum, Catholicum, per Apostolicam prædicationem miratus sit: paucisque annis septemtrionales populi, modò isti, modò illi, ad fidem constanter conversi fuerint: Americanæ quædam Provinciæ, à Lusitanis devictæ, in quibus Episcopi constituti sunt, in firmam Ecclesiam coaluerint; è contra, tot populorum Asiæ, Africæ, ac novi Orbis conversionem interruptam, intermissamque jacere, nec promoveri tot annis, sed eodem ferè statu, quo erat initio, vel etiam in quibusdam locis deteriori, permanere; cujus rei ratio evidens

ac

Digitized by Google

ac perspicua nulla alia convenientior reddetur, quàm quòd Sacramento Confirmationis, populi isti caruerint, quo fœcunditas Ecclesiæ Romanæ, præcipuè procuratur.

Hujus etiam defectu, & concordiam fidelium turbatam, & carnales populos remansisse, vitæ perfectioris minùs sollicitos, existimare par est. Etenim unitatem & consensionem fidelium, Sacramento Confirmationis maximè procurari, ostendit Propheta Regius, Psal. 152. dum statim post Ecclesiæ unitatem, ac consensionem, his verbis significatam, *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum,* Sacramenti Chrismatis, tanquam causæ mentionem facit, subjungens, *Sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Quo unguento descensum Spiritus S. in Sacramento Confirmationis proprium, Aug. significari, Auctor est, qui scilicet barbatos nos, fortesque, & viriles efficiat, in quam sententiam Arnob. toto hoc Psalm. observat, agi de unitate Ecclesiæ, quam Confirmationis, & Baptismi agglutinent Sacramenta, unde & rationem hanc reddit, ob quam fideles populi, in unum conveniant: *habent enim unguentum Chrismatis, quod descendit de capite in barbam, hoc est, de Christo, in virtutibus:* Quin etiam S. August. enarrat. in eund. Psalm. excitatæ in Ecclesia, Cœnobiticæ vitæ initia, in Sacramentum Confirmationis refundit, *Nam,* inquit, *si nequaquam à Barba descendisset Unguentum, modò Monasteria non haberemus, sed quia descendit & in oram vestimenti,* &c. *Secuta est Ecclesia, de veste Domini, peperit Monasteria.* Ad quod etiam alludit Avit. Vienn. lib. 1. de laud. castit. ad soror. cap. 19. his versibus:

Cælorum regnum, quæ Christi Ecclesia sancta est,
Virginibus sacro signatis Chrismate confert:

Quamobrem tolerari non potest quorundam pervicacia, qui Sacramento Confirmationis, bellum indicunt, in odium Episcoporum: iisque argumentis, illud oppugnant; quòd ex illius studio, dissensiones inter Catholicos augeantur, quas ipsi dissensiones excitant. & mo-

Digitized by Google

Monastici status professione, perfectio, Confirmationi propria, cumulatiùs suppleatur. Cùm è contra, & Catholicorum consensio, hujus Sacramenti effectus sit, quod omnes unanimes facit; & ideo dissensiones probabiles inter populos vigeant, quòd isto remedio careant, ac tandem hujus Sacramenti susceptioni, Monasticæ ac Cœnobiticæ vitæ initia, Patres adscribant: quod ultimum experimento cognosci potest. In his enim regionibus, in quibus, ob Episcopi defectum, Sacramentum Confirmationis minimè recipi solet, adeò carnales sunt istorum populorum animi, ut vix ad Cœnobiticam vitam idonei judicentur. Melius itaque, meo quidem judicio, tum ob hanc rationem, tum ob alias plures, priùs de Sacramento Confirmationis in illis Ecclesiis administrando cogitaretur, quàm de Virginibus seu Monialibus sacris mittendis consilium, aut sumeretur, aut etiam (quod in Canadensi provincia, Episcopo vidua, nostro tempore factum est) executioni demandaretur. Lege tract. nostrum de Sacram. Confirm. in hunc finem edito.

De Ordinationis Sacramento, vix quidquam addo, eo enim sublato, ex prædictis videre est, non nisi ex Regionibus exteris Sacerdotum morientium, imò & liberè abeuntium loca suppleri, numerumque necessarium augeri posse, cujus rei incommoda aliqua percensuimus: quamdiuque id in usu futurum sit, tamdiu novellæ Ecclesiæ statum vacillaturum, & ad exitum inclinaturum, docuimus. Quam totam disputationem nequaquam hoc loco amplificabimus, contenti ex Arist. 7. Polit. cap. 8. docuisse, non esse civitatem perfectam, quæ non ex suo cœtu, agricolas, artifices, viros militares, locupletes, Sacerdotes & judices habeat: cujus doctrinæ notandam hanc rationem assignat. *Civitas enim multitudo est, non sorte oblata, sed ad vitam ducendam suis ipsa bonis contenta, ut dicimus. Quòd si quod horum fortè desit, fieri non potest absolutè, ut hæc societas, suis ipsa bonis sit contenta.* Quod si Arist. Civitatem esse, non censuit, sed inconditam & inordinatam multitudinem, quæ eo statu minimè consistere possit, quæ non habuerit ex suo cœtu Sacerdotes

ad rerum divinarum, & ceremoniarum curationem: Ecclesia certè, quæ tota in sacris posita est, & propter sacra colligitur, multò minùs sine suis propriis Sacerdotibus, esse poterit; nec diutius eam consistere posse probabile est, si commodatos duntaxat, & aliunde advectos habere debeat Sacerdotes, nec bonis suis contenta esse possit, sed salutis suæ curationem totam, in aliorum providentia, qui Sacerdotes ipsos ordinent, & ordinatos mittant, sitam habeat, nec Sacramentum Ordinationis apud se habeat, nec Episcopum ejus ministrum suo gremio contineat.

CAPUT XXXXIII.

Idem Confirmatur de Sacramentis Eucharistiæ, Pœnitentiæ, ac Matrimonii, quæ sine Episcopo, legitimè celebrari non possunt.

EUchariſtiam ſine Epiſcopo legitimam celebrandam, jactabunt adverſarii, ſed & ipſius celebratio, apud Eccleſias novellas, turbabitur aliquando, ne legitimè & canonicè celebretur, defectu ipſius Epiſcopi. Nam & violari legem oportebit, de non celebrando Sacro in loco, non ab Epiſcopis conſecrato, quam Clem. epiſt. 2. Anacl. epiſt. 1. Felix I V. epiſt. 1. cap. 1. ſanxerat: Laodicen. can. 57. alias 58. ſupponere videtur; inculcant Concilia, Cabilon. ſub Carol. can. 49. Pariſ. ſub Ludov. & Lothar. 1, cap. 47. lib. 2. cap. 11. in fin. & lib. 3. cap. 6. Mogunt. ſub Arnulp. cap. 9. Metenſe cap. 5. quam in uſu apud veteres fuiſſe, oſtendunt accuſatio Athanaſii, ab Arrianis, cujus ipſe meminit Apol. 1. quod in Baſilica nondum conſecrata, ob populi multitudinem, celebraſſet; & Chryſ. in Syn. ad Querc. cap. 13. quod extra ſacrarium, Sacerdotum, & Diaconorum ordinationes celebraſſet, cujus acta Syn. leges, apud Phot. in Biblioth. & Leunclav. lib. 9. Juris Græco-Romani.

Quam

Digitized by Google

Quam eandem legem Bas. lib. 2. de Bapt. resp. ad quæst. 8. extendit, ad omnia Sacerdotii Mysteria, quæ in locis prophanis celebrari, non posse, fuse ibid. ostendit: quam legem, non frustra à tot Pontificibus & Conciliis sanctam, non frustra tanto studio, à majoribus observatam fuisse, dicendum est; sed ad Religionis majestatem, Dei venerationem, fidelium ædificationem, precum ipsarum efficaciam, valere, non dubium est.

Vix etiam servabitur lex, de Sacro non celebrando, nisi in altari, ab Episcopo similiter non consecrato, quam statuisse dicitur Silvest. Papa, in Pontif. Damas. innunt vero Felix I V. Conc. Paris. P P. lib. 3. cap. 6. cit. Mogunt. sub Arnulph. cap. 9 Itemque Agathens. can. 14. & 43. nec non Epaunen. can. 26. consuetudo verò Ecclesiastica custodit. Facilè etiam accidet, ut sublato Episcopo, nec calicum, nec patenarum, nec pallarum, nec vestium, nec aliorum instrumentorum, quibus in Sacrorum celebratione, ex veteri Ecclesiæ ritu utimur, benedictio Pontificalis obtineri possit, quam Ecclesiastica consuetudo necessariam esse voluit: publicarum Synaxeon solemnitas, quæ olim nonnisi sub Episcopo, vel Episcopi jussu celebrabantur, quæque etiamnum à solis Pastoribus, jure suo colligi possunt, funditus evertetur. Atque adeò, & publicarum indictionum, ac promulgationum legis Ecclesiasticæ, quibus maximè disciplina Ecclesiastica continetur, usus abolebitur, utpote, quæ commodè non nisi in publicis illis conventibus fieri possunt; Catecheseon etiam popularium, & homiliarum, ad quas populus, necessitate quadam conveniat, nullus amplius usus erit, quarum tamen, præsertim in Ecclesia novella, utilitas est maxima.

Quin etiam visum olim Nazianz. Sacrificium ipsum abolendum esse, si omnes sive imperium, sive ministerium Episcopale defugerent; ratio vero Naz. hæc esse videtur, quòd nec Sacrificium in Ecclesia retineatur, nisi & potestas sit excludendi indignos, à Sacrificio, secus enim periculum erit injiciendi sacra canibus, & projiciendi margaritas ante porcos: prædictam conclusionem expressè tradit. Orat. I. Apolog. non longè ab init. rationem

Digitized by Google

etiam, sed obscurius, iis verbis. *Ubinam porro, & à quibus-nam Deus Mysticis illis, ac sursum ferentibus sacris coleretur (quibus nec majus quicquam nec præstantius apud nos est) si nec Rex* (de spirituali loquitur, qualis est Episcopus) *nec præfectus esset, nec Sacerdotium, nec Sacrificium, nec alia omnia, quibus olim inobedientes homines, & contumaces ob ingentia peccata multati sunt.* Ignat. sine Episcopo nullam synaxim legitimam agnovit, epist ad Trallia. nec licere baptizare, neque offerre, neque Sacrificium immolare, neque δυχὴν celebrare, epist. ad Smyrn. quæ vetus consuetudo in Arelat. 1. can. 19. Laodic. can. 57. Carthag. 2. can. 9. Carthag. 3. can. 32. lege firmata est, scilicet censebant majores nostri, ad Sacrificium unitatis, à præposito unitatis symbolo, populos cogi debere, uniusjussu, subque unius ductu, ut Ecclesiastica unitas facilius servaretur, quæ in Ecclesia novella necessaria est quàm maximè, in qua fideles ab infidelibus discernendi, Catechumeni à baptizatis, Neophyti ab iis, qui in fide confirmati sunt; quæ distinctiones & classes, in Ecclesiis novellis, nisi serventur, periculum est, ne sancta polluantur, communicatione infidelium, & mysteria nostra vilescant.

Pœnitentiæ Sacramentum, nisi Episcopi & inspectio, & auctoritas, in Ecclesiis vigeat, multis, iisque gravissimis sacrilegiis exponitur. Periculum siquidem est, ne indocti, ne imprudentes, ne flagitiosi, hujus Sacramenti administrationem, in se suscipiant. Nam & minimè probati mitti possunt, ab incuriosis superioribus, & irrepere aliqui non missi: & quamvis demus, non nisi probatos ad eas regiones mitti; quid si mores eorum interim corrumpantur, præsertim cùm ex Monastica schola exeuntes, experimentum minimè dederint, quales sibi relicti, solutiorémque ac liberiorem vivendi rationem sortiti, evadere probabiliter possunt.

Periculum est, ex prædictis, ne qui ordinati non fuerint, qui nulla jurisdictione præditi sint, neve suspensi aut excommunicati, imò & hæretici, in eas regiones irrepant, quemadmodum super. ostendimus, periculum est, ne opiniones laxiores, in populi perniciem intrudantur. Si enim etiam in iis regionibus, in quibus Episcopi, alii-

que

Digitized by Google

que ex officio invigilant, prurientes tamen auribus magistri plurimi reperiuntur, qui consuunt pulvillos cubitis peccantium, passimque disseminantur opiniones pravæ, erroneæ, quibus mores corrumpuntur, & fides ipsa concutitur, ut hoc corruptissimo nostro sæculo, frequentius fieri, ingemiscimus. Quantò facilius, ubi nullus inspector censorque adfuerit, prava ista dogmata glisceni, & ad adulationem conscientiæ noxiam, Sacerdotes indulgentiores propendebunt.

Quòd si, ut ait Apost. 1. Cor. 11. *Oportet & hæreses esse, ut & qui probati sunt, manifesti fiant*: nonnè oportet etiam in Ecclesiis singulis, inspectores aliquos esse, qui hæreses notent, & de iis fideles admoneant: sed præsertim hoc nostro sæculo uti diximus, quo ad disciplinæ relaxationem, & legum humanarum atque divinarum ludificationem, opinationes frivolæ, & pernicioſæ, (ne quâ graviori eas notâ inuram,) publicè privatimque docentur, ut & ipsi gentiles, longè Doctoribus istis moderatiores ac severiores videantur: quo nullum puto majus inferri posse, religionis propagationi vulnus: cùm nullum prioribus sæculis fuerit majus, ad religionem nostram incentivum, quàm præceptorum nostræ religionis sanctitas, & doctrinæ puritas, atque innocentia. Quod ideo argumentum adversus Paganos urgent Justin. Apol. 2. Tert. Apol. Minut. Felix in Octav. Arnob. Lactant. & quicunque pro Christianis Apologias scripserunt. At nunc, tot exceptionibus, excusationibus, violentis explicationibus, subtilitatibus vanis, eluduntur Christianæ Religionis præcepta moralia, ac miserè distorquentur ac lacerantur, ut Ethnici ipsi æqualem, seclusis iis, in quibus sibi videntur nobis religiosiores, dum plurium numinum vanitati deserviunt, vel majorem, sanctitatis curam habere videantur.

Omitto, pœnitentiarum publicarum, quæ in Ecclesiis novellis, valdè necessariæ sunt, ex prædictis, & ab Apostolorum temporibus usurpatæ, quàm nunc frequentiùs, usum instaurari non posse, nisi sit aliquis Episcopus, qui, & excommunicandi & absolvendi, & pœnitentias relaxandi, habeat potestatem, quorum omnium usum

Digitized by Google

circa inceſtuoſum Corinthium, ab Apoſtolo obſervatum colligere poſſumus ex epiſt. 1. Corinth. cap. 5. & 2. cap. 2.

Matrimoniorum ſanctitatem, ſine Epiſcopi auctoritate procurari poſſe, quis putet? nulla res eſt, quæ difficilius gentilibus ad fidem converſis, perſuadeatur, quàm Matrimonii honeſtas, qualem Eccleſia Catholica obſervat, nullæ leges difficilius, à Neophytis obſervantur, quàm quæ circa Matrimoniorum honeſtatem, ab Eccleſia ſancitæ ſunt. Legantur Bonif. epiſtolæ, & Nicol. 1. reſponſa, ad quæſt. Bulgaror. ex quibus in converſione gentilium, circa iſta maximè laboratum fuiſſe, ex ipſis innoteſcet. Revolvantur Annales Francor. & quàm multo tempore circa Francos, ad religionem Catholicam plenè converſos, diſſimulare tamen Eccleſiæ, neceſſum fuerit, plurima adverſus Matrimoniorum inſolubilitatem, & honeſtatem obſervare poterimus.

Concubinatum legibus civilibus olim permiſſum, ex jure civili novimus, niſi forte, ſtante Matrimonio, quàm exceptionem adhibuit Conſtantin. L. Unic. *C. de concubin.* & poſtea Juſtinian. L. ult *C. commun. de manumiſſion.* nec ex Imperatoribus Chriſtianis ullus ſua lege prohibuit, ante Leonem, Novell. 91. In gratiam Concubinarum, plurima cauta ſunt, etiam à Chriſtianis, Novell. 18. cap 5. Novel. 85. cap. 12. §. 5. & alibi. Divortia etiam ab Imperatoribus Chriſtianis permiſſa, & duplicibus nuptiis locus datus, ob plurimas cauſas ab Imperatoribus, Theodoſ. & Valentin. L. *conſenſ. C. de repudiis,* Anaſtaſ. leg. *Conſtante,* Juſtinian. L. *in cauſis,* & aliis ſeqq. C. *eod.* quæ etiam pluribus ejuſdem Imperatoris Novellis permiſſio, vel ampliatur, vel reſtringitur, ſcilicet tam difficilè, inolita apud Paganos Concubinarum & divortiorum conſuetudo, Chriſtiana lege penitus tolli potuit. Adſtipulantur etiam, qui novi Orbis hiſtoriam ſcribunt, nihil difficilius viſum, quàm divortiorum libertatem, & Polygamiam, iis regionibus penitus extirpare. Quamobrem ſatagendum quàm maximè, ut Eccleſiaſticæ leges circa Matrimonia diligenter ſerventur, & diſciplina Eccleſiæ ſtrictiſſimè cuſtodiatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXXIV.

Prudentes cautelæ, conc. Trident. Præcipuè, circa Matrimonia ineunda.

CAutum proinde saluberrimè, in Trid. Conc. sess. 24. decret. de reform. Matrim. cap. I. ut non nisi coram Parocho, vel de ejus Ordinarii licentia, Matrimonia ineantur. Quomodo autem illud servabitur, nisi sint aliqui Parochi, & ordinarii? Cautum ab eodem Conc. vestigiis præcedentium insistente, & Ecclesiasticam veterem consuetudinem firmante, ut publicæ denuntiationes Matrimonium præcedant, ne fortè aliquis vel jam nuptiis aliis irretitus, vel qui fidem suam obstrinxerit, vel qui aliquo alio impedimento, quod vel Matrimonium validum esse non patiatur, vel sanè, quod illicitum faciat, illigatus, ad nuptias prophanas ausu sacrilego convolare festinet. Quomodo autem ista servabuntur, ubi nulli sunt publici conventus, ad quos populus universus alicujus pagi, vel civitatis convocetur, sed sicut Sacerdotibus, sacrificii divini celebratio, ita & populis auditio arbitraria sit, privatimque celebrentur ab unoquoque, divina Mysteria, à nullo publicè, seu ex officio. Parochi exinde officium est, de impedimentis Matrimonii, ex officio inquirere, testes audire, eosque idoneos ad ferendum testimonium compellere, totiusque rei instrumenta, aliaque acta probata, ad Ecclesiasticum Judicem deferre: quomodo ista servari poterunt, nisi & Parochi aliqui constituti sint, & judices ad causas istas Matrimoniales dirimendas, ad quas, si aliqui constituantur, quidni, & ad cæteras Ecclesiasticas causas? ac proinde quidni, & ipsi Episcopi creentur, ad quos istarum rerum cognitio, divino canonicoque jure pertinet?

Cautum etiam, *ut Parochi librum habeant, in quo conjugum, & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describant, quem diligenter apud se custodiant.* Quomodo enim effrenis ista cupiditas, aut Matrimoniorum perperam dissolvendorum, aut plurium uxorum habendarum,

darum, reprimi poterit, nisi publica instrumenta, uniuscujusque Matrimonii celebrati acta, diligentissimè asserventur? ac penes quem erit ista cura, atque auctoritas, si nullus proprius Pastor fuerit, si nullus sit nisi subsidiarius, seu voluntarius Sacerdos; nullus sit, qui diuturnam residentiam, in uno loco habeat, nullusque ad perpetuam, in toto ista regione, mansionem obstrictus, sed unusquisque hospitium habeat, non domum, & pro sua, vel superiorum voluntate, de loco in locum progrediatur, ac post aliquot annos, in Evangelicis missionibus insumptos, ad nostram Europam redeat: procul dubio suæ unumquemque fidei, ac conscientiæ relinqui oportebit, ex quo immodica licentia, plurimis in perpetuo adulterio, ac concubinatu versantibus necessariò consequetur: neque huic malo mederi quisquam potest, nisi Episcoporum creatione, & Parochiarum erectione.

Atque adeò, in ipsis Ecclesiæ Christianæ incunabulis, ista decreta servata sunt, non de novo cauta, aut fabricata. Nam Evaristi Canon. legimus, spurium an germanum, certè à pluribus sæculis Evaristo tributum, ex epist. ejus ad African. quo præcipitur, ut *uxor suo tempore sacerdotaliter (ut mos est) cum precibus, & oblationibus, à Sacerdote benedicatur, & à Paranymphis, ut consuetudo decet, tuitodita & consociata, à proximis tempore congruo petita legibus detur.* Et Paulo post, *aliter enim, ut à Patribus accepimus, & à S S. Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus, non fit Matrimonium.* Tertulliani egregia vox est, ad uxor. lib. 2. cap. 9. *Unde sufficiam, ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod Ecclesia conciliat, confirmat oblatio, obsignatum Angeli renuntiant, pater ratum habet?* Et lib. de pudic. cap. 4. *Ideo penes nos, occultæ quoque conjunctiones, ist est, non prius apud Ecclesiam professæ, juxta mœchiam & fornicationem judicari periclitantur, nec inde consertæ obtentu Matrimonii crimen eludant,* denique lib. de Monogam. cap. 11. *Ut igitur in Domino nubas, secundum legem, & Apostolum (si tamen vel hoc curas) qualis es, id Matrimonium postulans,* &c. *Ab Episcopo Monogamo, & à Presbyteris, & Diaconis ejusdem Sacramenti, à viduis, quarum sectam in te recusasti,* &c. *Conjungent vos in Ecclesia virgine.*

Quo

Digitized by Google

Quo ultimo testimonio patet, quanta solemnitate, & publico ritu, in Ecclesia novella Tert. tempore, Matrimonia inter fideles celebrari consueverant, putà præsentibus Episcopis, Ecclesiæ Presbyteris, & Diaconis, & Diaconissis, quorum ministerio contrahentes conjungerentur, & ab iisdem, in publica Synaxi, & conventu Ecclesiæ, benedicerentur, ab iis licentia nubendi peteretur; apud ipsos professio emitteretur, & benedictiones ac preces, pro nubentibus ab omnibus funderentur: plura hujusmodi ex seqq. sæculorum auctoribus referre, prætermitto. Ista siquidem sufficiunt, ut ostendatur, in Ecclesiis novellis, incontinentiæ Neophytorum maximè obsistendum, ne sacrilegio, Matrimonia Christiana, ferè quotidiano contaminentur: obsisti autem nonnisi ab Episcopis, aut Parochis, qui & auctoritatem habeant, & inspectione, cura, diligentia quàm maxima utantur, & apud unumquemque populum stabiles resideant.

Aliæ exceptiones adversus Episcoporum necessitatem moveri solent ab æmulis Hierarchici istius ordinis, quas intenti brevitati, consultò omittimus; una tamen præcipua hoc loco paulò latiùs à nobis est discutienda: nempe, quòd ad conversionem infidelium instituti à Christo videantur subsidiarii Sacerdotes; Pastores verò, non nisi populis jam conversis, destinati fuerint.

CAPUT XXXXV.

Cellotii error Proponitur, & veteri Ecclesiæ, ab Apostolorum tempore, usu refellitur.

AFfinis est prædictis antea exceptionibus, error Cellotii lib. 5. cap. 13. pag. 334. nimirum Ecclesiam in duplici statu sumi posse, putà, vel ut ex infidelibus colligenda est, vel ut jam collecta; Christum instituisse, ut à viris Religiosis, Ecclesiæ ad fidem, ex infidelibus colligerentur: collectæ verò, ab Episcopis, & Parochis regerentur. Volens enim probare, Regulares, 72. Discipulis propriè succedere, hac ratione, statim in limine quæst.

Digitized by Google

utitur. I. Ratio *ducitur à fine, per Christum intento, qui est Ecclesiæ perfectio, & ea quidem in duas partes: prior fideles Christo jam acquisitos complectitur, conservatio & gubernatio: altera, ovesquæ non sunt ex ovili quærit, & adducit ad fidei augmentum atque amplificationem: illi ab Episcopis Parochisque uni populo & paræciæ addictis, & Spartam unam tuentibus, fieri solet.* (Nota, quòd auctor ille dicat, per Episcopos, Ecclesiam jam collectam solere regi, non autem debere, & consuetudini hoc adscribat, non legi) *præter quos, expeditas acies habet Ecclesia, quas in varias gentes, huc illuc spargat, & quidem ut plurimùm, è viris Religiosis, quorum operâ barbaras quasque Regiones, Christianæ fidei jugo subdidit. Quæ pars altera priori non ignobilior, certè laboriosior: itaque ex his copiis Bonifacio,* &c. Tribuit ergo voluntariis Sacerdotibus, gentium conversionem, quemadmodum ordinariè conversarum gubernationem, Pastoribus. Ita verò tribuit voluntariis istis copiis, conversionem gentium, ut Regularium Ordinum viros, ut plurimùm subsidiarios hujusmodi, ex Christi instituto esse debere, significet.

Verùm institutio Christi nulla est, quòd potius Regulares, quàm sæculares viri, ad gentium conversionem assumantur: & nobilior utique gubernatio, populorum fidelium, quæ non nisi à sacratris ministris fieri potest, quàm conversio, quæ etiam à laicis procurari potuit; totusque ferè orbis ad Evangelium perductus est, antequam Regularium ullus esset specialis Ordo; ullum ab Ecclesia probatum institutum: nec nisi, à 900 ferè annis, in hanc gloriam, Regulares viri adsciti sunt, ut ad gentium conversionem, sed ut plurimum Episcopali dignitate præditi, vel sub aliorum Episcoporum auspiciis mitterentur, quæ omnia exponenda sunt, ipsaque à Cellotio prolata exempla, percurrenda erunt, sed primùm, de Ecclesiæ veteri usu, delibanda, quibus error jam super. satis refutatus, explodatur.

Ecclesiarum certè fundatio, atque institutio Episcoporum maximè propria est, nam, ut loquitur Cypr. *Episcopus in Ecclesia est, & Ecclesia in Episcopo: estque Ecclesia, plebs Sacerdoti suo adunata, & pastori suo grex adhærens.*

Ideo-

Digitized by Google

Ideoque solebant olim, ut plurimum, Episcopi mitti ad convertendas gentes, illarum gentium, quas converterent, Episcopi futuri, cujus rei omnia ferè Ecclesiarum monumenta, fidem faciunt. Rarius verò, & inferioris gradus Clerici, vel laici, sed eruditi, ad illud opus mittebantur, v. g. Pantænus, Philosophus Christianus, in Alexandrina schola Ecclesiasticus Doctor, teste Hier. lib. de script. Eccles in Indiam ab illiu gentis Legatis expetitus, à Demetrio Alexand. Episcopo missus est, *ut Christum*, inquit idem auct. Epist. ad Magn. *apud Brachmanos, & gentis illius Philosophos prædicaret*. Origines quoque Alexandrinæ scholæ, eandem operam navans, antequam Presbyteratu fungeretur, ab eodem antistite, rogatu Præsidis Arabiæ, missus, ut eum in sacris litteris eruditet, scribitur ab Euseb. lib. 6. cap. 13. sed utriusque, quem humanæ sapientiæ admiratione, captæ gentes, expetierant, nullum vel exiguum fructum fuisse, ex historia colligimus: at verò Frumentii, cùm adhuc laicus esset, prædicatione Indos ad fidem permotos fuisse, testantur Ruffin. lib. 1. cap. 9. Socrat. lib. 1. cap. 19. Theod. lib. 1. cap. 23. Iberos etiam operâ cujusdam feminæ Christianæ, ad Christi fidem miraculis inductos, scribunt iidem auctor. ejusd. lib. cap. immediatè seq.

Neque tamen illi putarunt, Ecclesiam ab illis fundari, nisi populis ad fidem nostram suscipiendam anhelantibus, Episcopus præficeretur. Ideoque Athanasius Alexandrinus, eorumd. Auctor. testimonio, ubi accepit à Frumentio, Alexandriam reverso, Indos cupiditate Christianæ fidei suscipiendæ flagrantes, eidem Frumentio sacrosanctum Episcopatus munus impertit, mittitque ad animos illius gentis, pietatis doctrinâ excolendos: ita nimirum nihili ferè habebatur opera, quam in Evangelii prædicatione, laicus Frumentius impenderat, nisi ejusdem jam Episcopi labore, atque auctoritate perficeretur. Ad Iberos quoque, jam ad agnitionem Christianæ fidei permotos, Episcopus missus est, studio præsertim piissimi Principis Constantini, qui Ecclesiam fundaret, absque Episcopo neutiquam erigendam.

Nonnunquam etiam missi Presbyteri, non ut Ecclesiam

Digitized by Google

fiam fundarent, ſed ut viam Epiſcopo, ſi ſpes converſionis affulgeret, aliquam præpararent, eodem modo, quo ſpeculatores in terram promiſſionis miſſi, non qui poſſeſſionem adirent, ſed qui venturum Joſue nuntiarent, & duci Iſraëlitici exercitus, viam pararent: ſeu, ut exemplo 72. Diſcipulorum utar, qui Evangelium prædicarent in omnem civitatem, & locum, quo ipſe Chriſtus per Epiſcopos, legitimè miſſos eſſet venturus: cui rei exempla familiaria ſunt, nec aliunde quærenda, quàm ex illa exemplorum multitudine, quam congeſſit Cellot.

Cujus ideo probationem tanquam ineptam reprehendimus, quòd ea in medium proferat, quorum aliqua intento ſuo directè repugnant, alia ſaltem haud juvant. Dum enim perſuadere conatur, quoſdam Ordines, tanquam expeditas, ſed ordinarias acies à Chriſto eſſe inſtitutos, virorum ut plurimùm Religioſorum, qui nulli loco addicti, nulli populo, huc illuc liberè, prout placuerit, diſcurrant, ad barbaras nationes fidei jugo ſubjiciendas, exempla profert eorum, qui vel cum Epiſcopali dignitate miſſi ſunt, vel ſtatim atque albicantem ad meſſem regionem animadverterunt, extraordinariam functionem, Eccleſiæ fundandæ inſufficientem animadvertentes, ab incœpto opere retardati ſunt, donec vel Epiſcopi ipſi crearentur, vel alii, cum eadem dignitate, ad Eccleſiarum fundationem mitterentur, qui & Parochias erigerent minoribus Sacerdotibus diſtribuendas & Hierarchicum Clerum componerent.

Placet ergo allata omnia ab eo exempla, percurrere, quod licèt fuſius fortè futurum ſit, nec ingratum tamen erit, ob rerum varietatem: nec πάρεργον, propter exemplorum iſtorum, cum inſtituto totius operis connexionem.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXXXVI.

De Conversione Germaniæ.

ORdior à Germaniæ conversione, â qua initium ducit Cellot. Bonifacius, antea Winfridus dictus, Monachus & Presbyter, natione Anglus, Romam veniens à Gregor. II. ad prædicandum gentibus Evangelium missus est, quo officio dignè functus, Romam iterum vocatus, post quatuor à prima professione annos, nondum expletos, Archiepiscopus consecratus, in Germaniam iterum missus est, ut eidem operi iterum incumberet: quod fusè narrat vit. ipsius Auct. ex Willebald. apud Surium 5. Jun. & ex litteris ad ipsum, Clerúmque, plebemque, & optimates Turingorum scriptis innotescit; quarum una Clero, ordini, & plebi consistenti Turingi, quæ ordine quarta est, mandatum Bonifacio rescribit Pontifex, ut Ecclesias Parochiales constituat, earúmque reditus, & oblationes fidelium, in quatuor partes distribuat.

Quo exemplo docemur, ubi spes conversionis populi alicujus affulgeret, morem hujus sæculi fuisse, ut continuò Episcopi ac Parochi constituerentur, etiam in prima conversione populorum; & extraordinarium nec diuturnum esse debere, quod non Pastorali officio, atque dignitate Episcopali præditis, populorum ad fidem convertendorum munus committeretur.

Paucis ante illum annis, Willebrordus, seu Willebroaldus, Suitbertus, & alii decem, ejusdem instituti, putà Monastici, qui omnes Presbyteri erant, uno excepto Adelberto Diacono, filio Regis Deirorum, Romam perrexerunt, ad Sergium summum Pontificem, ut Apostolicam benedictionem, & licentiam consecuti, in Germaniam ad Evangelii prædicationem proficiscerentur, quod ubi eis aliquantulum successit, visum est illis, duos eligere, qui ordinari in Episcopos deberent. Switbertus ergo missus in Angliam, anno à 1. professione 5. à sancto Wilfrido, Saxonum, aliorumque

Digitized by Google

que populorum Germaniæ, Episcopus ordinatus est: Willebordus autem Romam missus à prædicto Sergio summo Pontifice, Clementis accepto nomine, Archiepiscopus Frisiorum anno post 1. profectionem 6. ordinatus est, ut referunt Bed. lib. 5. cap. 10. & 12. Marcellin. in act. S. Swib. apud Sur. 1. Mart. & Albin. in vit. S. Willebrord. apud eund. 7. Novemb. qui & addit, non sine divina prævia admonitione, à Sergio Willebrordum fuisse consecratum.

De utroque verò, idem Marcellin. cap. 13. narrat, quòd Ecclesiam Cathedralem construxerint, quòd Hollandiam, & Frisiam peragrantes, per loca singula, Presbyteros, & Diaconos ordinaverint, qui eos in verbo fidei, & ministerio baptizandi adjuvarent, quòd per biennium prædicantes, totum populum ad fidem perduxerint, & quinquaginta duas Parochiales Ecclesias erexerint: habitum quoque ab iis Synodum, refert cap. seq. pro mittendis in varia loca prædicatoribus, præsertim ex Canonicis Ecclesiarum illustrioribus, qui varias Episcopales Cathedras erigerent, & Pastoribus, populos ad fidem conversos, subjicerent. Plures tandem Episcopos ab iis constitutos, narrat, qui in finitimas provincias ad Daciam usque, Christi fidem propagarent.

Nec mirum, iis sanctorum virorum consiliis, & Synodis (quas meritò veneratur pius & prudens Episcopus) eventus felices respondisse, qui institutum à Christo ordinem secuti, putaverint populorum conversionem, non per expeditas acies hominum nullo Pastoratu fungentium, sed constitutis Pastoribus, esse promovendam: quod consilium etiam Pipino Francorum Duci, ex fide scilicet istorum temporum, placuisse, docet Albin. lib. 1. cap. 6. scribens, eum *majori profectus occasione, prudenti cogitasse consilio, Willebrordum Romam mittere, ut à Domino Apostolico Sergio, viro sanctissimo, tunc temporis, in summi Sacerdotii honorem, ordinaretur: quatenus Apostolicâ benedictione, & jussione suscepta, majori ab eo missus fiducia roboratus, in opus Evangelii reverteretur, juxta Apostolicum illud, quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* Hæc enim ostendunt, persuasum Pipino atque Albino fuisse,

non

non gentium conversioni à Christo destinatos Monachos, tanquam voluntarios milites, sed stationarios Pastores futuros, mitti oportere, ut majoris profectus daretur occasio; nec ordinariam missionem habere, nisi qui ordinariam haberent Episcopi potestatem.

CAPUT XXXXVII.

De Conversione Britanniæ.

AUgustini, ac sociorum in Britanniam missio, ejusdem fidei, & disciplinæ argumentum est: etenim certum est, testimonio Bed. lib. 1. Historiæ cap. 23. Joannis Diac. vit. S. Gregor. lib. 2. cap. 33. 34. 35. & aliorum, S. Gregorium, Anglorum conversionem meditantem, Augustinum Presbyterum, Monasterii sui præfectum, cum aliis quibusdam, ipsi adjunctis sociis, in eam rem mississe, in Angliam, eâ conditione, ut si ab Anglis exciperentur, Augustinus Episcopus ordinaretur, cui legi satisfaciens ipse, ubi ab Edilhberto, Cantii Rege susceptus fuit, Arelatem, secundum Gregor. missionem, ab Oëtherio illius civitatis Episcopo consecratus, in Britanniam remeavit.

In quo exemplo, notandum est, S. Gregorium, lib. 5. indict. 14. Epist. 58. Theodor. & Theodeb. Francorum Regibus, & 59. Brunechildi reginæ, scribentem, ideo se Augustinum, & socios in Angliam mittendos proposuisse, *quod Sacerdotes, qui in vicino essent, pastoralem erga eos sollicitudinem non haberent.* Quæ verba satis arguunt, non eam visam Gregorio Pastorum, atque opitulantium differentiam, quam assignavit scriptor ille, ut hi, ad Evangelii conversionem discurrerent, illis, putà, *Episcopis, Parochisque uni populo, & Parochiæ addictis, & Spartam unam tuentibus;* quinimmò eos, qui opitulatores dicuntur, nonnisi ad Pastorum negligentiam supplendam, necessarios visos fuisse, Pastorum verò officium, ex veteri more, creditum fuisse, ut Pastoralis curæ partem, finitimis etiam Provinciis, ex charitate impenderent, & juxta Concil. Milevit. 2. can. 24. & African. can. 88. decretum,

Digitized by Google

cretum, loca, quæ ad fidem converterent, suæ Cathedræ lucrarentur, vel inibi ex Ecclesiæ cõniventia, constituere possent Episcopos, quemadmodum Eusebii Samosat. apud Theodoret. lib. 5. cap. 4. Juvenalis Hierosolym. Episc. apud Cyrill. in vit. S. Euthym. quæ à Metaph. & Sur. refertur, die 20. Januar. Adalberti Pragens. Epis. ex ejus vit. apud Sur. die 16. April. Meinardi Bremens. Archiep. teste Reinold. in chronic. Sclavor. lib. 7. cap. 8. & 9. aliorumque plurium exemplis, constare potest.

Denique circa illud idem exemplum, observandum, tum Gregorium, tum Augustinum Episcopum consecratum, ad Christianæ fidei propagationem, necessarium existimasse, ut Episcopi constituerentur in ista novella Ecclesia, & Clerici locales ordinarentur, qui & Episcopi, in ministerio essent, & Ecclesias Parochiales, licèt Monasticum institutum retinentes, regerent, ut ex responsionibus ejusdem Gregor. ad Prædictum Augustin. lib. 21. Regist. indict. 7. colligi potest.

CAPUT XXXXVIII.

De Conversione Hiberniæ.

SAnctum Patricium, Monachum fuisse, nullus ex scriptoribus Ecclesiasticis prodit; inter Eremitas aliquo tempore mansisse, testatur Probus, lib. 1. ipsius vit. quæ habetur Tom. 3. Bed. sed Sacerdotem factum, cum Episcopo suo, & cæteris Clericis mansisse, tradit. Eum verò, idem Prob. eod. libr. antequam ad Evangelium Scotis & Hibernis prædicandum, acceptâ à Celestino 1. licentiâ, accederet, ab Amatore Episcopo Gallo, Præsulem ordinatum, scribit; Sigebert. verò in chronico, Marian. Scot. lib. 2. sex ætat. anno Dom. 432. & alii, ad Scotos & Hibernos profecturum, 1. à Cælestino Pap. qui antea Palladium, ad Scotos Episcopum destinaverat, Præsulem consecratum, referunt, quem & Prob. lib. 2. *Post populum multum ad Christum conversum, post Episcopos & Presbyteros, post totum Ecclesiasticum ordinem, benè ac perfectè compositum, id est, Episcopalibus*

bus Cathedris erectis, parochiisque constitutis, ex hac vita decessisse, narrat.

Columbanum Presbyterum, & Abbatem Hibernum, refert Bed. lib. 3. de gest. anglor. cap. 4. de Hibernia venientem in Britanniam, Putis, qui ardua atque horrentia montium juga, in septemtrionali Provincia incolebant, Evangelium annuntiasse, in qua Provincia, jam ab Episcopo Nyniâ, ab urbe Roma misso, fides prædicata fuerat, & sedes Episcopalis erecta, quæ suo tempore ab Anglis teneretur.

Hunc verò in insula quadam non magna, sed quasi familiarum quinque Monasterium construxisse, cum prius aliud nobile, antequam in Britanniam veniret, Monasterium construxisset, ex quo utroque, plurima Monasteria, in Hibernia & Britannia, per discipulos ejus fuerint propagata, ita tamen, ut insulanum istud Monasterium, in quo sacrum ejus corpus quiescit, inter cætera Principatum obtineret; etenim addit: *Habere autem solet ipsa insula rectorem, semper Abbatem Presbyterum, cujus juri, & omnis Provincia, & ipsi etiam Episcopi, ordine inusitato, debeant esse subjecti, juxta exemplum primi Doctoris illius, qui non Episcopus, sed Presbyter exstitit, & Monachus.* Subdit etiam cap. seq. idem auct. *Ab hac insula, ab horum collegio Monachorum, ad Provinciam Anglorum instituendam, in Christo missum esse Aidanum, accepto gradu Episcopatus, quo tempore, eidem Monasterio, Segenius Abbas & Presbyter præfuit.*

Ad hoc verò exemplum, gestientem forte videas Cellot. quo & hîc, & alibi usus est, pag. scilicet 252. seu lib. 5. cap. 2. ex eoque elicuit, non benè negari, *Religiosorum, in infidelibus convertendis, & animabus convertendis operam, jus Sacerdotii illis acquisivisse. Plus enim,* inquit, *in Hierarchia, quàm Sacerdotium acquisivit, S. Columbani successoribus.*

Verùm enim verò, neque quod ex hoc exemplo ibi colligit, neque quod ex eodem hoc insinuat, ulla ratione subsistit, aut solida consecutione deducitur: Etenim, si ipse Cellot. veritate cogente, & ad repellendam tam stultæ consecutionis invidiam, dicere compul-

Digitized by Google

sus est; *hoc ego exemplum, in præjudicium non traho, quia inusitatum est;* Videbat enim omninò temerarium, & ab Ecclesiæ more, atque consuetudine alienum, Christique institutione dissonum esse, ut quia Presbyter aliquis primus, provinciam aliquam, ad Christi fidem adduxit, non solum consentanea sit, sed justa, sed debita Presbytero, in Episcopos seqq. temporibus ibidem constituendos, dignitatis & imperii prærogativa. At nihilò melius, ex eo, quòd Presbyter Monachus, nationem aliquam ad fidem adduxit, cæteris deinde succedentibus Monachis, Sacerdotii jus conquisitum, dicetur.

Quòd, si nec vim istius argumenti, adversarius percipit, patiatur me quæso, prestius insistere, & hoc dilemmate, consecutionis istius vanitatem, ostendere: vel enim adversarius, S. Columbano, & successoribus ejus Abbatibus, jus Prælationis supra Episcopos Provinciæ, quam ad fidem converterat, acquisitum putat, vel non putat: si putat, in gravem errorem impingit, quem tamen ipse à se amoliri voluisse, visus est, dum dixit, se in exemplum, hoc privilegium trahi nolle, quia inusitatum esset: si non putat, ex falso ergo principio probat, ex eo, quod operâ in convertenda aliqua Provincia, à S. Columbano & successoribus impensâ, non solùm Sacerdotium, sed aliquid majus, putà in ipsos summos Sacerdotes imperium, acquisivit, eamdem operam à Monachis olim collocatam, eisdem & successoribus ipsorum, jus Sacerdotii acquirere posse: discat, si sapit, Sacerdotium non alienis, sed propriis stipendiis dari, remque esse diviniorem, quàm ut parentum, vel prædecessorum laboribus remuneretur in filiis.

Potuit ergo fieri, ut Ecclesia Monasterii alicujus, Abbatibus Presbyte. is eo tempore, quo sanctitate, pietate, doctrinâ cæteris præcellebant, Episcopos ex eorum schola, atque disciplina, ut plurimum prodeuntes, novo & inusitato exemplo subjicere voluerit, tamque incredibile privilegium allatâ ratione exornarit. Sed quòd ratio ista, vel S. Columbano, vel Abbatibus Monasterii ipsius jus prælationis Episcopi dederit, ut ipsi tanquam sibi debitam hoc colore vel prætextu, exigere potuerint, sicut Mo-

Digitized by Google

Monachis, à moderno isto, eo titulo jus Sacerdotii vindicatur: & alibi, pag. 677. lib. 8. cap. 5. *Apostolica successio, & discipulorum nomen, negari non posse, asseritur*, nunquam cogitatum, nunquam creditum. Apostolorum imitatione & successu glorientur, qui barbaris nationibus Evangelium annuntiant, per me licet, dummodo Apostolicam successionem, Episcopis intactam relinquant, quibus eam Christus, ex P P. sententia legavit. Nisi fortè & feminis, & universim laicis, quorum aliquos diximus Evangelii lucem, infidelibus primos intulisse, etiam Apostolica successione, & Discipulorum 72. Christi, seu ejus successorum nomine, insignire temerè audeant.

An autem verè hoc privilegium, concessum fuerit aliquando, cujus nec successor ipsius Insulæ Huensis, in Scotia, Abbas, vit S. Columbani scriptor sit, nec conversionis gentis Putorum ab ipso factæ, in ipsius vit. duobus libris integris, quæ habetur apud Sur. 9. Jun. meminit: an item, si concessum sit, ab habente potestatem, jure datum sit, an verò ex aliqua inolita consuetudine, seu corruptela, ex pio quodam, sed minùs rationabili creatorum Episcoporum obsequio exorta, præsumptum fuerit, non definio. Ut ut sit, ad præsentem quæst. exemplum illud, non juvat, sed potiùs, ex ipso deducitur, tantam ad instituendas, & fundandas in fide Ecclesias, Episcoporum necessitatem, visam Monachis istius temporis fuisse, ut cùm Abbatibus suis, primas in Clero deferri partes vellent, Episcopos, contra morem universæ Ecclesiæ, subjici Presbyteris mallent, (quod Episcopali gradui contumeliosum videbatur) quàm solos Presbyteros, Ecclesiæ gubernaculis admoveri, quod etiam populorum saluti nocivum, existimassent. Neque exinde, subsidiarios quosdam Ordines, præsertim Religiosorum virorum, ad Ecclesias fundandas, & Evangelium gentibus invehendum, aliquos à Christo institutos, vel leviter, ex tota ista historia, conjici potest: ut proinde S. Columbani exemplum, ab Auctore prolatum, scopum intentum nec feriat, nec attingat quidem.

Digitized by Google

CAPUT XXXXIX.

De Conversione Hungariæ, & Lituaniæ.

GErardum & Maurum sanctissimos Monachos, quo consilio, auctor in exemplum adducat, vix scio: nam in Monastica vita, eos contemplationem prædicationi, eremi solitudinem, urbium ac vicorum frequentiæ, prætulisse, tum ex vitis S. Gerardi apud Sur. 24. Septemb. S. Stephan. Regis, apud eund. 20 August. tum ex Bonfinio, Rerum Hungar. decad 2. lib. 1. & 2. compertum est. Postea verò utrumque ad Episcopatum, Maurum ad Quinqueclesiensem, Gerardum ad Chanadiensem, aliàs Chænodiensem evectum, in Episcopali dignitate contemplationi prædicandi officium conjunxisse, nihilque ad fidei propagationem omisisse, connitente maximè Stephano Rege, qui eos retinuerit, & ministros adhibuerit, & in conversione populi sui ad fidem, non illaudabilem operam præstiterit, eorundem lectione, exploratum habetur, ut ex eo exemplo, non magis Monachorum, quàm Regum, qui Evangelio collaborarint, ordines colligere liceat, maneatque illud semper certum, Ecclesiarum fundationem, ad solos Episcopos pertinere.

Lituanos ab Hieron. Boëmo, Bulgaros à Methodio, Suecos ab Auger. ad fidem conversos, à quibus Auctoribus acceperit, haud scio. Compertum siquidem est, ex lectione Cromer. rer. Polon. lib. 9. & epist. 1. Innoc. III. lib. 17. Regis. primum Lituanorum Regem, armis Crucigerorum debilitatum, Christianum fieri, fictè consensisse, Vitum, ex ordine Prædicatorum, sanctitate morum, & miraculis illustrem, ab Innoc. III. ad convertendam istam Provinciam, Episcopum missum fuisse, sed mox ab eadem ejectum, minimum in ipsa fructum feciisse.

Notum etiam testimonio Krantz. lib. 8. Wandal. hist. cap. 9. à Joan. XXII. pari perfidia, Lituanos Episcopum & Abbatem, Clerumque convenientem petiisse, eosdem missos

Digitized by Google

miſſos ſine mora, vix auditos dimiſiſſe, denique fidem faciunt idem Cromer. lib. 14. & 15. Micheon. rer. Polonic. cap. 39. & lib. 2. de Sarmat. Europ. cap. 2. Ænæas Sylv. lib. de Polon. & alii paſſim, ſeriùs ad fidem Lituanos converſos fuiſſe, occaſione nuptiarum Chriſtianæ Reginæ Polonorum Heduigis, hac conditione Jagello magno Lituaniæ Duci, deſponſatæ, ut ipſi nonniſi jam baptizato nuberet: operâ præſertim ejuſdem Jagelli, qui baptizatus Waldiſlaus, ſeu Ladislaus dictus eſt, omnéque ſtudium, in procuranda ſubditorum converſione impendit, ita ut etiam Sacerdotum conciones & Cathecheſes, vulgari ipſe lingua populis interpretaretur; cooperatores eidem Jagello fuiſſe, *Bodrantam Archiepiſcopum Gneſnenſem, & plures viros Eccleſiaſticos atque Religioſos.*

Denique Eccleſiarum fundationem, ab Epiſcopalium ſedium erectione inceptam, primùm Wilnæ Epiſcopum, Andræam Vaſilum Polonum, Franciſcanum, Urbani V I. auctoritate datum. Poſtea ſeptem alias Diœceſes inſtitutas, & ejuſdem Regis munificentiâ dotatas, Volcomirienſem, Miſſogolenſem, Nememinenſem, Medincenſem, Crenenſem, Obolcenſem, & Habienſem. Quem in tota iſta Lituanorum converſione ad fidem, Hieronymum Boëmum, adverſarius reperiet; quas, præter viros Epiſcopalis gradus, expeditas acies ad prædicandum barbaris gentibus, ex Religioſis præſertim viris ſelectas, & à Chriſto inſtitutas, vel quod earum veſtigium agnoſcet? quinimmò, præter citatos, Archiepiſcopum Rigenſ. finitimum hujus Provinciæ, quotiescunque ſpes aliqua converſionis iſtius gentis affulgeret, curam geſſiſſe. Reges nullo officio Eccleſiaſtico præditos, negotium iſtud vel promoviſſe, vel diſturbaſſe, primamque in iis Regionibus Eccleſiam non niſi ſub Epiſcoporum regimine coaluiſſe, diſcemus. Quæ omnia, à Cellot. Daniel. A Jeſu aliorumque ejuſdem farinæ ſcriptorum ſententia, penitus diſſentiunt.

Digitized by Google

CAPUT L.

De Conversione Bulgarorum.

BUlgaros porro, non à Methodio aliquo, uno ex istis, qui expeditis istis aciebus, ad gentium conversionem paratis, præter Episcopos & Parœcos, insertus fuerit, sed ab aliis ad fidem adductos fuisse, si historicis assentiamur existimabimus. Certè Bulgarorum Rex Telericus, anno 777. Christianæ Religionis amore, quam pro Imperatoribus græcis militans, ex colloquio eorum, quibuscum versabatur, militarium ut plurimum virorum didicerat, suos deferens, Constantinopoli baptizatus est, & in honore apud Imperatorem fuit, sed tota gens in pristino errore permansit, teste Theophan. anno 11. Leon. IV. Imperat. Insequenti verò tempore, imperatoris Michaelis anno IV. cùm Theodora imperatrix, ejusdem mater, habenas moderaretur Orientalis imperii, sedi Constantinopolitanæ præsideret S. Methodius, à Nicol. Papa magnus, ob fidei adversus Iconomachos defensionem, appellatus, re erunt zonar. annal. tom. III. Curopalat. Cedren. & alii, hac occasione, ad fidem Bulgarorum gentem perveniſſe:

Bulgarorum Principem, cùm adversus imperium, arma movere, in animo habuisset, ut ultrò citroque aliquæ excursiones factæ fuissent, in Bulgarorum manus, Theodorum Cupharam, Reipublicæ gerendæ idoneum, incidisse: in Græcorum potestatem, sororem Regis Bulgarorum venisse: placuisse tamen agi de fœdere, captivos domum dimissos. Quæ à Theodoro, salutaria de Christiana fide, cum Princeps Bulgarorum accepisset, à sorore, quæ & ipsa dum captiva esset, fidei Christianæ documentis imbui, se passa fuerat, sollicitè inculcata, Deum variis calamitatibus immissis, ad bonam mentem, Principis voluntatem inflexisse. Et quod casu factum videri poterat, id divinam providentiam, ad ipsius salutem ordinasse, tum ut Methodius quidam, professione Monachus, arte pictor, cùm mandatum à Rege accepisset,

ut in

Digitized by Google

ut in aliqua domo, à se constructa, ea pingeret, quæ terrorem spectantibus incitarent, in animum ille suum induxerit, universalis judicii diem, in hac tabella depingere, ex qua, cùm diversam bonorum, & malorum sortem, Rex primùm oculis, tum animo altiùs hausisset, ad fidem Christianam amplectendam tandem inductus est. Tum ut occurreret eo tempore ipsi Episcopus, à Græcis, ad renovanda fœdera missus, qui ipsum primùm, divina Mysteria pleniùs edoctum, intempesta nocte, metu, ne populus hujus rei conscius, adversus ipsum tumultuaretur, sacro Baptismate nostræ religioni consecraret. Sed rem minimè latere potuisse, turbas à Bulgaris in ipsum excitatas, quas parvâ manu cùm repressisset, & præeunte crucis signo, rebelles fugasset: partim metu, partim reverentiâ, partim tam inopinatæ victoriæ miraculo, perculsos Bulgaros, fidem Christianam amplexos fuisse.

Duos, in ista narratione, Methodios lego, unum Patriarcham Constantinop. non ex ordine paratorum istorum militum, qui præter Episcopos instituti, huc illuc per Regiones vagantur, ac sicut nubes volant: cujus etiam in ista conversione Bulgarorum, nullam operam lego. Alterum Methodium Monachum pictorem, cujus manu Deus, præter spem ejus, ac consilium, ad commovendum Principis animum, usus est: quem si quis ideo aciebus istis expeditis, ad gentium conversionem discurrentibus, adnumeraverit, aut Bulgaricæ gentis Apostolum dixerit, quantum iste, & à ratione, & à reverentia, quam Apostolicæ dignitati debemus exhibere, deflectet.

Quòd si ejusdem gentis conversionem, quæ deinceps secuta fuerint, paulò curiosiùs perscrutari libuerit, quædam, ad refutandas adversariorum nostrorum, adversus Ecclesiam machinationes, salutaria observanda occurrent. I. Cùm plures, ex ista gente barbara, etiam baptizati, quos humanæ, non divinæ rationes, fidei Christianæ jugo subjecerant, adversus Regem ferociter insurrexissent, sæpius victi, multis ex primoribus cæsis, vel in captivitate detentis, vix tamen edomiti fuissent, quemadmodum discimus à Nicol. I. ad consult. Bulgar. c. 14.

Digitized by Google

In eo rerum tumultu, cum nondum antistites creari potuissent, Græcos, Armenosque Presbyteros, à nullo Catholico Antistite probatos, qui ultrò ad illos populos docendos accesserant, errores aliquos sparsisse, conceptumque adversus Romanam Ecclesiam, omnium matrem ac Magistram, odium, iis populis conatos inspirare, ut deducitur ex ejusd Epist. cap. 94. Græcum etiam quendam, Ordinem Sacerdotalem, quem non haberet, mentitum, Sacramenta ministrasse, ac deprehensum, divina tandem inspiratione, castigatum fuisse, ut ex ejusd. respons. cap. 14. innotescit: tentatos tandem à Græcis, ut à Romana Ecclesia deficerent, & post multas altercationes, ab ipsis, adversus Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, Theophilactum primum Archiepiscopum accepisse, ex Anastas. narrat. in vit. Adrian. II. actis 8. Syn. & Epistol. quibusdam Adrian. & Nicol. Romanor. Pontific. constare potest.

Quæ eadem, vel graviora metuenda sunt, nisi ad eas Regiones, quarum conversioni, pii aliqui ex Religiosis Ordinibus incumbunt, Antistes Catholicus, stabilem aliquem Clerum habens, mittatur. Nam & periculum est, ne hæretici ac Pseudo-Presbyteri, si ad hanc messem, ultrò non missis, non probatis, accedere fas sit, sese ad prædicationem, & Sacramentorum administrationem intrudant, & ægrè ferentes populi, sibi nullos sacros Principes præfici, adulterinos accipiant, vel eligant; & prout civilis administratio tulerit, voluntariæ militiæ pertæsi, vel extorres ab incolis facti, vel ab aliis expulsi, vel aliis accedentibus causis, evocati, plurimorum sæculorum operam perdant, & sine Sacerdote, nascentem Ecclesiam relinquant.

Alterum Nicolaum I. scriò conversioni istius gentis animum applicantem, Episcopos legatos misisse, qui Episcopalia munia, in novella Ecclesia obirent, quibus & ipsi adeò fructuose perfuncti sunt, ut omnes ibidem baptizati, Ecclesiæ plurimæ erectæ, Sacerdotes plures ordinati, ab iis fuerint; unum ex illis Formosum Portuensem Episcopum, obnixè Bulgarorum precibus postulatum, quatenus à Nicol. I. Archiepiscopus illis conce-

de-

Digitized by Google

deretur: directas ab iisdem ad Adrian. II. preces, ut vel Marinum, sibi quam maximè probatum Diaconum, Archiepiscopum remitteret, aut aliquem ex Cardinalibus, suæ Ecclesiæ spectabilem virum, tantæ dignitati non imparem, Bulgaris eligendum dirigeret, electumque postea ad Pontificatus apicem sublimaret: missum à Rom. Pontifice, Silvestrum quemdam, à Bulgaris eligendum sed moram non patientes Bulgaros, urgentibus Græcis cessisse, & ab eis, Archiepiscopum ac Sacerdotes, nostris ejectis, recepisse, non sine aliqua, Grimaldo Episcopo, à Rom. Pontifice, anteà misso, illatâ infamiâ, eò quòd Romam ditissimus remeasset, quasi nimis liberaliter Græcis locum cessisset, & onustus spoliis, de repetenda domo, lubentiùs cogitasset Quæ omnia fusè Anastas. Bibliothec. in vit. Nicol. I. & Adrian. II.

Ex qua tota historiæ narratione, cùm nihil adversarius, in sui gratiam colligere possit; nos è contra, hæc attenta meditatione, circa cujuslibet gentis conversionem, ad fidem Christi, pro Episcoporum & Pastorum, etiam in Ecclesiarum exortu, atque incunabulis, necessitate, adversus chymæricas Ordinum, minimè Pastoralium, in fundandis Ecclesiis, à Christo institutorum fictiones expendi volumus: summis Pontificibus, nec ad breve tempus, Ecclesiam Bulgarorum, sine Episcopo esse placuisse: Episcopos itaque missos, qui fidem Catholicam docerent doctosque baptizarent, constitutæ Ecclesiæ mox dandum Episcopum, ab aliis judicatum: contendentibus autem Græcis, ac Latinis, quorumnam eæ partes essent, illos obtinuisse, qui jure inferiores, celeritate priores, in Episcopi creatione fuissent: moram omnem, ubi de Episcopo ageretur, ingratam fuisse; illos quoque voluntarios, minimèque stratarios verbi Dei præcones, occurrentibus difficultatibus deterritos, à proposito facilius excidere posse, & infectum negotium citiùs dimittere, quàm stratarios pastores: absit autem, ut credam, spirituales istos viros, ad infidelium regiones, tanquam prædam, vel nundinas concurrere: vel spelucri temporalis cessante, de priori fervore aliquid remissuros, sed facilior ratio negotiationis instituendæ, & commer-

Digitized by Google

cii temporalis instituendi, iis occurrit, quàm pastoribus; quibus mutuorum negotiorum, inter absentes procuratio, non adeò ad manum est.

CAPUT LI.

De Conversione Suecorum, Gothorum, Norvegorum.

SEd nimium forsan, à suscepta narratione defleximus, ab orbita redeamus ad viam. Sicut in Methodii nomine peccatum est, dum gentis Bulgarorum conversionis, auctor meminit, ita & ipsum in conversione Suecorum referenda, in Augerii nomine, hallucinari oportuit: primùm enim Biornum, Gothorum, & Suenonum, aliàs Suecorum, seu Suedorum Regem, à Carolo Magn. petiisse Sacerdotes, qui se & subditos suos, de Religione docerent, Carolum verò Herbertum misisse, qui Lincopiæ Ecclesiam ædificarit, ac collegerit, docent Helmold. in Chron. & Lupold. de Zelo Christianæ religion. eundem verò Regem, sibi plures doctos viros mitti, rogasse, ejusque legatos, Carolo mortuo, ad Ludovicum Pium accessisse, sanctumque Ausgarium, Monachum Corbejensem misisse, qui paul. post, Hammaburgensis Archiepiscopus creatus, Suenonibus, Danisque præfuit, & eorum primus Apostolus habitus est, Præter citatos testatur Krantz. lib. 1 Metrop. cap. 19. & 20. eum verò in Suedia parùm moratum, ex Chron. Helmold. cap. 5 & Adam. Canonici Brem. lib. 1. hist. cap. 16. & 17. deducitur.

Sed cùm in Idololatriam, ipsi populi relapsi essent, refert idem Adam. ejusd. lib. cap. 47. & seqq sanctum Unni, qui ex Capellano Ledradi, Bremensis Chori præpositi, Hamburgensis Episcopus factus fuerat, eosdem simul cum Danis, ad fidem Catholicam revocasse, quem refert Krantz. Metrop. cap. 6. lib. 3. *Ordinatis in Danorum Regno* (quod Suecos etiam suo ambitu amplectebatur) *per singulas Ecclesias Episcopis, vel Sacerdotibus, multitu-*

titudinem credentium, Haraldo, Regis filio, ad tutelam commendasse. Odingarum tandem, qui Adaldagi nomen, in Baptismo accepit, testimonio cit. Adam. lib. 2. cap. 26. docemur in Suedia, Selandscan, & Fionia concionantem, multos ad Christi fidem convertisse, Rupensique Episcopatu, quem dotaverat, à Labentio Hamburgensi Archiepiscopo, fuisse præpositum.

Denique annitente Olaph, in Suedia Rege, in Occidentali Gothiæ civitate Scarana, à Wuano Archiepiscopo Trugot, Episcopum ordinatum, qui, ut *strenuè legationem suam perfecit in gentibus, duos nobiles populos Gothorum, suo labore, Christo lucratus est.* Nullus in hac tota narratione, Augerio locus, nullus Ordinibus illis opitulatoribus, qui præter Episcopos & Parochos, ad Ecclesiarum fundationem mittantur; immò Episcopis, in Gentis Suecicæ, & Gothicæ conversione, integra sua laus servatur.

Eaque non minimi momenti, ex hac narratione, docemur: I. Presbyterorum ad Suecos & Danos primam missionem, nec tantæ utilitatis exstitisse, quantæ postea Episcopi fuit. Alterum, nec Apostoli istius gentis, nomen tributum Herberto, qui Ausgarium in Evangelii prædicatione præcesserat, sed Ausgario, præsertim ubi toti isti populo Archiepiscopus datus est. III. Ipsi, & successoribus ejus, curam convertendæ totius gentis, cum Archiepiscopali dignitate commissam fuisse. IV. Longè tamen dissitam à populis istis, Archiepiscoporum, in urbe Hammaburgensi habitationem, effeciisse, ut facilè in Ethnicismum à sua conversione reciderent. V. Huic malo posteà provisum, plurium Episcopalium sedium, ac Parochialium Ecclesiarum, in ipso regno erectione, ac fundatione, ob eamdemque rationem, ab Adrian. IV. postea statutum, ut Lundensis Archiepiscopus, primatum gereret super regnum Sueciæ, & Metropolitanum in eo ordinaret, quod ab Innoc. III. lib. 1. epist. 41. confirmatum, *Quia*, inquit, *de hujus sedis Archiepiscopo, tantò frequentius, & utilius illi terræ, quæ ad salutem fidelium pertinent, ministrabit, quantò necessitatem eorum, atque defectum, è vicino plenius poterit intueri: pal-*

lium

Digitized by Google

lium enim anteceſſori tuo Hadrianus tribuit, ut Archiepiſcopatum in Regno Sueciæ, quàm citiùs opportunitas occurrerit, ordinaret, & pallium noſtrâ ei vice conferret Quæ omnia, nullatenus adverſarii commentis conſentiunt.

CAPUT LII.

De Converſione Tartarorum.

JAm ferè ad finem pervenimus, propter quem, præcedentia iſta exempla, inordinatè, nullâ habitâ ratione temporum, vel Regionum, imprudenter, contra ſcopum proferentis, falſò, contra veritatem hiſtoriæ, à ſocio illo, prolata ſunt. Subdit autem ipſe, *Dominici, Franciſcique nepotes, & imitatores Tartari, Joannem Cabeldum Franciſcanum, Vincentium Duvallum Dominicanum America & Perruvium, Franciſcum Xaverium Japonia, Mathæum Riccium Sina, Gallos Ignatii alumnos Canadanſes ſolitudines, gentes aliæ alios, per ſæcula, ſuos Apoſtolos, ab Apoſtolicis viris, in formam Diſcipulorum miſſos, viderunt & exceperunt*: quæ omnia diſcutienda ſunt.

Ad Tartaros, lego, ex ſanctiſſimis familiis Religioſorum, à ſummis Pontificibus Innoc. IV. primùm, ann. 1245. tum à Benedict. X. an. 1341. aliquos miſſos fuiſſe, qui Evangelium ipſis prædicarent, ab Innoc. quidem, quatuor ex Dominicanorum Ordine, Anſelmum, Alexandrum, Simonem, Albertum; ex Franciſcanorum familia duos, Joannem de Plano Carpini, & Benedictum Oratores acceſſiſſe, & apud Magnum quemdam Tartarorum Ducem, Bajothuoi nominatum, per aliquod tempus commoratos fuiſſe, donec literas ad Papam, à quo tanquam Nuntii venerant, referrent, inſolentiâ barbaricâ tumidas, teſtantur S. Antonin. 3. part. hiſtor. tit. 19 cap. 19. pluribus paragr. ex ſpeculo Vincent. Bellovac. lib. 13. cap. 91. eos verò aliquos ad fidem convertiſſe, minimè lego. Cùm tamen inter redeundum plurimùm temporis inſumpſiſſe, referantur, quoſdam ibid. ad fidem adduxiſſe, probabile exiſtimo: ſed neſcio unde Hier. Platus, lib. 2. de bono ſtat. Relig. cap. 30. ſumpſe-

rit,

Digitized by Google

rit, quòd cùm eo tempore, istorum prædicatione *magnus hominum numerus, Evangelium admisisset, paulo post multò plures illuc operarii destinati fuerint, Monasteria multa instituta, denique res Christiana feliciter administrata sit.*

Nec conjicere possum, unde Bzov. ad Ann. Christi 1245. illud etiam expresserit, nimirum prædictum Anselmum ex Ordine Prædicatorum, cùm non contemnendam operam, in docendis Tartaris posuisset, in intima Persidis penetrantem, & legatione pro Christo defungentem, cum duobus sociis istis, Martyrio fuisse coronatum. Cùm è contra referat S. Anton. cap. cit. par. 4. & cap. 8. par. 2. Anselmum istum ad Papam rediisse, literásque sibi à Tartaro redditas, retulisse, & cap. 5. testetur, eundem ad Magnum Chaam Imperatorem, accedere noluisse: occasionem illis fortè dedit, conversio Magni Cham, Regis Tartarorum, quæ brevi subsecuta, ac D. Ludovico in Insula Cypri commoranti, per ipsius Legatos narrata, scribitur à S. Vincent. lib. 31. cap. 90. & Anton. eod. tit. cap. 8. par. 21. quibus consentiunt Jonvillæus in vit. S. Ludov. & Æmil. in ejusd. Regis rebus gestis; sed hanc conversionem Oratores prædictos non promovisse, qui scilicet ad Magnum Cham Tartarorum, nec pervenerint, nec mitti voluerint: sed neque aliorum concionatorum, ex iisdem Ordinibus missorum operâ, procuratam fuisse, quamvis missos ex utroque Ordine quosdam, à Papa, quorum primus esset Joann. quidam, qui ad Imperatorem Tartarorum pervenerit, memoret idem S. Anton. cap. 8. par. 20. demonstrant verba ista Conestabularii Armeniæ, quæ de conversione Cham, Regis Tartarorum rescribens, literis suis inseruit, apud eundem Anton. par. 21. *Et quia peccatis nostris exigentibus, non habebat Christus, qui nomen suum prædicet in illis Regionibus, ipsemet profe ipso prædicavit, & prædicat sanctissimis suis virtutibus, ita quòd gentes illarum Regionum nunc credunt in Christum.*

Quin etiam dicto par. 20. S. Anton. nullas à Religiosis viris, conciones de fide, habitas, nullas Ecclesias erectas, refert, sed ab iis solùm renuntiatum, scribit, spem con-

Digitized by Google

conversionis ejusd. Imperat. ipsis aliquam ex eo affulsisse, quòd Clericos Christianos apud se, Imperatorem Tartarorum habere, eosque suis impensis alere, inaudivissent, ut potiùs ex hac narratione, Clericorum eorum operâ, quàm quorumcunque aliorum, Christianâ fide imbutum, suspicari liceat, si tamen verè conversum fuisse liquet: subdit siquidem, à S. Ludovico, & Odone Cardinali, *fratrem Andræam, cum duobus aliis fratribus, Ordinis Prædicatorum, & duobus Clericis, & duobus Servientibus, missos fuisse*: se autem non inveniisse, vel quid egerint, vel quando reversi fuerint.

Sed vel unica ista conjectura sufficit, quòd non multò post, Urbanus IV. 5. Calend. Febr. apud urbem veterem, & 4. non. ejusd. mens. Belæ Hungariæ Regi literas scripserit, quibus omni ratione dissuadere nititur, vinculum affinitatis, quod cum Tartaris, Rex iste inire cogitabat: è contra verò suadet, ut ab eorum consortio, velut detestabili abhorreat: Alias item ad Archiepiscopos & Episcopos ejusdem Regni, quibus præcipit, ut à prophana ista affinitate, ipsum revocent.

Itaque probabilius est, quod scribit Matth. Michov. de duab. Sarmat. lib. 1. cap. 5. post discessum Legatorum Christianorum, Saracenorum Legatos superveniisse, suamque Religionem quam faciliorem, carni ac sanguini magis faventem, & bellicosis hominibus consentaneam, magis prætulisse, ipsisque primùm Imperatorem Tartarorum, tum cæteros assensisse: rem aliter narrat Haiton. Ord. Præmonstrat. lib. de Tartar. quòd nimirum Mango Can, Regis Armeniæ Aytoni petitioni assentiens, Christi fidem amplexus sit, & ab Episcopo, ejusdem Cancellario, baptizatus multaque cum eo hominum millia, ad fidem Christi perducta fuerunt: eademque fides, à quibusdam ipsius successoribus defensa, ab aliis impugnata fuerit.

Ut ut sit, certum, ut opinor, existimo, si quæ à Religiosis istis viris, aut ab aliis, in Tartarorum conversione, quibusdam excursionibus opera piè collocata fuerit, minùs eam fructuosam fuisse, nec diuturnam utilitatem invexisse, qualem vix ullam animadvertimus, nisi quam

Epis-

Digitized by Google

Episcoporum, & Parochorum institutio, secundum Christi voluntatem facta solidarit.

CAPUT LIII.

De Conversione Americæ & Peruvij.

NEque fideliùs aut prudentiùs, recentior subdit, Americam & Perruvium, vidisse & excepisse ad conversionem, missos ab Apostolicis viris, in formam 70. Discipulorum, Joannem Cabeldum Franciscan. & Vincentium Duvallium, Dominican. I. enim Peruana provincia, cùm sit pars Americæ, ab ea malè tanquam diversa statuitur. II. in nominibus eorum, quibus Americæ & Peruanæ ditionis conversio, tribuitur, ab ipso peccatur: nam Joannem Cabedo in America, Vincentium de valle-viridi, in Peruvii conversione, nominant Auctores, nemo Joannem Cabeldum, nemo Vincentium Duvallium. III. Nec fideliter omnino atque integrè, historiæ series servatur: nam nec illis solis, imò nec primis, Americæ conversio debetur, qui ab ipso referuntur. Primum Evangelii præconem, in iis provinciis, testatur Boz. Tom. 1. lib. 4. de sign. Eccl. sign. 6. cap. 2. fuisse Bucil quendam Catalanum, ex Ordine S. Bened. quem Papa Alexander, Sacerdotibus 12. præfecerit, suasque in iis Regionibus illi partes mandaverit: & quidem sapienter, ne si rectore Clerus careret, schismata & dissensiones exinde oriri, disciplina dissolvi posset.

Alii hunc secuti referuntur, etiam ante istos ab auctore laudatos, quos quidem aliquarum Diœceseon primos Episcopos, graves auctores referunt, non primos Evangelii, in America vel Peruvio, præcones. Si adversarius, Ecclesiam nondum planè erectam putat, donec Episcopus ipsi datus fuerit, primos illos suarum Diœceseon patronos, ab ipsis hoc titulo dici, gratulabimur, sed Apostolorum successores, non 70. Discipulorum dici debere, contendemus, qui Episcopali dignitate præcelluerint.

Sed iis, minoris momenti omissis, quod adversarii præcipuum intentum esse videtur, ut nimirum persuadeat, Epis-

Digitized by Google

Episcopos & Parochos à conversione gentium ablegandos, Religiosos viros, illis exclusis, tanquam expeditiores, & paratiores copias, sublegendos, hoc ex ista narratione subvertimus. Ex ea siquidem constat, ad ista usque propiora tempora servatum, in gentium conversione, ut recèns conversis populis, Episcopi ac Parochi destinarentur, non qui Spartam unam solùm tuerentur, sed qui, & sibi commissam gentem, Christianæ fidei jugo, integram subderent, & finitimas sibi adjungerent.

Discimus, ex Summario Indiar. Occidental. Italica lingua conscripto, auctore Petro Martyre, jam à tempore Alexandri VI. sub cujus Pontificatu, ab Americo Vespucio, ea pars novi orbis, quæ America dicta fuit, primùm detecta est, statim ab Alexandro VI. Episcopos quinque creatos fuisse, nempe in civitate S. Dominici Hispaniolæ, fratrem quemdam Ordinis S. Francis. In Castello dicto Conceptionis, Doctorem Petrum Suarez: in Insula Cuba, fratrem Ordinis S. Dominic. Toletanum: in civitate Darien, Joannem Cabedo Prædicatorem Ordinis S. Francis. in civitate S. Joann. Licentiatum Alphons. Mansum, seqq. temporibus, constat ex historia Indiar. Oblata Carolo V. Imp. lib. 3. narrationis, detectæ & devictæ Peruanæ Provinciæ, aliisque narrationibus hujusmodi Italicis, nec non ex hist. Gallic. Indiar. Occident. auctore Fumo, lib. 1. & ex sexcentis similibus, plures alios Episcopatus, statim initio navatæ, in convertenda aliqua Provincia operæ, feliciter in iis Regionibus erectos fuisse, adeò ut apud Aubert. Myræum, lib. 4. Polit. Eccles. cap. 4. & alios, jam à multo tempore, Archiepiscopatus quinque, Episcopatus illis subditos plures, in istis regionibus institutos, legere liceat.

Unicum adducam Bozium, cap. 3. lib. cit. quo loco enumerat plurima, non solùm Collegia & Monasteria, verùm etiam Cathedrales Ecclesias atque Episcopatus, quæ in istis Provinciis, vigeant; nos, quæ de Episcopatibus refert, ea præsertim referemus *in Mexicanis*, inquit, *partibus, Martinus Valentinus adjunctis sibi sociis multis, è familia S. Francisci, innumeros Christo populos acquisivit. Hinc ventum ad Insulas Philippinas, quibus anno* 1579. *datus*

Digitized by Google

tus est Episcopus primus, Dominicus Salazarius, ex Ordine S. Dominici, &c. *Martinus Hebrada Augustinianus, Hieronymus Marinus cum multis aliis, primi semina Christianæ veritatis, latè per ea loca sparserunt,* &c. *Insula S. Francisci haud longè abest, à tropico Cancri: habet Archiepiscopum, cui multi parent Episcopi minores. Et in Peru, quod est amplissimum regionis Americæ Regnum, primus est creatus Episcopus, Vincentius è Valle-viridi.* (Hunc Vincentium de Valle-viridi, relatio quædam Italica, à quodam, ut vocant, Capitaneo Hispano, anno 1534. scripta, de armis, parta Regione Peruana, ad Regem Attabalipa missum, à Gubernatore Pizarro, pro fœderibus faciendis, & fide Catholica proponenda testatur) eundem quoque adfuisse, cùm Cusco civitas caperetur, & cùm Insidias Jacobi Almagri fugeret, ab Indianis eodem quo infra modo occisum, assentitur.

Ex Ordine S. Dominici, qui postea in Insula Puna, dum Christi Doctrinam prædicaret, ob id, ab Indis est occisus. Cezco similiter, quæ est urbs Metropolis Peruanæ Provinciæ, attributus Episcopus, cui civitates innumeræ, & oppida obediunt, primus Joannes Solanus instituti Dominicani. Urbi Regum, Primus Episcopus est assignatus, Hieronymus Ayla ex Ordine S. Dominici, is est Archiepiscopus, cujus latè est in multos Episcopos jurisdictio. Urbibus etiam S. Francisci in Quito, & S. Michaëlis portus Veneris, delectus fuit primus Episcopus, Garzias Diaz, Ariaz, &c. *Trusillum paret hodie Episcopo Cuzci, regioni Poperam amplissimæ præpositus est Episcopus Joannes à Valle. Inventa est Brasilia, à Classe Lusitanica Anno* 1501. *duce Caprali, 8. Calend. May, in Christiano cultu, in iis partibus disseminando, plurimùm studii posuerunt Emanuel Nobrega, Leonardus Nunnes,* &c. *cuncti è Societate Jesu. Nicaragna est etiam Regio maxima, Indiarum Occidentalium cui suus præest Episcopus. Solventibus ex Insula S. Dominici, antequam perveniatur ad littora Imperii Mexicani, occurrit insula Campechæ, in qua nonnulli Religiosorum cœtus, & Episcopus etiam suus: Mexici civitas habet Archiepiscopum suum, cui multi parent Episcopi; constitutique Principes super omnem terram, sunt Ecclesiæ filii, ab Ecclesia nostra Archiepiscopus S. Dominici, cui sub-*

jiciuntur Episcopi sex; Cabanus, Bonguensis, Nondurensis, Panamensis, Carthaginensis, S. Martini; post hunc Archiepiscopus Mexicanus, cujus leges sequuntur Episcopi Septem Xalianus, Mothoacanus, Guaxacanus, Tlasculanus, Guatimalanus, Chiaxensis, Nicaragnanus: postremus sit usque ad hanc ætatem Archiepiscopus urbis Regum, cui parent Cusconiensis, Quintanensis, & Charcasensis. S. verò Franciscus, hoc est meritus, ut primus hujusmodi Indiarum fuerit Episcopus, ex Ordine ipsius: Hic fuit Joannes Cabedus, atque hi Principes ab Ecclesia constituti, per quos populi Deum verum nunc agnoscunt ac colunt.

Quam ob rem, & hunc morem, in ejus, quæ ultima ad fidem venit, mundi partis conversione, iterum servatum inculcavimus, ut non solùm in conservatione Christianæ fidei, verùm etiam in propagatione, atque ipsa origine, Episcopi, ac Parochi necessarii judicentur, nec tantum Episcopalis ordo, qui & Patrum & filiorum generator est, ad primam filiorum Ecclesiæ procreationem, tanquam minus utilis removeatur.

CAPUT LIV.

De Conversione Iaponiæ.

EAdem mens sanctissimi viri, Francisci Xaverii, cujus incredibilem constantiam, zelum singularem, humilitatem eximiam, ac moderationem, mirum in modum suspicimus, eadem, inquam, mens, circa Ecclesiastici regiminis, in Japonia formam servandam: imò & eadem illorum, qui proximè ipsum, in isto imperio, ad fidem deducendo, sive ex eadem Societate Jesu, sive ex aliis Ordinibus Religiosis, exceperunt: à conversione scilicet populorum, non amovendos Episcopos, tanquam inutiles, eique soli Religiosos viros applicandos; sed fructuosiùs divini verbi sementem faciendam esse, si quod horum pietas tentare audet, illorum comprobet auctoritas.

Non erat, inquit Turfell. vit. Xaver. cap. 18. aliàs lib. 2. cap. 2. *Ignarus Xaverius, inter Episcopos, & alios Curatores*

tores Ecclesiasticos, si utrique summo jure agant, nec de suo remittant jure, facilè controversias oriri, non minore damno, quàm offensione populorum. Omnium igitur primùm omnem certaminum materiam de medio removendam ratus, ut provideret bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, Episcopum Goanum, sibi omni ratione demereri statuit. Ergo Deo, & Archangelo Indiæ Præside (ut ejus institutum ferebat) invocatis, Episcopum adit, eique comiter simul ac reverenter salutato, demonstrat, se Pauli III. Pontif. Max. & Joann. III. Lusitani Regis missu, venisse in Indiam, ut Ethnicos ad Christi fidem adduceret, Neophytos ac Lusitanos, ad Christianam eruditos pietatem, cæterùm parere magis, quàm imperare assuetum, alieno arbitrio uti malle, quàm suo. Proinde se in Episcopi judicis potestate futurum, nihilque se facturum prorsus, nisi ex ipsius sententia & voluntate: tum Pontificiis, Regiisque literis probatis, Apostolicæ suæ legationis testibus, ad ejus pedes provolutus, ea omnia se illi tradere ait, ne secus uteretur, quàm Episcopo visum foret. Non facilè alias magis apparuit, quàm citò animos conciliet, vera humilitas. Alboquercius tantam talis viri demissionem modestiamque admiratus, summâ facilitate demittentis se, pari facilitate respondit, nam confestim jacentem comiter allevat, eidemque diploma ac literas reddit: gratum sibi futurum confirmans, si Apostolicus legatus, datâ auctoritate, ad Pontificis, Regisque uteretur arbitrium. Neque enim dubitandum, quin ita usurus esset, ut talium virorum de se judicia comprobaret. Ex eo tempore inter Episcopum, & Xaverium, obsequio observantiaque adeò certatum est, ut invicem sua consilia amicissimè communicarent.

Satis, ut opinor, facilè conjicitis, quos Curatores Ecclesiasticos, alios ab Episcopis, inter quos nisi de jure suo utrique remittant, dissidium futurum sit, intelligat Turselli. non illos scilicet esse Parochos, quibus benè utique cum Episcopis conveniet, si in Episcopi arbitrio ac potestate fuerint, à cujus potestate, nullo jure se immunes esse prætendunt: Curatores itaque illos, Tursellino esse Regulares, ut vocant, Privilegiatos, quorum cùm immunitates, Episcopis minùs gratiosæ esse soleant, tumultus ac turbas ciere possunt, nisi summa cum moderatio-

Digitized by Google

ratione utrimque agatur, à pacis ſtudioſis. Quam utique, cùm in novella Eccleſia, maximè neceſſariam ſciret ſanctiſſimus vir Xaverius, ne quid offendiculi, aut privilegia ſui Ordinis, aut legatio Apoſtolica, ſibi extra ordinem indulta, creare poſſent, maluit & privilegiis & dignitati cedere, quàm de ipſis contendere. Quo exemplo manifeſtè docuit, quo loco, in converſione gentium, Epiſcopum haberet, quo loco privilegiatos. Eamque ſuam eſſe mentem oſtendit, prædicationem fidei Chriſtianæ, proſperum ſucceſſum habere non poſſe, niſi Epiſcopi conſilio atque authoritate dirigatur.

Sublimem eſſe, ac divinam Epiſcopi poteſtatem, cui niſi à prædicatoribus deferatur, ejus apud populum honorem, futurum contemtui, auctoritatem ludibrio. Hoc conſilium, cum per ſe omni tempore neceſſarium ſit, tum maximè, cùm Eccleſiaſtica diſciplina, populorum mentibus, ſimul cum fide inſerenda eſt, cùm obedientia illis inculcanda; cùm veneratione religioſarum poteſtatum, ad obſequium fidei trahendi ſunt, cùm rudes & efferæ gentes, jugo ſubdendæ Dominico, ut miteſcant: cùm nondum compoſitis Eccleſiæ rebus, omnia Paſtorum munia privilegiatis communicantur, quorum aliqua compoſitis reſervantur: cùm regularis diſciplinæ, ob quam privilegia Ordinibus indulta ſunt, minor habetur ratio, quàm Paſtoralis officii, cui, deficientibus aliis Paſtoribus, cùm incumbunt, tunc maximè eos Epiſcopis addici neceſſum eſt, qui Paſtorum primus eſt ac ſummus.

Non ideo eo ſcrupulo laboravit, magnus ille Xaverius, quo ſe detineri aliqui fingunt, ne ſummæ poteſtati Rom. Pontif. injuriam faceret, dum privilegiorum, à Romana ſede indultorum, gratiæ ceſſit. Dum legati Apoſtolici faſces, Ordinario ſubmiſit, pacis cauſâ, & ſalutis publicæ, cujus & præcipua cura, & ſumma lex eſſe debet. Non Epiſcopum, in iis Chriſtianæ fidei initiis ut inutilem reprehendit, non expellendum curavit, non ſibi poſtponendum contendit, non expeditiores cenſuit Religioſorum acies, ad converſionem fidelium, ſi præter Epiſcopos, ad propagationem fidei, quod innuit recentior libera-

Digitized by Google

beræ ab omni jugo obedientiæ, & reverentiæ decurrerent, sed si Episcopo accederent, & simpliciùs ac sincerius, sua cum ipso consilia, magnâ animi demissione communicarent.

Quin etiam summi Pontif. ex ea narratione, quodnam judicium esset, innotescere potest, dum ad conversionem gentium, Presbyterum quidem, sed Episcopali potestate, imò Apostolica legatione donatum, mittendum censuit, unitatis Ecclesiasticæ tuendæ, & disciplinæ sanciendæ causâ: nequaquam sufficientem arbitratus, eorum Presbyterorum missionem, qui voluntariam tantùm habentes Jurisdictionem, fidelium componendis moribus, castigandis peccatis, disciplinæ statuendæ impares essent. Longum esset enarrare omnia, quæ ex vitæ Xaver. reliquâ descriptione, colliguntur, ex quibus tamen constat, quantum Episcopali auctoritati ipse detulerit, quantum eundem Episcopi cura, atque auctoritas, in convertendis infidelibus juverit. Discet etiam alius socius, Episcopum Goanum, approbante Xaverio, non à sua conditione alienum imò potiùs sibi hoc munus impositum putasse, ut de Japoniorum, Bungensium, Sinensium, finitimorum populorum conversione cogitaret, eamque omni, quâ posset cura, studioque procuraret, non ita uni suæ parœchiæ addictum se crederet, quin charitate alia quoque loca complecteretur.

CAPUT LV.

Exemplum S. Xaverii, secuti alii è Societat. Iesu.

AB hoc tam sancto, tamque religioso viro, formati Socii, qui in Japoniorum conversione, fidelem operam posuerunt, Episcopum nascenti Ecclesiæ eo tempore, quo persecutio in Christianos atrocissima parabatur, nec locus Jurisdictioni fori externi, per Officiales & Apparatores, liberè exercendæ, relinquebatur, expetierunt, & missum, tanquam angelum Dei, divinâ providentiâ

Digitized by Google

ordinatum, exceperunt, magnumque ex ejus adventu fructum, magnum solatium accepisse, arbitrati sunt.

Loquantur literæ annuæ Japonicæ, scriptæ à Collegio societ. Anno 1601. ad Patr. Claudium Aquaviv. ejusd. Societ. generalem; *mirificè gentis hujus pietatem auxit, præsentia Reverendissimi Episcopi, qui vitæ innocentiâ, & ceremoniis Pontificis, quas statis diebus, magna cum celebritate peregit, magnam Christianæ religioni, apud Tyrones nostros auctoritatem attulit.* Subdunt, quanto cum fructu, quanto cum fervore, plurima Japoniorum millia, Sacramentum Confirmationis, ejus operâ, acceperunt, quæ nos supra protulimus; adjungunt & illa, *magnam experitur Reverendissimus Episcopus difficultatem, ut Clerum certum stabilemque habeat, cum Christiani sint plerique novi, qui proceribus idololatris parere coguntur, & ipsi proceres, paternis plerumque possessionibus pellantur, adeò ut domicilia certa & fixa non habeant: quare & Episcopus, eam, quam postulat Pontificia dignitas, auctoritatem & imperium (quod nostri Jurisconsulti more suo coactivum appellant) in Clerum tenere non poterit.*

Audiantur iidem socii, in Historica relatione, de rebus à Societate gestis, Claudio Aquavivæ narrantes, quomodo Petrus Martines I. Japon. Episcopus *ab omnibus Christianis, cupidissimè expectatus,* ad portum Nazachanum veniens, à vice-provinciali, continuò visitatus fuerit, tum etiam fervente persecutione, à Christianis cum cruce, aliisque ceremoniis consuetis, ei obviam prodeuntibus, receptus, magnaque turba illum à navi usque ad Ecclesiam comitante, stipatus fuerit, quantumcunque iis indiciis deprehendi posse rem; quam Ethnicis arcanam esse volebant, dubitarent, & exinde persecutionis augmentum conjicere possent.

Iidem cap. 1. relat. de morte 26. crucifixorum, de ejusdem adventu, ita loquuntur, *Verùm Pater Cælestis benignus omnium, qui ob nomen suum affliguntur, protector, prospiciens impendentis persecutionis initia, divinâ providentiâ suâ, quâ suaviter omnia disponit, constituit, ut sub illud tempus Japonius Episcopus, Maacum se conferret, ut præsentia sua solaretur illam Ecclesiam, & sacræ Confirmationis*

Sacra-

Digitized by Google

Sacramento, adversus omnes hostiles incursus communiret. Ac profecto novum quoddam robur, ac vivus fidei ardor, in Christianorum pectoribus, sensibiliter postea apparuit, ut ex historiæ decursu liquebit. Talisque ac tanta fuit Christianorum in dicto Sacramento suscipiendo religio, ut nec interdiu nec noctu, bono illi Prælato quietem indulserint. Exinde verò natam persecutionem augurantur, Franciscus autem Pacius ex ead. Societ. Claudio Aquavivæ rescribit, eodem die, quo Reverendissimus Aloysius Episcopus, Petri Martines successor, in Japoniam accessit, *divinâ providentiâ factum, ut Taicosama tyrannus ægrotaret, & ideo persecutionis fervor remitteretur.*

Collige autem ex istis, prudens lector, propositiones istas, propositionibus Danielis à Jesu, quas in vindiciis suis, à Facult. Paris. damnatas, refutavit Doctissimus virorum Franc. Hallier, omninò contrarias. I. eo etiam tempore, quo sine tribunali, sine templo Cathedrali, sine throno, sine ullo Episcopali apparatu, oberrare cogatur Episcopus, convenientem eum, & Ecclesiæ magno solatio, & utilitati esse posse. Alteram etiam, ubi jurisdictio coactiva exerceri non possit, nihilominus admittendam. III. Nec timendum, ne exinde persecutio ingravescat. IV. Occulta esse Dei judicia, quibus commota persecutio, ex Episcopi adventu suborta, ad ejus accessum compescatur. V. ad Sacramenti Confirmationis administrationem, isto tempore, quo persecutio timetur, Episcopi præsentiam, summoperè exoptandam. VI. Ex illa susceptâ, non nimiam oriri confidentiam, sed robur, & invictam profitendæ fidei constantiam accedere. Hæc ante turbines, ex quorumdam factione, adversus Episcoporum necessitatem commotos, in Ecclesia Dei, Patrum Societatis Jesu, erat sententia, hic sensus. Unde admirandus exclamat Hallier, cum gemitu & dolore:

Quò vobis mentes rectæ, quæ stare solebant.

Vos, inquam, ex eadem Societ. Joannes Floyde, Edoarde Knote, Ludovice Celloti, compello, unde vobis istud, in Episcoporum ordinem, recens odium emersit?

Digitized by Google

Reſpicite in veſtros majores, qui illum tanta reverentia complexi ſunt, & in ipſis, Eccleſiarum Indiæ Occidentalis naſcentium incunabulis, conſentaneum, ne dicam neceſſarium, judicarunt: eorum veſtigiis inſiſtite; nec vos proprii Ordinis privatus amor, ab officio, ſententiaque patrum dimoveat: ut inauditam prioribus ſeculis Eccleſiæ formam fingatis, & ad libidinem veſtram, Eccleſiaſticum ſtatum, à Chriſto, ab Apoſtolicis viris, ad hæc uſque tempora decurrentem, refingatis.

Non dubito, inquit, quin ſi ſapere tandem vobis placeat, gratiſſima vobis futura ſint, eorum exempla, qui veſtram Societatem, ſuo zelo ac pietate illuſtrarunt, vobiſque præiverunt ad gloriam, ad normam & incitamentum virtutis. Ab his opinationum, morumque veſtrorum aberrationes, cùm didiceritis, aliorum pariter & monita & exempla minimè negligetis. Non vobis tunc temporis, illud etiam ex Japonia petitum exemplum, diſplicebit, quod ſocii veſtri, prædictæ hiſtoricæ relat. de morte 26. crucifixor. cap. 13. ſcriptum conſignarunt. *Degebat*, inquiunt, *ſub hoc tempus Reverendiſſimus Epiſcopus Nangaſaci, qui dum cum bona Fazamburi venia, in loco ſupplicii comparere non poſſet, per quemdam, omnibus dedita opera, nominatim Franciſcanis Patribus, ſuam impertivit, adjunctis verbis, amoris plenis, benedictionem. Cui vicisſim Pater Commiſſarius omnium nomine, magnas gratias referri juſſit, ſimul etiam deprecatus veniam, quòd ſuæ Reverendiſſimæ Dominationi, non perinde ac par fuerat, obſecuti fuiſſent.* Si quam illi beatiſſimi Martyres, adverſus Epiſcopum contumaciam fortè habuerant, ſanguine eluerunt, ut quod de Beato Cypr. dixit Aug. epiſt. 48. hoc de Sanctis iſtis viris, & nominatim de bono iſto Commiſſario Franciſcanorum, dicere liceat, *quod tanquam ſarmentum fructuoſiſſimum, ſi quid in eo fuerat emendandum, purgavit pater, falce paſſionis.*

Horum vos exemplo moneo, inquit piiſſimus Hallier, ut lachrymis præteritam inobedientiam, & Epiſcopalis dignitatis contemptum, eluatis, nec ex iis, quæ adverſus Epiſcopos ſcripſiſtis, commendationem, qualem recèns, ex libro bibliothecæ veſtræ Societatis Auctorum hau-

Digitized by Google

hausistis, quærere, sed potius pœnitendi votum concipere lubeat. Pœniteat, potestati divinitus institutæ, tam diu ex invidentia, vel ex superbia, vel ex utroque vitio, restitisse. Deinceps verò, sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ulla inflata cervice arrogantiæ, sine ulla contentione lividæ invidiæ, cum sancta humilitate, cum pace Catholica, cum Charitate Christiana, quod vobis hactenus clausum erat, agnoscite, quod incertum, credite, quod durum, admittite. Scilicet infelices esse solere, & steriles, in gentium Barbararum conversione, & fidei Catholicæ, apud hæreticos propagatione, vel tuitione, conatus, qui non cum Episcopi auspiciis fuerint: prophanos ac sacrilegos esse qui cum dignitatis Episcopalis contemptu, conjuncti sunt: abesse Dei benedictionem, ab iis laboribus, qui non fuerint secundum ejus institutionem.

CAPUT LVI.

Transitus ad Conversionem Sinensium, & Canadensium.

SAnè, si divinare liceat, inquit idem Doctor, unde sit, ut hactenus tentata potiùs, quàm promota, à Matthæo Riccio, viro omni laude digno, Sinarum conversio, & ab aliis vestræ Societatis, diligentibus operariis, in manus toties resumpta, imperfecta tamdiu hæserit, nec eos progressus habuerit, quos in cæteris nationibus, Christianæ fidei jugo subjiciendis, prioribus seculis mirati sumus. Unde Galli, Sancti Ignatii alumni, quos tu, Ludovice, laudas, ad Canadenses missi, vix quemquam ex Canadensibus, nisi fortè in tenera ætate, aliquem jamjam expiraturum, Ecclesiæ Catholicæ corpori, per Baptismum inseruerint, quemadmodum annuæ vestræ literæ referunt: Unde fit, ut Ecclesia Canadensis, cui à tam multo tempore ædificandæ operam datis, maximâ nostrorum hominum, huc appellentium multitudine numerosa, nullâ vel certè minimâ Cana-

Digitized by Google

denſium acceſſione, amplior facta, nullis hoſtibus expoſita, adhuc in cunis vagiat, non virilem operâ veſtrâ fortitudinem, non conſtantiam, non perpetuitatis ſpem ullam conſecuta ſit, niſi quia ſolius Epiſcopalis dignitatis tam proſperos habere ſucceſſus.

Languent ſine ipſa fidelium Chriſmate minimè conſignatorum, vota: diſciplina, quæ ſola corpus Eccleſiæ firmat, & ad virilem maturitatem perducit, ſine Epiſcopo marceſſit: Ordinatio, quæ perennitati Eccleſiæ conſulit, Epiſcopo ſublato, in iis Provinciis deficit: Delectus quoque Clericorum, & inſtitutio, qui morituris ſuccedant, niſi ab Epiſcopo commodè procurari non poteſt. An putatis, plebem ſine diſciplina multiplicandam, aut benè compoſitam atque ordinatam, in fide Chriſti Domini poſſe retineri, cùm nec modicæ familiæ deficiente rectore, legitimus ordo poſſit ſubſiſtere? an neſcitis, *tunicam corporis Chriſti, diſciplinam Eccleſiæ eſſe: qui extra diſciplinam eſt, alienum eſſe à corpore Chriſti?* Ut monet Cypria. ſeu quicumque eſt auctor tract. de 12. abuſion. inter ejus opera. An ignoratis, Eccleſiam nonniſi diſciplinâ, & imperii ſacri reverentiâ, coaleſcere, ac colligari? *Doctrinæ Judex, diſciplina eſt*, inquit Tertul. de præſcr. cap. 43. *Teſtimonia diſciplinæ, ad probationem veritatis accedunt*: addit idem cap. ſeq. ego verò & ad veritatis Evangelicæ cuſtodiam, diſciplinæ obſervantiam neceſſariam eſſe, ſubjungo. Nam ut ibid. docet idem auct. *ubi metus in Deum, ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio devota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia unita, & Dei omnia.*

Et quomodo diſciplina ſine Epiſcopo, ſeu rectore ſatagi, ſine eodem, unita & colligata manere poterit? Rectè mihi videtur in hanc rem monuiſſe Chryſoſt. hom. 17. de recipiendo Severic. *ſicut capiti corpus cohærere neceſſarium, ita Eccleſiam Sacerdoti, & Principi populorum: utque virgulta radicibus, & fontibus rivi; ita & filii Patri, & magiſtro diſcipuli.* Ridicula ſanè cogitatio, ſi quis in animum inducat ſuum, Chriſtianam religionem alicubi flo-

Digitized by Google

bi florere, & fructificare posse, quæ radicibus careat suis: Ecclesiam posse vigere, quæ nec disciplinæ habeat vindicem, nec concordiæ curatorem, nec unitatis auctorem. Sacrilega verò, & ipsi Christo contumeliosa persuasio, si quis Ecclesiam aliis, quàm quæ Christus instituit, fundamentis innixam, ad celsitutidinem ædificii erigendam, aut firmâ mole perstituram suspicatur, *nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam*, Psal. 126. *Neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* 1. Cor. 3. Humanus labor inutilis erit, in propaganda religione insumptus, nisi qui divinæ institutioni fuerit conformis, nec perfectam de hostibus Christiani nominis reportare victoriam possunt, nisi Episcopi Apostolorum successores: Cæteri, etsi æquè industrii, æque pii, æquè periti, illam non obtinebunt: *quia non sunt de semine hoc, per quod salus facta est in Israël*, 1. Machab. 5.

Buccinate ergo vel ad invidiam, concludit Hall. Religiosorum Ordinum, quorum apud nos, non intermoritura vivet gloria, in conversione infidelium assiduum studium, felicem industriam, indefessum laborem, zelum incredibilem: vobis illis prædicantibus & dilaudantibus, me socium lubens adjungam: sed hæc illustrium sanctorum præconia, æqua demum erunt, si nulla cum Episcopalis ordinis, vel Pastoralis, depressione conjungantur. Neque, vos, lectissimæ Regularium virorum copiæ, dehonestabit, si sub Episcoporum auspiciis, ac ductu, tanquam sub Christi vexillis, & imperiis, dixero vos honorificè, & ordinatè certasse, deque idololatria, & hæresibus, triumphasse: si ex vobis plurimos, assevero in Presbyterali gradu, jus præbuisse victoriis, quas in Episcopali glorioriores retulistis.

Ad fidem convertisse populos, quos postea in Ecclesiæ corpus, Episcopi facti, adunatis in fide, ac disciplina confirmandos; si addidero, vos in inferiori ordine positos, majorem laboribus vestris promeruisse gradum, qui Ecclesiæ stabilimentum esset, laborum vestrorum præmium, & dignitatis non solùm ornamentum, verùm etiam operæ promovendæ, idoneum instrumentum: si tan-

Digitized by Google

tandem, concessâ Presbyterorum, in hoc munere sese exercentium, Apostolici laboris gloriâ, illis tantum ex vobis Apostolicam successionem, & dignitatem tribuero, qui convertendarum gentium muneri, ex charitate susceptо, regendam curam Pontificalem conjunctam habuerint. Ita Doctor iste pro Hierarchico Episcopali ordine zelosissimus.

Atque hæc de Episcoporum necessitate, pro instituto nostro, satis. Pauca tamen addenda, de vita, moribus, & officio Episcoporum, cùm autem Petrus Blesensis, Archidiacon. Bathonienſ. quondam in Anglia, & Cancellarius Archiepiscopi Cantuarienſ. aureum ediderit Canonem Episcopalem, sive exiguum tractatum de institutione Episcopi, placuit eum, Commentarii loco, hîc inserere. Cùm prius quis ille Petrus Blesensis, paucis indicaverimus.

CAPUT LVII.

Canon Episcopalis Petri Blesensis ejus proëmium.

MAgnus Ecclesiasticæ disciplinæ relator, inquit Jac. Merl. Horst. S. T. L. B. M. in Pasc. Colon. Past. in suo opere de 7. Tub. Tub. 6. fol. 487. fuit Petrus Blesensis, nec zelo ejus par scientia defuit. Utrumque palam ejus scripta & opera testantur, quæ omnia aptissimis ubique Scripturæ S. sententiis & phrasibus ita condivit, ac resperſit, ut miram in eo Scripturarum scientiam, & memoriam facilè quivis agnoscat & suspiciat. *Fuit*, inquit Trithem. de Script. Eccles. *ingenio acutus & vehemens, qui vitia Principum & Prælatorum, non palpare, sed arguere noverat; propter eruditionem, & vitæ honestatem, apud Reges, & Principes, & Episcopos in pretio habitus.*

Sacerdotio abstinuit ex reverentia, protestatus identidem, se tanto officio indignum: Martyrii potiùs cupidus, oportunam ejus occasionem, sollicitus exspectabat. Sed affecta tandem ætate, Sacerdotio initiatum, liquet ex Epist.

Digitized by Google

pist. 139. ubi ad dignam tanti muneris susceptionem, Monachorum preces obnixè postulat. Episcopatus duos, nec non Archiepiscopatum Neapol. solemniter sibi in Sicilia delatum, constanter renuit, qua de re sic ipse, *Vocatus autem* (nempe ad Archiep. Neapol.) *non ivi, rogatus & tractus multipliciter, non consensi. Episcopatus quoque* Rossensis, *bis mihi oblatus est, oblatumque renui; & honorem ex onere metiens, motus ambitiosos, ad sobrios mediocritatis terminos limitavi.* Vide Epist. 72. & 132.

Verùm inter cæteras ejus virtutes, præcipuè emicuit, ingens zelus domus Dei, ardens, inquam, studium, omnes presertim sacros homines, & ipsos Præsules, ad virtutis culmen attrahendi, sive sermonibus, sive epistolis, ad cujusvis status & conditionis homines, mira pietate refertis. Ingenti zelo deesse non potuit parrisia, omnis assentationis nescia. Unde nullus ei carnis & sanguinis, nullus amicitiæ veteris & consuetudinis, nullus status secularis aut monastici, nullus auctoritatis Regiæ, aut Pontificiæ respectus obstitit, quin quemque sui officii, posito omni pudore ac metu, commonefaceret; & quæ censurâ egerent, acriter coargueret.

Hinc facilè colligi potest, quantam vitæ suæ innocentiam præstiterit, qui tanta scribendi, dicendique libertate, omnium noxas, mores, abusus perstringeret; Ecclesiasticis & Religiosis, imò Præsulibus norman formamque vivendi præscriberet. Floruit circa Ann. Dom. 1180. & ultra 1200. pervenisse videtur, ita Horst.

Hic igitur Petrus Blesensis in proëmio tractatus sui de *institutione Episcopi*, ita Præfatur Reverendis. Patri D. D. Joanni, Dei Gratia, Wigornienſi Episcopo. (Quidni, & nos, Reverendis. Patri, D. D. Joanni, Castorienſi Episcopo, Dei & Apostolicæ Sedis, Vicario Apostolico, cujus auctoritate, & jussu, libellus hic compilatus? Quamvis, ut ingenuè, & veraciter fatear, longè absumus, à tanto, talis viri, pietatis sensu, & humilitatis affectu.) Ita ergo incipit, & nos cum illo.

Petis instantius, Reverendissime Pater, ut de Episcopali officio aliquid tibi scribam, quod in hac novitate, ad solatium tibi sit, & ædificet ad salutem. Ego siquidem latitans,

Digitized by Google

titans in obſcuro, & ſub modio fumigans, lucernæ ſuper candelabrum poſitæ, tenebras meas compellor ingerere. Doctum indoctus docere præcipior, & ægrotus bene habenti remedium medicinale conficere; abundas vino & oleo ſpirituali, teque unctio docuit de omnibus, & tamen à me poſtulas unctionem. Ego autem ſervus ſanctitatis veſtræ, non habeo niſi modicum olei, quo ungar: imò paululum aceti, quo ſub diebus æſtivis, liceat mihi cum meſſoribus Booz Ruth 2. 14. buccellam panis intingere.

Illud verò tantillum, non recipit portiones, 1. Cor. 13. Charitas tamen nunquam excidit; & quantò, quæ ſua ſunt, manu largiore diſpenſat, tantò plenius creſcit, & ex impendio liberali, farina viduæ, & olei Lecythus exuberat. 3. Reg. 17. Manna quidem putreſcit, & vermibus ſcatet, ſi fuerit reſervatum: Exod. 16 20. Erogatum autem utiliter, fit panis cæleſtis, & refectio Angelorum. Scio, quòd gratia Dei obeſt, ſi non alii prodeſt. Qui autem Dei donum, in uſum, & utilitatem alienam communicat, plenius meretur habere, quod habet: nam dabitur ei, & abundabit. Qui autem è diverſo, talentum Domini abſcondit, quod videtur habere, auferetur ab eo. Matth. 13. 13.

Ego ſiquidem talentum non habeo, ſed minutum, quod me in Gazophylacium mittere oportet: ibit tamen in creditum, ex quo invenitur, qui illud in cauſam mutui recipiat, ſi fortè ex ſorte modica, uberior acceſſio uſuræ proveniat: faciam, quod poſſum; præſumet dilectio, quod non poſſum. Vena ingenii languentis animabitur deſiderio, ſtylumque jacentem eriget, accenſa charitate devotio. Nunquam ex parte mea, degenerabit ille ſocialis affectus, qui inter nos longi temporis excurſu coaluit. Illi acceſſit tua dignitas, non ſucceſſit, atque familiaritatis antiquæ vinculum, tua Cathredra non diſſolvit.

Si ambules ſuper pennas ventorum, ſi aſcendas in cœlos, vel deſcendas in abyſſos, mutationem ſtatus, affectio non agnoſcit. Jam fervet, jam ebullit animus ad ſcribendum. Jam Epiſtola præſens, quæ ab initio meticuloſa fuerat, animoſior ex amore, non minus imprudenter,

Digitized by Google

ter, quàm impudenter prodire appetit, ad palpebras populares; seque temeraria audientiæ vulgari exponit. Ipsa tamen securius lateret, in sinu conscientiæ meæ, & prudentius inter silentii cardines clauderetur. Amore igitur illectus, & tractus, quod sine fictione didici, sine invidia vestræ communico sanctitati.

Ille, in quo sunt omnes sapientiæ & scientiæ thesauri absconditi, ipse os meum, in beneplacitum gratiæ suæ, & in usum publicæ utilitatis aperiat, Spiritusque sanctus bonarum mentium institutor, per quem mihi velle adjacet, in me velle & perficere prosequatur, si autem stylus istius epistolæ delicatis auribus, sonare aliquid durius videatur, parce seni, (parce mihi) qui super senes intelligis, qui à primis moribus adolescentiæ, studuisti tempora prævenire meritis, & ætatis insufficientiam virtutibus compensare, nec verba ex operibus metiaris. Ita P. Blesens. in proœmio, ad Reverend. Joann. Episc. qui in seqq. ad ejus, & cæterorum Episcoporum institutionem, ideam optimi Præsulis delineabit.

CAPUT LVIII.

Ideam boni præsulis, variis documentis, & quasi lineamentis depingit, Petr. Blesens.

AUdisti, inquit, amantissime pater, de his, qui sedent super Cathedram Moysis, quæ dicunt, facite, quæ autem faciunt, nolite facere, Matth. 23. levius est facienda præscribere, quam præscripta implere. Nam & liber Prophetæ traditus ad devorandum, dulcescit in ore ipsius: amaricatur verò, ad interiora transmissus. Ezechi. 3. Sicut Apost. dicit: *Accepistis* ab eo, *quomodo vos oporteat ambulare, & placere Deo, per omnia, sic & ambuletis, ut abundetis magis.* 1. Thessal. 4.

Et ne longè exempla petere vos oporteat honestatis, vobis Episcopalis officii formam, vestri avunculi, Rothomagensis Archiepiscopi. (Illmi Philippi Rovenii, Archiepisc.

chiepisc. Philipp. prædecessoris vestri) doctrina præscribit, cujus vestigia, si velitis fideliter imitari, eritis ad mores compositus, liberalis, affabilis, mansuetus, in consiliis providus, in agendo strenuus, in jubendo discretus, in loquendo modestus, timidus in prosperitate, in adversitate securus, mitis inter discolos, cum his qui oderunt pacem pacificus, effusus in eleemosynis, in zelo temperans, in misericordia fervens, in rei familiaris dispensatione, nec anxius, nec supinus, circumspectus ad omnia, illorum quatuor animalium imitator, quæ ante & retro, & in circuitu habere oculos providentiæ describuntur. Apoc. 4. Constitutus es, venerabilis pater, inter filios Prophetarum, ascendisti in montem Garizim, Deut. 11. ut populo benedicas.

Igitur ficte existimet homo, ut ministrum Christi, & dispensatorem Mysteriorum Dei, hîc jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. 1. Cor. 4. Qualem te esse oporteat, veritas sub clausula recisiore describit: *Fidelis*, inquit, Matth. 24. *servus, quem Dominus constituit super familiam suam.* Fidelis es, si quæ sursum sunt, non quæ super terram, quæris. Col. 3. Non quæ tua sunt, sed quæ Jesu Christi, & in symbolum publicæ utilitatis conferas, quod tibi cælestis gratia prærogavit; fidelis es, si Deum diligis propter se, & proximum propter Deum. Infidelis verò es, si communem naturam contemnis in altero, & imaginem Dei propriam non agnoscis. Quære ergo, non quod tibi expediat, sed quod multis. Quære cum Apostolo, non datum, sed fructum, Phil. 4.

Interest gloriæ sanctitatis tuæ, superintendere populo tibi credito, ut Episcopi nomen interpreteris, Episcopali officio. Sapientibus & insipientibus debitor es, Rom. 1. ideo consilio sius agere te oportet. Sapientia in libro Prov. dicit. cap. 8. 12. *Ego Sapientia in consiliis habito, & eruditis interfum cogitationibus.* Utere consilio Sapientis: *Fac*, inquit, *omnia cum consilio, & non pœnitebis*, Eccl. 32. 24. & alibi: *Causam tuam tracta cum amico tuo, & secretum tuum extraneo, ne reveles.* Prov. 25. 9.

Si usus fueris consilio sapientum, non eris ad vindictam

Digitized by Google

tam vehemens, ad corrigendum severior, non immisericors ad parcendum, non præceps in sententiis, non in victu aut vestitu notabilis, non festinus ad promittendum, non ad reddendum tardus, non subitus in responsis, non avarus, aut prodigus in expensis.

Prius te ipsum doce, quàm alios doceas: charitas ordinata, incipit à se ipso. Non est sapiens, qui non est sapiens sibi. Bern. lib. 1. de consid. c. 4. Cumque alii de pectore tuo, quasi de fonte hauriant, tu prius bibe de fonte puteitui, sic deriventur fontes tui foràs, ut tui tamen immemor non existas. Maledictus, qui facit partem suam deteriorem. Qui autem sibi nequam est, cui bonus erit? Eccles. 14. In animæ negotio, & in acquirenda hæreditate cæleſti, nemo tibi germanior sit teipso. Egredere frequenter in agrum cum Isaac, ad meditandum, Gen. 24. & juxta sententiam Salom. Eccles. 1. 33. *Si concupiscis sapientiam, serva mandatum ejus, & tibi Dominus eam dabit.*

CAPUT LIX.

Monet, ut bonos sibi Consiliarios, & familiares adhibeat.

HAbeas tecum, quorum vitam verearis, & verba, qui te, etiam si velis, deviare non sinant. Refrænent præcipitem, confirment dubium, & excitent torpescentem. Insolentia magna est, non pro ratione, sed pro libidine agere, & bestiale est, appetitum consilio anteferre. Scriptum est, Psalm. 48. *homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Non tamen credas omni spiritui, sed prius proba, utrum ex Deo sit, 1. Joan. 4. ne fortè veterator ille Serpens, aliquid per malitiæ suæ instrumenta insibilet; cujus astutias facilè poteris deprehendere, ex modo suggestionis, ex facie & gestu, ex oblatione precum, & ex ipsa consilii qualitate. Et, ut omnino elidas, machinationes apostatæ angeli, sint quasi in vultu

Digitized by Google

conſcientiæ tuæ, timor Dei, ignis gehennæ, vitæ brevitas, incertiſſimus vitæ finis, & exſpectatio tremendi judicii.

Contra ſalutem, & præter ſalutem tuam, nihil facias, aut præcipias faciendum. Nam ſi collaterales tui, aut alii, qui tuæ familiaritatis auctoritate utuntur, offenderint, ſcis, quia in te culpa refundetur: Scis quia ratihabitio mandato comparatur. l. Serv. §. 1. ff. ad S. C. Trebell. Illudque cenſetur opus tuum, cui proprium, alio mediante impartiris aſſenſum. Eſt qui ſibi ſoli credit, quod peſſimum eſt, & hoc duntaxat reputat, quod obdurata adinventione, concepit. Verbum Sapientis eſt, Prov. 12. *Itinera inſipientium recta ſunt, in conſpectu eorum, ſed à Domino reprobantur.* Et idem Prov. 16. *Sunt viæ, quæ videntur homini rectæ, & noviſſima eorum ducunt ad profundum inferni.*

Omnia ergo cum conſilio, & modeſta maturitate diſponas. Si rem propoſueris arduam, prius tecum delibera, poſtea cum multis, quorum fidem probaveris: Et juxta Evangelicam Parab. Luc. 14. Prius ſedens computa ſumptus tuos, & cum Rege congreſſurus, recenſe copias tuas domi, ne incauta propoſiti gravioris aſſumptio, tibi in erubeſcentiam convertatur. Ubi autem conſilium familiare non ſufficit, eorum conſilium explora, licèt familiares tui non ſint, quos organa Spiritus Sancti eſſe non ambigis. Agis tamen melius, & longè ſecurius, ſi de ſola oratione confidis. Jam itaque non tuo, ſed Spiritu Dei vivas, quo aguntur hi, qui ſunt filii Dei. Credimus autem, quod & tu Spiritum Dei habeas.

Non de rapinis & exactionibus, aut obventionibus & actionibus judiciorum, ſed de Evangelio vivas, ſicut conſtituit Dominus 1. Cor. 9. Proventum Evangelii voco, quicquid pro Evangelizata fide, tuæ contulit Eccleſiæ liberalitatis antiquæ devotio. Alii multitudine gravi hominum, aut equorum, otioſè panem comedunt alienum, tu verò ambules cum paucis, & in omnium ædificationem, panem circumferas Angelorum. Semper ſis, quoad potes, in exercitio Scripturarum, ſemper cum domeſticis tuis conferas, de profectu virtutum.

Nam

Digitized by Google

Nam & Apost. Gal. 1. qui non ab homine, sed à Deo Evangelium didicit, illud tamen censuit, cum hominibus conferendum. Nihil contra conscientiam tuam facias. Et, ut verbo Apost. utar 2. Thess. 2. *à tuo sensu non movearis*, si rectus est, *neque per Epistolam, neque per Spiritum, neque per Sermonem.* Etiam si Spiritus potestatem habentis, super te veniat, locum tuum ne deseras, Eccli. 10. plus dico, sed cum Apostolo tamen Gal. 1. si angelus annuntiaverit aliud, quàm quod ad Christi gloriam spectat, anathema sit.

Nullum tempus feriatum habeas, sed semper aut orationi, aut lectioni, aut alii honestatis studio, te impendas. Sic illi, qui tecum sunt, in operibus tuis legant, qualiter eos conversari oporteat, & tu eos in justitia & sanctitate præcedas. Felix illa anima, quæ aliis forma est sanctitatis. Nunquam tibi deficiat, quod per te alteri proficiet: lucerna non minuitur, alteram accendendo, nec soli dispendium infert, contemplantium multitudo. Posuit te Dominus ad dandam scientiam salutis plebi ejus, reddere Domino populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum, & cum omni diligentia parare Domino, plebem perfectam. Quoniam dies mali sunt, oportet te de malitia temporis in usum animarum aliquid sequestrare, quod componat mores, regat affectus, dirigat actus, ipsumque ordinem tuum ordinet & honestet.

Adhuc replico, semper sis in exercitio Scripturarum, nullumque tempus te inveniat otiosum: otium siquidem sine litteris est, sicut dicit Hieron. Sen. Epist. 38. vivi hominis sepultura. Ab infantia sacras litteras didicisti, vide ne in vacuum gratiam Dei receperis. Ædifices alios non solùm verbo, sed opere & exemplo, quia regnum Dei, non est in sermone, sed in virtute, 1. Cor. 4. Ædifices subditos in vultu, aspectu, gestu, habitu, & incessu. Vivere, & non dare operam, ut rectè vivatur, vitam perdere est.

CAPUT LX.

Hortatur, ut Præsul omnia ad Dei gloriam referat, & propriæ gloriæ studium, metu divini judicii refrenet.

OMnia verò spiritualis exercitii lucra, referas ad illius gloriam, qui est Rex gloriæ. Fur enim & latro es, si tibi aliquid inde usurpare præsumas. Illuc, unde flumina exeunt, revertantur. Animalia apud Ezech. cap. 1. ibant, & revertebantur, quicquid gratiæ conferebat eis, ad Dominum referebant. Veritas in Evang. dicit Joan. 5. *gloriam ad invicem quæritis, & gloriam quæ à solo Deo est, non vultis.* Absit, ut tibi dicatur à Domino, *recepisti mercedem tuam*, Matth. 6. Sed potius tum Domino dicas, Joan. 7. *Si ego quæro gloriam meam, gloria mea nihil est.* Qui tumet inani gloria, omnino vacuus est, tam plenus nihilo, quàm superbiæ vento. Si ergo aliquid habeas, unde debeas gloriari, non in te, sed in Domino glorieris, & dicas: *Gratia Dei sum id, quod sum*, 1. Cor. 15.

In omnibus donis Dei, extollentiam fuge, memor verbi illius Dominici, Luc. 10. 18. *Vidi Sathanam de cælo cadentem. si gloriari oportet*, dicit Apost. *de meis infirmitatibus gloriabor.* 2. Cor. 12. Gloria enim Prælati est, si seipsum miserum judicat, & infirmum, insufficientem oneri, & honore indignum. Sunt qui honores virtutes reputant, suisque meritis asscribunt gradum eminentiæ, quem in ira Dei fortassis adepti sunt, honoris assumptio, multis tentatio facta est, & subversionis occasio. Igitur sic præsis, ut prosis. Væ his, qui præsident hominibus, nisi præsideat eis Deus. Semper tibi occultè, vel ad disciplinas, vel ad lachrymas, vel ad alia, quæ citra hominis testimonium, solus agere poteris, impone tibi jugum Dominicæ servitutis. Summum enim captivitatis genus est, si sine alicujus voti vinculo, evagetur ad arbitrium suum licentia libertatis.

In

In alto itaque sedens, non alta sapias, per omnia sentiens humiliter, humilibusque consentiens, non ambules in magnis, nec in mirabilibus super te: sed si de bono conscientiæ tuæ gloriaris, cum beato Job dicas Job 10.5. *Si justus fuero, non levabo caput. Non enim justificabitur in conspectu tuo Domine, omnis vivens.* Psal 142. Paulus, qui nihil sibi conscius erat, se tamen justificatum negabat. Phil. 3. *Ego*, inquit, *non arbitror me comprehendisse.* Et iterum. *Non quod*, inquit, *acceperim aut perfectus sim, sed eorum, quæ retro sunt, oblitus, ad anteriora me extendo.* Ipse non de Dominio, sed de ministerio gloriatur. *Ministri Christi sunt*, inquit, 2.Cor. 11. *& ego, ut minus sapiens dico, plus ego, in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.*

In his tibi gloriandi forma præfigitur, non in veste pretiosa, non in supellectili multa, non in congregatione pecuniæ, non in ædificiis aut culturis, non in dilatandis possessionibus, non in equorum multitudine, non in ornatu pompatili, non in frequentia clientelæ. Nam hæc omnia, gentes inquirunt. Sed sicut gloriatur Doctor gentium, Gal. 6. In cruce Domini nostri Jesu Christi, in infirmitatibus suis, in mortibus, in laboribus, in carceribus & in plagis. 2.Cor. 11. Dedit tibi Dominus scientiam sanctorum. Qui hanc scientiam apponit, apponit & dolorem, non gloriam, sicut scriptum est, Eccl. 1.18. *Qui apponit scientiam, apponit & dolorem*, de quo quidam pœnitens dicit Psal. 37. *Et dolor meus in conspectu tuo semper.* Non humanam gloriam, quæ est ventus urens, cœlestis gratiæ fluenta desiccans.

Absit à te gratia illa, quâ fias in oculis tuis glorioſior, & inde odioſior, in oculis Dei. Ira est, non gratia, cùm quis ponitur super ventum, nullas habens radices, in soliditate virtutum. Illius servituti addictus es, cui servire, regnare est; cujus servitutis intuitu, ille seruum servorum se reputat, qui tenet Ecclesiæ principatum; hoc ergo sentias in te ipso, quod in Christo Jesu, ut sicut exinanivit se, formam servi accipiens, Phil. 2.2. sic eorum qui tibi subjecti sunt, seruum te reputes humilem, & ab-

Digitized by Google

jectum; non sit tibi dedecori humilitas, quæ decuit Filium Dei. De prælatione potes habere gloriam, sed non apud Deum. Si autem gloriaris de humilitate, non eris insipiens: Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Matth. 10. non ergo te Dominum exhibeas, sed ministrum. Petrus Apost. dicit, 1. Petr. 5. *Non dominantes in Clero, sed forma facti gregis, in populo.* Unde gloriabitur miser homo, de immundo conceptus semine, genitus in peccato, & natus, brevi vivens tempore, fugiens velut umbra, & nunquam in eodem statu permanens.

Si ergo te aliquo elationis motu, aura favorabilis afflaverit, recole illud, quod dictum est Zedechiæ, Jer. 38. *Viri tui pacifici, seduxerunt te. Si te lactaverit peccator, non acquiescas*, Prov. 1. nec laus, vel potius fraus adulatoria te seducat. Pernitiosum est Prælato, libenter audire de se, supra id quod sentit in se: *Parco autem*, dicit Apost. 2. Cor. 12. *ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut audit aliquid ex me.* Porro ille non parcit sibi, nec suæ animæ miseretur, qui jactitat actus suos, volens æstimari, quod non est, & nesciri, quod est. Sit anima tua in manibus tuis semper, & Dominus in conspectu tuo, ut dicas, cùm cœperit adulator applaudere. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, sed non ut lex tua*, Psal. 118. Et illud. *Nolite me vocare Noëmi, sed Mara, quoniam amaritudine plena sum.* Ruth. 1. Sicut autem ventus dissipat nubes, sic tui vultus austeritas, ventum adulationis, & venenum detractionis exterminet. Interrumpe sermones malitiæ, & interfere aliquid de lege Dei, de canticis Sion, de judiciis cælestis iræ, de meritis Sanctorum, de torrente voluptatis æternæ. Est qui plus credit, alterius linguæ de proprio statu, quàm conscientiæ suæ.

Porro longè est à salute membrum hujusmodi stupidum, & infirmum, ægrotans, & se ægrotare non sentiens: eo ipso insanabile, quia insensibile. Quàm plures video, qui post acceptum cælestis gratiæ donum, effluunt in passiones desideriorum. Sicut & gentes, quæ ignorant Deum. Tu à longo tempore possedisti vas tuum in sanctificatione. Quod fecisti hactenus, feliciter consumma,

sic

Digitized by Google

fic agens quotidie, quasi semper incipias. Frequens est inter Episcopos aliquem invenire, qui primum suæ promotionis annum dedicet sanctitati: cumque in sua novitate sit factus agnus, inveteratus aliquot dierum fit rapacissimus lupus. De tali scriptum est Isa. 65. *Ante messem totus efflorvit, & immatura perfectio germinabit.* Et de eod. *si fructum fecerit, alii commedent illum.* In omni angustia, totam spem tuam jacta in Domino, quoniam nomen Domini plurima fortitudo. Non confidas in eis, qui solent dare verba, quorum amicitia quæstuaria est, & familiaritas sumptuosa. Intelligis, quæ dico, & recolis Machabæos, qui quoties Romanorum imploraverunt suffragium, eorum amicitia, Principibus & populis Israel, versa est in singultum.

Frequenti, quæso, scrutinio dispice, & attende, qualis ex dono Dei sis, & qualis sis ex teipso, & redde, quæ tua sunt, tibi, & quæ Dei, Deo. Recole quàm miserabilem, quàm infirmum te de ventre materno, natura produxerit. Nudus egressus es de utero matris tuæ, nudus natus es, ad laborem, non ad honorem. Si quid tibi dispensatio cælestis adjecit, semper timeas illud Psalmistæ: *Verum tamen propter dolos posuisti eis, dejecisti eos, dum allevarentur.* Psalm. 72. Quidam Episcopi, Regum munificentias, & eleëmosynas antiquorum abusivè *Baronias*, & *Regalia* vocant, & in occasione turpissimæ servitutis seipsos *Barones* appellant, vereor ne de illis queruletur Dominus, & dicat: Osee 8. *Ipsi regnaverunt, & non ex me: principes exstiterunt, & ego non cognovi.* Scias te assumpsisse Pastoris officium, non Baronis.

Certè Joseph in Ægypto patrem suum, & fratres instruxit, Gen. 46. ut dicerent Pharaoni, *viri Pastores sumus.* Maluit eos profiteri Pastoris officium, quàm Principis, aut Baronis. Christus dicit. *Ego sum pastor bonus*, Joan. 10. tu verò constitutus es ab eo, pastor aut villicus: villicatio tibi commissa est; & scias quia villicationis rationem reddere te oportet. Agricultura Dei tibi commissa est, opus est sarculo, ut agricolæ, baculo, ut Pastori. Sarculo, ut tanquam Prophetæ filius, *evel-*

Digitized by Google

las & destruas, ædifices & plantes. Joan. 1. 10. Baculo utere, lupos ab ovili coërcendo, oves debiles sustentando, erigendo lapsas, erroneas reducendo.

CAPUT LXI.

Episcopum à præpostera rerum secularium cura, ad spiritualium, & suipsius curam revocat.

SEmper autem inter fructus Episcopalis officii, æterna temporalibus præferantur. Et quoties te circa curam possessionum turbatrix activa solicitat, nunquam tamen in te quies contemplativa degeneret. Fac alium pro te molere, tu animarum saluti solerter intende. Vacuum à secularibus oportet esse animum, divinæ servitutis obsequio consecratum. Magnis addictus es, noli minimis occupari. Minima & vilia sunt, quæcunque ad sæculi quæstus, & non ad lucra pertinent animarum. *Secularia negotia si habueritis;* dicit Apost. 1. Cor. 6. *eos, qui contemptibiliores sunt inter vos, constituite ad judicandum.*

Si autem ad te intraverit, causa pauperis, causa pupilli & viduæ, judica in justitia pauperes, & argue in æquitate, pro mansuetis terræ. Fac judicium, injuriam patientibus, procura humilibus pacem, rebellibus obedientiam, Claustris quietem, ordinem Monasteriis, Clericis disciplinam. In judiciis nunquam ad rumusculos movearis, nec tibi obrepat furtiva suspicio. Dominus Judam, quem proditorem noverat, quia non convincitur, non condemnat, parcit mulieri in adulterio deprehensæ, eò quòd non appareat accusator, Joan. 8. 11. Non Sodomam subvertit, donec descendat & videat, utrum clamorem opere compleverint. Gen. 18. 21. Ego, inquit, sicut audio, sic judico, cujus audire est scire. Tu verò, non nisi ex assertione partium, & rationabili animi motu, censeas ad sententias procedendum.

Duo sanè sunt, quæ in judicio faciunt, cordis oculum caligare, ira & cupiditas: hæc duo remittenda puniunt,

Digitized by Google

niunt, & punienda remittunt. Ira siquidem justitiam Dei non operatur: Jac. 1. Cupiditas verò dum, quæ sua sunt, quærit, judicia Dei tremenda contemnit. Tu verò manus tuas excute, ab omni munere Isa. 33. & quod gratis accepisti, da gratis. Matth. 10. 8. Non sis de numero illorum, qui sequuntur retributionem, nec vendas conscientiæ tuæ libertatem. Nemo possit tibi dicere; ditavimus Abraham, Gen. 14. Sed cum Samuele fiducialiter dicas, 1. Reg. 12. *Loquimini coram Domino, & Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim aut equum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus acceperim, & contemnam illud hodie, vobisque restituam.* Si mentem tuam, munerum cupiditas titillaverit, ibi moriatur, ubi oritur nequissimum germen, & in suæ matris utero prævocetur.

Revolve in animo tuo, quantum ex honoris assumptione profeceris, & ex quotidiana collatione, spirituales virtutum metire profectus, utrum sis insolentior aut humilior, affabilior vel austerior, mansuetior aut gravior, liberalior aut avarior. Ex quadam enim obligatione, quæ tuo annexa est officio, exigitur à te, spiritualium frugum mensura propensior, ut sis devotior in oratione, in lectione studiosior, in castitate cautior, parcior in sobrietate, patientior in duris, in risu rarior, suavior in conversatione, gravior in vultu, & gestu, & habitu, moderatior in verbis, profusior in lachrymis, in charitate ferventior.

Redde conscientiæ tuæ de quotidianis actibus rationem, vide si diem & noctem sine cujuslibet peccati macula transegisti, si minus legisti, aut orasti, si in verbo, si in cibo, si in potu, si in somno temperantiæ modum excessisti, & scias non modicam esse temporis illius jacturam, quod in otio aut fabulis expendisti. Cæteri divites sunt in latibulis suis, sicut leænæ in fovea, ericius in antro; leo in spelunca. Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium servum, nec tibi, sed cunctis genitum te vivere credas, datum indoctis doctorem, consolatorem pauperum, solatium oppressorum, patrem orphanorum, defensorem viduarum, & omnibus debitorem.

Digitized by Google

Adhuc replico, ut ad eruditionem plurium, in sacra Scriptura te exerceas, ut quod tibi conversatio curialis quandoque præripuit, gratiâ magistrante recuperes. Otiositas inimica est animæ. Si non legis, si non studueris, dormitabit anima tua præ tædio, & hostes tui, animæ tuæ Sabbata deridebunt. Tu igitur, Præsul optime, animarum saluti omnia postpone. Tanto enim digniores sunt animæ corporibus, & universis, quæ humana ambitio concupiscit, quantum dignitate præeminet cælum, terræ. Et, ut verbo Apost. ad Timoth. 1. Tim. 1. scribentis, liceat mihi uti. *Nemo contemnat adolescentiam tuam, sed esto exemplum fidelibus verbo & conversatione.* Semina super omnes aquas, super bonos & malos, publicè & privatim.

Modis omnibus cave, ne sæcularibus te involvas. Nulla enim consonantia est Spiritus Dei, ad spiritum hujus mundi; permane in vocatione tua. *Mundus in maligno positus est*, 1. Joan. 5. noli æmulari in malignantibus, sed permane in vocatione tua, secundum mensuram regulæ, quâ mensus est tibi Deus. Hodie apud quosdam consistit in his duntaxat Episcopalis auctoritas, ut cretâ vel simo ager sationarius impinguetur, ut multiplicentur vivaria, & clausulæ ferarum, possessionumque termini dilatentur. In ædificandis palatiis, molendinis, & furnis. In augendis redditibus, tota Pontificum solicitudo ferversicit. Nunquid vox Salvatoris est ad Principem Apostolorum & Præsulum: *Si diligis me*, excole terras, ædifica domos altas? legimus eum dixisse ad Petrum Joan. 21. *Si amas me, pasce oves meas*, hæres es & vicarius Petri, pasce oves meas, Evangelizando fac opus Evangelistæ & Pastoris, non erubescas Evangelium, si erubescendum non credis, Pastoris officium.

Insta importunè, opportunè, ministerium tuum imple. Ministerium tuum plus oneris habet, quàm honoris. Si affectas honorem, mercenarius es: si onus amplecteris, potens est Dominus augere gratiam suam, ut lucra ex lucris, & ex profectibus profectus accedant. Quod si abhorreas onus, & insufficientem te reputes, sera querela est, priùs sedisse debueras, & æstimasse opus, sarcinu-

Digitized by Google

cinulam ponderasse, computasse virtutum sumptus, & dignitati meritum comparasse. Si te tamen deterreat labor plus solito, spes mercedis invitet; unusquisque enim secundùm suum laborem, mercedem accipiet. 1. Cor. 3. Si te Curialium, & maximè scacarii labyrinthis, immerseris, magna spiritualis exercitii dispendia patieris. Nemo potest duobus Dominis servire, Deo & Mammonæ, Matth. 6.

Non excidat à te, quomodo in tonsura capitis, quando electus es in sortem Domini, renuntiasti ignominiæ laicali. In die autem consecrationis tuæ, super abrenuntiatione sæcularium, emisisti vota, quæ distinxerunt labia tua. Alligatus es verbis oris tui, ubi ad consecrantis interrogationem, sine exceptione aliqua promisisti, quòd de cæterò, à terrenis negotiis, & à turpibus lucris, te alienares, tuamque solicitudinem divinis semper negotiis mancipares. Quid tibi ad fiscales redditus, ut vel horulâ brevi, curam posthabeas animarum? Nunquid Christus te ad Telonium elegit? Matthæus semel inde assumptus, denuo ad ipsum non rediit.

CAPUT LXII.

Excitat Episcopum ad zelum justitiæ, contra iniquas Principum leges, quibus præposterè puniuntur scelera, minora severiùs: graviora leniùs.

NOn sis ergo in turba eorum, qui sæcularia spiritualibus anteponunt, glutientes camelum, culicemque liquantes. Legimus in Ruffin. lib. 10. histor. cap. 2. & Greg. lib. 4. Epist. 75. Quòd in Diebus Constantini, quidam Episcopi, Principi adulantes, majorem reverentiam, Regalib. edictis, quàm Sanctionibus Evangelicis exhibebant. Sunt, & hodie, quibus commissa erat dispensatio verbi Dei, qui silent à bonis, canes muti, non valentes, immò non valentes latrare, nisi fortè Evangelicæ libertati obgrunniant, & oblatrent: conversi

Digitized by Google

versi enim sunt in arcum pravum, præbentes seipsos, arma iniquitatis peccato. Justè judicate, qui judicatis orbem: nam & ille, qui terribilis est super filios hominum, etiam justitias judicabit. Psal. 9. verbum Propheræ est Isa. 4. *Væ qui conditis leges iniquas, & justitiam justi, aufertis ab eo.*

Vis, ut aliqua lex tibi gratia exempli proponatur? pauperrimus aliquis inhorrescit nuditate & fame, videtque uxorem & familiam suam, inedià lethali tabescere, certè eis mors imminet, nisi rapiat, aut furetur; furatur itaque modicum aliquid, dubium vitæ discrimen eligens, ut certum periculum mortis, & famis angustia importabilis evitetur. Miserabilis homo, in furto deprehenditur, & damnatur ad mortem. Judices verò nec miseriam pauperis, nec urgentiam necessitatis, quæ ipsum ad furandum compulit, pensant. Nunquid justiores sunt Deo, qui in lege, quam dedit Moysi, pecuniarià mulctà, fures punire decrevit? Nunquid est æquior lex eorum, lege imperiali, quam vigilanti studio, & exactissima deliberatione sanci vit æquitas. Illa equidem inter furem manifestum, & non manifestum, circumspectè distinguit, & hunc in duplum, illum verò in quadruplum punit.

Porro sicut Jeremias cap. 9. deplorat, adulteris plena est terra, & passim conjugati atque soluti ad uxores hinniunt alienas; pauper rapiens alienam oviculam, suspenditur; adulter alienam uxorem rapiens patientissimè sustinetur. Hæc est detestabilis patientia quam Apost. 2. Cor. 11. Ironicè proponebat; *Libenter*, inquit, *sustinetis insipientes, cum sitis ipsi sapientes.* Audiant itaque nostri Reges, quid Rex sapientissimus Salomon in Proverb. suis dicat, cap. 8. *Non est grandis culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum: qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam; turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.*

Lex Mosaica Lev. 20. 10. & imperatoriæ sanctiones, Justin §. item, lex Jul. de adult. de publ. jud. Sueton. in Octavio c. 65. adulteros, & eos qui nefando coitu legem naturæ impugnant, morti addicunt. Propterea etiam Principibus datus est gladius, ad vindictam malefactorum:

Digitized by Google

rum: ipsi verò abominationes eorum dissimulant, aut per impunitatem potiùs fovent. Videntes furem, currunt cum eo, & portionem suam cum adulteris ponunt, & polluti labii participio peccant, & non corrigunt, ut eis conveniat, quod Apost. dicit, Rom. 13. *Propterea vos non corripitis, quia eadem sæpius agitis.*

Omnia illicita committuntur impunè, nullusque pro divinæ legis prævaricatione damnatur: immò laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur. Impunitas est equidem negligentiæ filia, contumaciæ mater, radix peccati, nutrix adulterii, & incestus, mortis æternæ præambula, præparatrix inferni, per impunitatem impiorum malitia convalescit, per hanc in suis stercoribus miseri computrescunt, atque peccatorum suorum bibentes urinam, gloriantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Quantum sit innocentiæ bonum, nesciunt, qui semper nocere noverunt, tantò liberius, quantò desperatius, totas in peccatis habenas concupiscentiæ laxant, toto desideriorum impetu, feruntur præcipites in contemptum, sicut scriptum est: Prov. 18. *Peccator, cùm venerit in profundum malorum, contemnet?*

Sancta Dei mandata, & terribilia ejus judicia, verba reputant, nec mortis æternæ supplicia timent, donec pernitioso nimis experimento cognoscant, per interminabiles cruciatus, quod credere aut timere noluerant. Nam cùm Christus in judicio, corpus illud exhibuerit, pro salute nostra susceptum, pro nostra absolutione damnatum, pro nostrorum vulnerum medicina, clavis & lancea perforatum, quid erit, quando contra immunditias nostras, livores & cicatrices, in accusationem & damnationem nostræ pertinaciæ, proferentur?

Illud cæleſtem exasperat iram, & plerisque discrimen æternæ damnationis accumulat, quod quidam Principes Sacerdotum, & Seniores populi, licèt non dictent judicia sanguinis, eadem tamen tractant, disputando & disceptando de illis, seque ideo immunes à culpa reputant, quòd mortis, aut truncationis membrorum judicium decernentes, à pronuntiatione duntaxat, & execu-

tione

cutione pœnalis sententiæ, se absentant. Sed quid hac simulatione pernitiosius est? nunquid discutere, & definire licitum est, quod pronuntiare non licet? Certè Saul de morte David, multiplici machinatione tractabat: & ut malitiam suam, sub umbra innocentiæ palliaret, dicebat: *Non sit manus mea in eum, sed sit super eum manus Philistinorum*, 1. Reg. 18.

Sanè quantum hæc dissimulatio, eum excusabat apud homines, tantum apud Deum, eundem damnabilius accusabat. Expressa similitudinis forma, in Consistorio illo, in quo Christus ad mortem damnatus est, Pharisæi & scribæ dicebant: *Nobis non licet interficere quemquam*, Joan. 18. Cúmque tamen clamarent dicentes, *crucifige*, sententiam in eo occisionis, cruentâ malignitate dictabant. Quem occidebant gladio linguæ, publicè protestabantur, sibi occidere non licere, eorumque iniquitas, eo ipso detestabilior erat, quia ut evaderent humanum judicium, eam simulatio innocentiæ occultabat.

Animabus Prælatus es, non corporibus, nihil Prælato commune est cum Pilato. Christi villicus es, & Vicarius Petri: nec te respondere oportet Cæsari, de commissa tibi jurisdictione, sed Christo. Quidam tamen per usurpatas sæculi administrationes, se vinculo curiali obnoxiant, & quasi renuntiaverint, suæ privilegio dignitatis, calculum durioris eventus exspectant. Nam pro causâ hujusmodi, hodie in Sicilia mancipati sunt Episcopi quidam, carceralibus vinculis: nec aliquod expectant ab Ecclesia Romana solatium, quibus improperatur à summo Pontifice, ut bibant de calice, quem sibi temerè miscuerunt.

Ad umbratilem hujus temporis justitiam, spectat illud, quod si Episcopus, aut Sacerdos occiditur, pœna tanti flagitii, sub dissimulatione transitur; pro interemptione verò Judæi, exactissima districtione rigor judiciarius exercetur. De tota illa multitudine, quæ in necem Beati Thomæ Archiepiscopi & primatis, manum consilii & auxilii præbuerunt, nec unus auriculam perdidit. Interemptâ verò uxore Aaron Judæi, in illius rei auctores, & consiliarios, exquisitis supplitiorum generibus, tota terra infremuit. Illud

Digitized by Google

Illud nihilominus absurdum, detestandumque dicitur, quòd effractâ Ecclesiarum immunitate, & dignitate sacri Ordinis conculcatâ, quidam Principes terræ, de sola immunitate cogitant ferarum, & homnibus gementibus, inter serviles angarias, cervi, capreoli, damæ & leporcs, privilegio summæ libertatis exultant. Pauperum segetes & hortos impunè depascunt, nec est qui eos arcere præsumat: lex enim funesta homines hodie, non solùm de captione ferarum, sed de simplici captionis suspicione condemnat.

Succiduntur membra, quæ in causam humanæ propagationis, natura creavit, effodiuntur oculi, pedes etiam, manusque truncantur, & homo, qui ad imaginem & similitudinem Dei creatus est, in sui Creatoris contumeliam, horribiliter deformatur; hanc equidem & alias odibiles Deo leges, Dominus Rex non instituit, sed institutas invenit, quæ sicut conditoribus versæ sunt in æternum supplicium, ita domino Regi cederent, in præmium salutis æternæ, si eas hortatu vestro, aut omnino delere studeret, aut ex parte aliqua temperaret: Deus equidem propter hominem bestias fecit. Et sicut legitis in Gen. cap. 1. 26. Voluit & præcepit Dominus, hominem piscibus maris, avibus cæli, & bestiis terræ, & cunctis animantibus dominari. Ut taceam de conjugiis, quæ per violentiam contrahuntur, de pupillorum custodiis, & tutelis, quas sola dictat ambitio, & de aliis enormitatibus innumeris, quas refrigescente charitate, multorum communis abusio introduxit.

CAPUT LXIII.

Hortatur Episcopum, ut magno zelo pugnet pro justitia, & libertate Eccl. etsi vita impendenda esset.

TUum saltem excitet zelum, quòd Ecclesiastica dignitate calcatâ, vineam Domini, quam plantavit dextera ejus, exterminavit aper de sylva. Misereatur Dominus

minus vineæ suæ, & exsurgat eò inspirante aliquis, ex filiis excussorum, qui avulsas propagines ejus, in sanguine suo studeat replantare. Positus es inter Principes populorum, inter patres conscriptos, quibus dati sunt gladii, in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus. Exsurge igitur homo Dei, ex adverso ascende, ad opus fortitudinis, te accingens: succurre plagæ Ecclesiæ: vende cum Apostolis tunicam Luc. 22. ut emas gladium, ignitum eloquium, & spiritum vehementem, arma potentia Deo ad convincendam omnem inobedientiam, ad captivandum omnem intellectum in obsequium Christi.

Vas electionis es, ut portes nomen Domini coram gentibus & Regibus. Evaginato linguæ gladio, in executionem Episcopalis justitiæ, juxta formam, quæ tuæ professioni annexa est, circum curre; vultus tuus sit super facientes mala. Clama iniquis, nolite iniquè agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu. Dominus Jeremiæ c. 26. & in Jeremia loquitur tibi, dicens. *Sta in atrio domus Domini, & loquere ad omnes, si fortè audiant, & pœniteant, & convertantur à via sua mala.* Et Jer. 3. Vade & clama sermones istos, *Revertere adversatrix Israël, dicit Dominus, & non avertam faciem meam à vobis. Convertimini filii Israël revertentes.* Duo sunt, justitia & libertas, pro quibus quisque fidelis, usque ad sanguinem stare debet.

Si ergo res exegerit, pro justitia & libertate Ecclesiæ, non dubites facultates tuas raptoribus, famam ludibrio, fortunam periculis, & caput hostilibus gladiis objectare. Delectabile spectaculum est Angelis, si sit homo pro justitia, opprobrium abundantibus & despectio superbis. Apostolus non verebatur vitam suam periculis exponere, pro subjectis. Et ego, inquit, *superimpendar pro animabus vestris.* 2. Cor. 12. Cùm Dei beneficiis, etiam Angeli se impares fateantur, quid ei retribuere potest pro omnibus, quæ tibi ejus gratia prærogavit? Pro te posuit ad mortem animam suam, quid ergo vereris pro eo ponere vitam brevem, fragilem & incertam? quam lex mortis in proximo exactura est, & nunc eam salubrius posset offerre

Digitized by Google

offerre devotio? utinam daret voluntas, quod necessitas extorquebit, & quod tunc solvetur ex debito, nunc offerretur ex voto, testimonio veritatis, Matt. 10. *qui vitam suam perdiderit, eam custodiet, & qui eam custodierit, perdet*, longè consilioſius est, perdere illam, ut custodias, quàm custodire ut perdas. Si ergo Christi Discipulus es, igneſcat zelus tuus, exſurgat Episcopalis auctoritas, nec inveniaris in magnis minimus, qui magnus in minimis exſtitisti. Si longa est manus Regis, longior debet esse manus Episcopi. Arripiat judicium manus tua.

Si dixeris, plaga magna est, & curari non potest. Scias quia major est divina misericordia, quàm humana miseria. Spera & confide in eo, qui posuit adjutorium super potentem, cui non erit impossibile omne verbum. Stabulario dictum est, Luc. 10. *Curam illius habe.* Curam habere, & non curare præciperis. Cura ergo, & labora: nam si ægrotum non curaveris, implesti tamen medici vices, si nihil ex contingentibus omisisti. Apost. 1. Cor. 15. non dicit, plus profui: sed, *plus omnibus laboravi.* Deus autem mercedem laborum sanctorum, non ex proventu laboris, sed ex labore metitur. Ideo Paulus 2. Cor. 11. non in plurima obventione laborum, sed in pluribus laboribus gloriatur.

Annuntia populo scelera eorum, si obduratæ frontis sunt, & tu è diverso, frontem tuam obdura, frontem duram fronte duriore obtundas, & dicat tibi Dominus, quod legitur quandoque dixisse Prophetæ Baruch. c. 8. *Dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum.* Sufficit, si cum Apost. Act. 20. securâ conscientiâ dicere merearis: *Contestor vos hodie, quia mundus sum à sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi, quò minùs annuntiarem vobis omne consilium Dei.* Sicut B. Hier. in c. 11. Matt. scribit. Maluit Joannes periclitari apud Regem, quàm divinæ legis silere justitiam. Helias contra Achab & Jezabel, & Joannes contra Herodem & Herodiadem missi sunt. Vide, si & tu à Deo missus es, ut magnates terræ arguas, Achab & Herode peiores. Constat enim Achab Judæum, & Herodem proselytum fuisse; damnabiliùs autem est in Christiano quodlibet crimen, quàm in proselyto,

Digitized by Google

vel Judæo. Sic ergo ſtudeas implere Pontificem, ut in Domino vivas, & in Domino moriaris. Verbum Apoſtoli eſt: Rom. 14. *Sive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.* Vita quidem Confeſſorem, cauſa Martyrem facit, ubi autem perſecutionis cauſa non imminet, pia in ſeipſum crudelitas, & deſiderium patiendi, vicem martyrii recompenſet.

CAPUT LXIV.

Tandem Octaviano, Rom. Eccl. Cardinali, dolenter queritur, paſſim indignos, ſive ſcientiam ſive ætatem ſpectes, per ſummam ambitionem in Epiſcopatus, aliaſq; dignitates irruere: obteſtaturque Octav. Apoſtolicæ ſedis legatum, ut ſua auctoritate interpoſita, ambitioſos, & ſymoniacos omnes, ab Eccleſiæ gubernaculis arceat.

O *Curas hominum, ô quantum eſt in rebus inane!* ô inanis gloria! ô ambitio cæca! ô terreni honoris inexplebilis fames! ô tinea cordium! animarum ſubverſio, cupiditas dignitatum, unde obrepſit hæc peſtis? unde invaluit hæc execranda præſumptio, ut indigni dignitates ambiant: & quantò minùs meruerint aſcendere ad honores, tantò importuniùs honoribus ſe importent? hodie per fas & nefas, hodie in animæ, corporiſque diſcrimine currunt infelices ad cathedram Paſtoralem, nec attendunt, quòd ſit eis Cathedra peſtilentiæ, dum ſibi & aliis ſunt cauſa ruinæ.

In gregibus & armentis, teſte Hier. Epiſt. ad Fabiol. & in c. 34. Iſ. Senec. Ep. 90. aries & taurus corpore, & animoſitate præſtantior alios antecedit: homo verò beſtiis omnibus beſtialior, tantò indiſcretiùs & audaciùs, melioribus ante-eſſe præſumit, quantò minùs, de virtutum titulis, aut conſcientiæ ſinceritate confidit. Utinam ſaperent, & intelligerent, ac noviſſima providerent;

Digitized by Google

rent; Deut. 32. nec populi iniquitates suis excessibus aggregarent. Verba sunt Eccles c. 7. *noli quærere ab homine ducatum, neque à Rege Cathredam honoris. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates populi.* Non te immittas in populum, nec alliges tibi peccata duplicia. Qui nihil didicit, aliorum doctor efficitur, & quasi æs sonans, aut cymbalum tinniens, usurpat prædicantis officium, cùm sit truncus inutilis, & idolum mutum. Apud veteres erat conditio sapientum inæstimabiliter venerabilis, hodieque prudentia, tanquam vilis & objecta calcatur: quadam verò abominabili mutatione, stultitia ponitur in sublimi.

Hoc est, quod Ecclesiastes deplorando conqueritur, c. 10. *vidi malum, quod sub sole est, stultum positum in dignitate sublimi, & sapientes sedere deorsum.* Sacræ Scripturæ prorsus expertes, onus importabile dignitatis usurpant: de aliena potiùs, quam de sua scientia præsumentes. Alia erat Apostoli sententia, discipulum Timotheum instruentis, 1. Tim. 1. & 2. 3. *tibi*, inquit, *commendo fili Timothee, regere Ecclesiam Dei, secundùm quod novi te scientiam habere sacrarum litterarum*: scientia siquidem spiritualis gladius est in manu potentis. Hæc est pera, in qua David tres limpidissimos lapides posuit, quibus Goliad prostravit, 1. Reg. 17. Hæc est asinæ mandibula, quæ Samsoni mille hostium stragem fecit. Jud. 15. Hic est, vomer ille aratorius, quo Samgar sexcentos Philistæos occidit. Jud. 3. Episcopus illiteratus, præco est mutus. Prælati est, erudire subjectos, reddere populum acceptabilem Deo, aperiendo mysteria Scripturarum: Petro enim & successoribus ejus præcipitur, ducere in altum, Luc. 5. id est, profundam S. Scripturæ intelligentiam, in capturam hominum aperire.

Verumtamen hodie sicut populus, sic Sacerdos: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Erubesce Sion, ait mare, Is. 23. Erubescat, doleatque Prælatus præesse populo, nec prodesse: docentis assumpsisse officium, & in doctrina populi mutum esse. Verbum Lamentatoris Prophetæ est, *Grex perditus factus est populus meus: Pastores eorum, seduxerunt eos, canes muti non valentes latrare*, Jerem. 50.

Digitized by Google

Lupos à gregibus suis arcere debuerant, sed ipsi lupi sunt in suos, Is. 56. nec de sua, suorumve salute curantes, se cum gregibus suis, in foveam mortis æternæ præcipitant.

Hodie in Episcopi dignitatem, adolescentuli promoventur, & molles, sic venditur Joseph Putiphari eunucho, Gen. 39. dum Christi magisterium, dum dispensationem Sacramentorum Dei, sibi damnabiliter usurpare præsumit infructuosus & mollis Episcopus. Porro dum ad eruditionem populi, mittit Dominus Jeremiam, quem sanctificaverat ex utero matris suæ, Propheta suum considerans imperfectum, tanquam adhuc elementarius, & rudis in formatione verborum, respondit, *A, à, à, Domine Deus, nescio loqui,* Jer. 1. Moyses etiam, dum à Domino destinatur, ad liberationem populi Israël de Ægypto, *obsecro*, inquit Exod. 4. *Domine, mitte, quem missurus es: ab heri & nudiustertius, ex quo locutus es ad servum tuum, impeditioris linguæ factus sum.*

Et quis hodie à Pontificali onere se excusat? quis hodie allegat insufficientiam suam? quis hodie invitus trahitur, aut reclamat? ubi hodie similis Ammonio invenitur? Quem cùm Clerus & populus in Episcopum elegissent, electioni nullatenus consentire volebat; prævalentibus illis & invitum trahentibus, aurem finistram, cunctis videntibus, sibi radicitus secuit, dicens: lex divina nullum, præcisa aure, Episcopari permittit: cumque Timotheus Patriarcha censeret, hunc Episcopatu dignum, etiamsi nare & auribus truncatus esset, dummodo scientia & virtutibus præemineret: illis rursum Ammonium rapientibus, & invitum trahentibus: Ammonius dixit: linguam meam, propter quam vobis placeo, nisi me citius dimittatis, abscindam, vide Pallad. Hist. Lauf. c. 12. Socrat. lib. 4. c. 18.

Dignitatis equidem appetitus, natione cælestis est: in cælo concepit, & peperit iniquitatem, Job. 15. Per hanc affectabat sedere in lateribus Aquilonis, Is. 14. qui nondum laboraverat, ut sederet, sed & isti nondum laboraverunt, ut sedeant, ut eminentiam Cathedræ Pastoralis ascendant, nondum propositum perfectionis aggressi sunt, nondum cum Petro rete, Matth. 4. cum Joanne sin-

donem,

Digitized by Google

donem, Marc. 14. cum Matthæo telonium, Matth. 9. cum Joseph pallium, Gen. 39. cum Evangelico homine, sepulturam Patris, cum muliere Samaritana hydriam, Matth. 8. id est, cupiditatem seculi reliquerunt, Joan. 4.

Peccato talium, quasi filiorum Heli, translata est hodie arca, 1. Reg. 3. sive gloria Domini de Israël in Azotum, ignem scilicet concupiscentiæ; ignis autem iste non inflammat, sed infumat, non illuminat, sed excæcat, sicut scriptum est, *superçecidit ignis, & non viderunt solem.* De Azoto transfertur in templum Dagon, id est tristitiæ vel desolationis, 1. Reg. 5. Isai. 57. nonne idolum tristitiæ & mœroris est Prælatus illiteratus & fatuus, qui in ira Dei, & populi desolatione eligitur, & quasi idolum erigitur, ut veniat, quod legitur, Matth. 24. *Cum videritis abominationem desolationis, stantem in loco sancto,* id est, in Ecclesia Dei, *tunc væ prægnantibus & nutrientibus:* illi enim qui spiritum salutis conceperant, exemplo talium suffocantur. Qui verò vitæ cæleſtis alimenta petebant, nullo verbi divini pabulo sustentantur. *Parvuli,* inquit Propheta, Thren 4. *petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.*

Tu igitur, amantissime Pater, qui à latere summi Pontificis missus es, ut legatione fungaris pro Christo, surge in exstirpationem execratissimæ pestis hujus: *Ecce constituit te Dominus super gentes & regna, ut evellas & destruas, ut disperdas & dissipes, & ædifices & plantes,* Jerem. 1. Accendatur & igneſcat zelus tuæ auctoritatis, adversus ambitionis malum, dissipa & evelle plantationes iniquas. Ædifica, & planta in Ecclesia Dei tales, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior & litteratura commendet, qui subjectos doceant, qui divites non palpent, pauperes non gravent, qui minas potentum non timeant, qui crimina corrigant, & marsupia non emungant: quorum sermo sit doctrina, quorum conversatio sit justitia, quorum auctoritas sit, non in habitu, non in fastu, sed in eruditione & defensione fidei: quorum vita sit publicè commendabilis: quorum memoria in benedictione.

Ad tuum, & collegæ tui ingressum, quæso lætetur

Digitized by Google

Ecclesia Christi, ut à simoniacis, & ambitiosis oppressa, sub vestra consolatione respiret. Congaudeant Clerici, & exultent populi, se hodie in vobis suscepisse cives Apostolorum, & domesticos Dei, portantes pacem, & illuminantes patriam, nobis & aliis, vitæ æternæ poscentes præmia, ut de labore, & de sollicitudine vestræ legationis, immarcessibiles justitiæ manipulos reportetis. Hæc ad verbum P. Blesen.

Neque tamen omnino extra propositum, ut putem erit, si hoc loco addantur, quæ habet Ludolph. de Saxon. Ord. Carthus. lib de vit Christ. part. 1. c. LXVIII. de ambitione, & quibusdam aliis Clericorum & Religiosorum defectibus.

CAPUT LXV.

Ambitiosi Clerici ac Religiosi, taxantur à Ludolpho de Saxonia.

ITa ergo, modestissimus doctor ille, loc. cit. de verbo ad verbum.

Circa præmissa, inquit, (nempe cap. LXVII. sui libri de vit. Christ. part. 1.) meditare, & considera quomodo Dominus verè, & non fictè, honorem regium fugit & declinavit: (Joan. cap. 6.) non sicut illi, qui ne apud homines vilescant, recusant orare, quod corde desiderant: sunt enim multi, & potissimum Religiosi, qui dignitates se non appetere simulant, sed cùm offeruntur, manibus & pedibus promptissimi occurrunt, & læti suscipiunt; imò & quandoque voluntariè se offerunt, sunt etiam ex his aliqui, qui in dignitatibus positi, fingunt se velle eas non habere, sed nihilominus per se, & mediatores procurant, & occasiones quærunt sollicitè, quòd possint in ipsis officiis remanere.

Non fuit hujusmodi simulatio & fictio in Domino, prout patet ex ejus facto. Misit enim Discipulos per mare, nec cum eis navem intravit, ne turbæ eum inter Discipulos quærerent, & deinde ipsis non advertentibus, solus in montem ascendit, & sic manus eorum evasit. Vide cum quanto studio & cautela fugit, & declinavit honorem.

Digitized by Google

rem. Exemplum dedit nobis, ut & nos ita faciamus. Non enim pro se, sed pro nobis fugit. Cognoscebat namque quantæ sit temeritatis, si ad honores aspiceremus. Honor enim de majoribus est laqueis, & gravioribus ponderibus ad subversionem animarum, sive sit honor prælationis, sive potentiæ, sive scientiæ, & similium. Vix enim fieri potest, quòd qui in honore delectatur, in periculo vel præcipitio non sit: vel quod est pejus, jam præcipitio collisus, ambitio enim est vitium pessimum, ac causa & radix multorum aliorum vitiorum.

Multos quippe hæc passio sic excæcat, ut etiam ea quæ multis aliis manifesta sunt, ipsi non videant, sicque in foveam primæ culpæ, & deinde gehennæ cadant. Et quid prodest eis, si mundum lucrentur universum: seipsos autem perdant, & detrimentum sui faciant? Si fortè blandiuntur sibi aliqui ambitiosi, sub specie lucri animarum, quasi sic melius possent intendere saluti aliorum: quibus S. Bernard. Epist. 42. ad Henric. Senon. Episc. respondet dicens: *Utinam quisquis sic intrat, si fieri posset, tam fideliter ministraret, quam fiducialiter se ingessit.* Ac difficilè fortassis & impossibile est, ut ex amara radice ambitionis, suavis fructus prodeat charitatis.

Sed heu communiter hodie honor, & non onus, gloria & non pœna attenditur, & honoris nomen virtutis tenetur. Unde Bern. epist. cit. 42. ad Henr. *Curritur à Clero passim ab omni ætate, & ordine: à doctis pariter & indoctis, ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis jam quisque victurus sit, cùm ad curas pervenerit. Multi non tanta fiducia, & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera. Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo, quarumlibet affectarent insulas dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia, seque viles æstimant & inglorios, qui quocumque eminentiori loco non fuerint sublimati.* Idem etiam Bern. in illud Evang. ecce nos reliquimus omnia, quasi subsannando alloquitur ambitiosum, sic dicens. *Age ergo quoniam durissimum judicium his qui præsunt, ficti & potentes potenter tormenta patientur: ascendit superbia tua semper: sequere Regem tuum, omne sublime videant oculi tui, festina*

Digitized by Google

multiplicare præbendas, in Archidiaconatum vola: deinde spira ad Episcopatum, nec ibi quidem requiem habiturus, quoniam sic itur ad astra. Quo progrederis miser? An ut ab altiori gradu sit casus grævior? neque enim sic paulatim decides, sed tanquam fulgur impetu vehementi, quasi alter Sathanas subito dejicieris. Unde & Hier. in comm. in c. 44. Ezech. *Lætamur ad ascensum: timeamus lapsum: non est tanti gaudii excelsa tenuisse, quanti terroris de excelsis cecidisse.*

Timeat ergo ambitiosus & se corrigat, ne apud homines exaltatus, & ad tempus falsis florens bonis, apud Deum humilietur, & in æternum veris pereat tormentis. Quanto enim majori honore sublimatus quis fuerit, tanto majoris virtutis debitor erit, aut majori supplicio subjacebit. Honores enim sunt, quasi quædam ligna ad augmentandum ignem in futura pœna. Unde Chrys. homil. 23. ad pop. Antioch. *honoris siquidem magnitudo, his, qui non dignè vivunt in honore, cumulus incipit esse malorum.* Et tunc ambitiosus nullam requiem habebit: sicut nec in præsenti habere voluit. Cor enim ambitiosi nunquam quiescit, sed vel honorem, quem non habet, appetit, vel eum quem habet, amittere metuit, & sic diabolus cor ejus semper movet & rotat, tanquam molendinum quod nunquam pausat.

Et nota circa hanc materiam, inquit, Ludolph. quòd præter simoniam, & alia mala, quæ frequenter non sine gravi scandalo committuntur, sunt adhuc quædam mala, quibus hodie multi, quasi non mala, sed licita essent, implicantur, de quibus, humillimus ille, Carthus. loc. cit. diffusius agit, & nos ex illo, cum venia lectoris, doctrinam illam solidam, & Ecclesiæ, corruptissimo hoc seculo necessariam, per seqq. capita proponemus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXVI.

I. Malum ambitionis, sollicitatio dignitatum.

I. IGitur ambitionis malum (secundùm Ludolph.) est, quia plerique, inquit, antequam vocentur, promoveri ad dignitates & curas Ecclesiasticas, per se, & per alios sollicitè quærunt, nec vocationem humiliter expectant, sed ambitiosè præveniunt. Hi malè accedunt testante Apost. Heb. 5. qui sic ait: *Nec quisquam sumit sibi honorem: sed qui vocatur à Domino, tanquam Aaron.* Quantumcunque enim sufficiens quis fuerit, & virtuosus: profectò non erit dignus, si non assumatur invitus. Nam cùm quis honoris primatum ambit, ex hoc solo efficitur indignus: quia indebitè præsumit. Unde Aug. lib. 19. de civit. cap. 19. *Status superior, sine quo res publica non regitur, etsi benè administretur, indecenter tamen appetitur.* Unde & Greg. *virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus verò vacuus, nec coactus accedat.* De his qui sese in patrimonium Christi ingerunt, sic dicit Bern. Serm. cit. in illud Evang. ecce nos, &c. *Audi querelas Domini,* (Oseæ 8 9.) *quid super hac temeritate loquatur. Ipsi, inquit, regnaverunt, & non ex me; principes exstiterunt, & ego non vocavi eos. Quid istud temeritatis, imò quid insaniæ? ubi timor Dei, ubi mortis memoria? ubi gehennæ metus, & terribilis exspectatio judicii?* Unde si aliquis ad primum locum in Ecclesia eligitur, tolerabile est licèt periculosum: quia secundum Bern. ibid. non omnes qui vocantur ad ministerium, eliguntur & ad regnum: sicut patet de Saule in regno, & de Juda, in Sacerdotio electis à Deo, sed si se ingerit, procurando se elegi, damnabile est, & pernitiosum omninò, nemo enim debet elegi, vel promoveri, seu præfici, nisi de quo Spiritus S. inspiraverit: alioquin ipsi Spiritui S. injuria fit. Vide praxin S. Ludovici Reg. Franc. in Electionibus ad dignitates, in Ludol. loc. cit.

Non solùm autem qui ad curas & dignitates se inge-

Digitized by Google

runt, in periculo sunt: sed etiam qui ad eas cum delectatione accedunt, vel in eis cum delectatione perseverant. Unde Greg. epist. 38. & in Pastor. *Unusquisque superbus rector, toties ad culpam apostasiæ dilabitur, quoties præesse hominibus delectatur, ac honoris sui singularitate lætatur. Unde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, nisi ex imitatione illius, qui despectis Angelorum societatibus dixit,* Esai. 14. *Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo. Unde magnopere curandum est, ut qui regendis hominibus præfertur, apud se penset, quia ad satisfaciendum districto judici, de sua tantummodo anima vix sufficit, & quot regendis subditis præsto est, reddendæ apud eum rationis tempore, ut ita dicam, tot solus animas habet. Nam cui esse nunc judicem libet, huic videre tum judicem non libet. Numerari enim culpæ nequeunt, quæ habendæ potestatis amore perpetrantur.* Hæc Greg. non dicit, qui Judex est: sed cui Judicem esse libet, animum videlicet, non gradum redarguens, & ad voluntatem, non ad factum, vituperationem referens. Cui autem videre tunc judicem non libet, de numero reproborum se esse non dubitet. Sicut enim electi tunc de visione judicis gaudebunt, quia appropinquat eorum redemptio, sic & reprobi de visione judicis dolebunt: quia appropinquat eorum perditio.

Unde & alio loco Evangelii, Dominus dicit. (Luc. 11.) *Væ*, id est, æterna damnatio, *vobis*, scilicet imminet, *qui diligitis primas Cathedras*: non dicit, qui habetis: sed qui diligitis: non arguens eos, qui his utuntur ex officii ordine, sed eos, qui hæc dum habent, amant, vel dum non habent, affectant, quod procedit ex ambitione. Væ quippe, in Scriptura S. notat æternam damnationem, & gehennæ supplicium: sed heu, hujus seculi peregrinationem, & præsens exilium. Unde & Chrys. *Hæc dictio Væ, semper in Scripturis dicitur de his, qui non possunt evadere à futuro supplicio.*

Solent autem ambitiosi se excusando, quandoque allegare illud Apostoli, 1. Tim. 3. & dicere, *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Quibus responderi potest, quod opus est bonum, sed desiderare est malum. Sic & dici potest, qui aurum furatur, bonam rem furatur, quia aurum,

Digitized by Google

aurum, bona res est, sed furari malum est. Unde Apost. ipsum opus, tanquam bonum & fructuosum, commendat, Christus verò ipsum desiderare, tanquam malum & vanum condemnat. Sic ergo patet ex Christi verbis, & cæteris Scripturis, quòd ambitiosus non est in statu gratiæ & salutis.

Patet hoc etiam ex quibusdam rationibus, & causis, quia in tot humanis defectibus, nullus relinquitur ambitioso locus excusationis, & per hoc grave ei imminet periculum perditionis. Multi enim per infirmitatem, vel ignorantiam, aut in toto, aut in parte de peccatis excusantur, sed ambitiosus cui præesse libet, per nullum horum defenditur. Non quidem per infirmitatem, quia ducatum gregis, libens suscepit & tenuit, & ideo tanquam aries in grege fortis præ cæteris esse debuit, nec per ignorantiam, quia magisterium aliorum assumere, & tenere sibi placuit, & ideo ignorare non debuit, qui magister esse voluit. Talem ergo scilicet ambitiosum, & cæcitatem ejus valde plangere debemus, quia hominem, ad Dei imaginem factum, ipsum Luciferum (ut supra per Greg. dicitur) imitari videmus.

Et quia ambitiosus in tanto versatur periculo, ideo qui scienter talem eligunt, vel promovent, aut in statu suo fovent & defendunt, graviter Deum offendunt, & se participes cum eo, in culpa faciunt. Unde timendum est consentientibus ambitioso, ne cadant cum eo, sicut consentientes Lucifero, ceciderunt cum illo. Ista maledicta pestis ambitionis, totam inficit religionem Christianitatis, & scandalum toti mundo parturit, non solum in Clericis, inquit Ludolph. sed in Religiosis. Væ ergo miseris ad quos Pharisæorum, quibus Dominus Væ imprecabatur, vitia transierunt, qui per breve, & incertum hujus vitæ suæ curriculum, quo peccata plangere debuerunt, ad dignitatem, & honorem aspirare vel pro his laborare, seu etiam certare, Dei timore postposito, non metuunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT LXVII.

II. Ambitionis malum, affectio carnalis.

II. MAlum ambitionis (secundùm Ludolph.) est, quia, inquit, sæpe carnales amici in beneficiorum collatione, aliis melioribus, & dignioribus præferuntur, quorum promotoribus Væ damnationis, Propheta Abac. cap. 2. comminatur dicens, *Væ qui ædificat Sion, in sanguinibus.* Multi enim qui pro amicorum carnalium promotione, & corpus & animam æternis exponunt incendiis, qui è converso pro eorum liberatione extremum digiti vix ad horam ponerent in tormentis. Multis quidem Prælatis, procurat Diabolus amicorum carnalium multitudinem, ut eorum in carnali affectione, & promotione, obscuret dignitatem & sanctitatem. Sæpe namque nepotes Prælatorum, & alii carnales amici, qui ante ipsorum Prælatorum promotionem non apparebant, post promotionem eorum apparere incipiunt, quasi una die, scilicet promotionis nati videantur. Sed super hoc potest Ecclesia dicere illud Eliaæ, *quis genuit mihi istos? ego sterilis, & non pariens, transmigrata & captiva, & istos quis enutrivit? ego destituta & sola, & isti ubi erant,* scilicet ante Prælati promotionem? unde ait quidam.

Cum factor rerum privaret semine Clerum:
Ad Sathanæ votum, successit turba nepotum.

Hi tales qui in promotionibus amicos carnales præferunt, factis & operibus suis, illud Psalmistæ Ps. 82. dicunt, *Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* Et ideo timere habent maledictionem, quæ ibidem sequitur, quam non solùm Ecclesia & alii, sed etiam ipsimet sibi ipsis imprecantur sæpius, cum orant, dicentes, *Deus meus pone illos ut rotam, & sicut stipulam, ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit sylvam, & sicut flamma comburens montes. Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in seculum seculi, & confundantur*

dantur & pereant, exempla hujus rei, & terribiles viſiones, vide in Ludolph. loc. cit.

Sic & hodie multi Religioſi carnalitatem nimis ſequentes, non ea quæ Spiritus, & Dei ſunt, ſed quæ carnis, & Diaboli ſunt, in electionibus ſuis ſapiunt, & magis corpori, quàm animæ providere ſoliciti ſunt. Multi enim potiùs eligunt bonum coquum, qui carnalibus voluntatibus eorum ſatisfaciat, quàm virum devotum, qui utilitatibus animarum proficiat, ut ſic ſimul cum illo ducant in bonis dies ſuos, & quaſi de alia vita deſperati, recipiant bona in vita ſua, ac ſic iretur ad aſtra. Hi tales, ſimiles illis ſunt, de quibus Senec. lib. de Beata vit. ſic dicit, *quidam voluptatibus ſe immergunt, quibus in conſuetudinem adductis carere non poſſunt, & ob hoc miſerrimi ſunt, quòd eò pervenerunt, ut illis quæ fuerunt ſupervacua, facta ſint neceſſaria.*

His etiam talibus, inquit Ludolph. applicari poteſt, quod de quodam patre factum eſt: qui cum quadam vice, melius ſolito ſe refeciſſet, nocte ſequenti diabolus ſibi aſſiſtens, ventrem ejus ſuaviter quaſi manibus contrectando, delinivit, & quaſi eum ſubſannando dixit: *modò bene, modò benè*. Ille autem diaboli illuſionem intelligens, pœnitentiam de hoc exceſſu egit, & ad abſtinentiam conſuetam rediit. Iſtud etiam verbum, ſcilicet *modò benè, modò benè*, poteſt dici cuilibet in hac vita, proſperè vel delicatè viventi. Et ſimiliter iſtud Evang. Luc. 19. *Et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*, ſcilicet mala futuri temporis.

CAPUT LXVIII.

III. Malum ambitionis, promotio malorum.

III. AMbitionis malum (ſecundùm Ludolph.) eſt, quia plerumque inquit, cauſa malâ movente & alliciente, indigni, & quandoque etiam mali & hoſtes Chriſti, ad Eccleſiaſtica beneficia promoventur, & magis per-

Digitized by Google

perſonis, quàm Eccleſiis, magiſque utilitati privatæ, quàm communi providetur, nec fiunt Clerici vel Prælati Deo, ſed mundo. Unde magna cura eſt multis, ut in domo ſua officiales utiles præficiant, ſed parva cura eſt eis, ut in domo Dei miniſtros idoneos inſtituant, quia heu quaſi nulla miniſtrorum Chriſti eſt electio, cum tamen miniſtri hominum ſæpe cum magno eligantur conſilio. Prohdolor! ſæpe magis inſufficientes aſſumuntur ad ſtatum Clericorum, & ad Eccleſiaſtica beneficia etiam curata, quàm ad ſtatum mechanicorum, vel ad aliqua hujuſmodi officia. Qui enim mechanicus eſſe voluerit, neceſſe eſt ut ad ſuum officium ſpectantia ſciat, vel addiſcat, ſed plerumque in Clericis hoc fallit. Quomodo ergo tales per ignorantiam poterunt excuſari, maximè ſi ad dignitates & beneficia curata fuerint promoti.

Unde Bern. in Pſal. qui habit. *quæ ignorantia excuſare poſſit hominem qui ſe magiſtrum infantium, doctorem inſipientium profitetur? Talium quippe dum quis promovetur recte à Diabolo ſupra templi pinnaculum elevatur, cui Diabolus quaſi ſubſannando tunc loquitur (Matth. 4.) ſi filius Dei es, mitte te deorſum. Jam inter filios Dei computatus es, jam ab his qui te non cognoſcunt, videris eſſe, quod non es. Fac igitur aliquid unde laudaris, unde glorioſus habearis, & unde magnus ab hominibus videaris. Mitte te deorſum. Quid enim tam proprium diabolo quam ſuadere, ut unuſquiſque indignus Eccleſiæ ſe ſibi ſubmittat?* Et revera hi tales ſemper deorſum ſe mittunt, quia, ſolas divitias, dignitates & gloriam quærentes, quotidie deteriores fiunt. Promotores etiam talium in quacunque dignitate, quaſi ſupra templi pinnaculum conſtituti, ſe ad perſuaſionem & conſilium diaboli deorſum mittunt, quando per carnalem affectionem, vel aliam cauſam malam, eos excæcantem, talibus condeſcendendo, eos promovent, vel eorum promotionibus acquieſcunt. Simia quippe ponitur in tecto, & latro in ſcalis, coram populo, non ad ſui honorem, ſed ad deriſionem, ſic etiam eſt de indigno in Eccleſia exaltato. Unde Seneca, *loco ignominiæ eſt, apud indignum dignitas.* Ut autem dicit Greg. lib. 24. mor. c. 30. *Neceſſe eſt ut is qui præeſt, quæ exempla ſubditis præbeat, ſolerter attendat, & tantis ſe ſciat vivere, quan-*

tus

Digitized by Google

tis præeſſe. Et ideo, ut idem dicit, *Non debet hominum ducatum ſuſcipere, qui neſcit homines, benè vivendo præire, neque ad hoc eligatur, ut aliorum culpas corrigat, qui quod reſecare debuit, ipſe committit.* Et iterum, *durum quippe eſt, ut qui neſcit tenere moderamina vitæ ſuæ judex fiat vitæ alienæ.* Hæc Greg.

Sic & hodie apud multos, etiam Religioſos, (inquit Ludolph.) in electionibus & proviſionibus, timore Dei poſtpoſito, Jeſus, id eſt vir bonus & dignus, ac Dei amicus, qui ſe, & alios ſalvare ſtudet, reprobatur, & Barrabas latro inſignis, id eſt malus, & indignus, ac Chriſti hoſtis, qui ſe, & alios in anima perimit, eligitur. Unde qui in talibus promotionibus, faciendo vel conſentiendo culpabiles ſunt, ipſo ſuo facto, vel conſenſu, cum Judæis dicunt, Joan. 18. *non hunc, ſed Barrabam.* Et ideo timeant tales, ne alienati à Jeſu Salvatore, partem ſortiantur cum Barraba latrone. Tales quippe ſic electi ſunt ſubditis magis in ruinam, & ſcandalum, quàm in reſurrectionem & boni exemplum: & hoc fermentum Prælatorum corrumpit totam maſſam ſubditorum, quia dum caput ægrotat, cætera membra dolent. Ægrotant, quidem, ſed non ſanantur, quia morbum, *noli me tangere,* habere videntur, & intacti remanentes, per eos quorum intereſt, debitè non corriguntur. Et ideo heu, jam apud plures de capite facta eſt cauda, de Priore poſterior, & de magiſtro diſcipulus, & utinam Chriſti, non diaboli.

Sed timere habent homines, in his culpabiles, ne juſtitia per eos neglecta, ad ſupernum judicem querulam ſuam dirigat, & ille, voces querimoniæ ejus ſuſcipiens, juſto judicio ſuo, vindictam ſuam ſuper prævaricatores rectitudinis inducat. Et iſtud in multis talibus factum novimus, & adhuc frequenter videmus, ſed quidam miſeri ſic ſunt excæcati, quòd nec cognoſcere defectus ſuos volunt, unde talia flagella procedunt, & ideo ſæpe graviora eis ſuperveniunt.

CA.

Digitized by Google

CAPUT LXIX.

IV. Malum ambitionis, pluralitas beneficiorum.

IV. AMbitionis malum (secundùm Ludolph.) est; quia unus, inquit, beneficio uno non est contentus, in aliorum præjudicium & damnum plura occupat, & aliis esurientibus, ipse se pompis & vanitatibus inebriat. Pauperum enim necessitatibus subtrahitur, quicquid divitum vanitatibus accedit, & multitudo servorum multitudinem pauperum facit. Unde est, quod communiter dicitur, apud Horat. in princ. Epistolar.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achivi.

Et quod pejus est, interdum unus ad unum etiam beneficium, minus idoneus, plura occupat, & qui unicum quamvis modicum vix officium, implere sufficeret, plurimorum stipendia sibi vendicat. Plura quidem beneficia habentibus, paratur vagandi & delinquendi materia, divinus cultus & hospitalitas in ipsis beneficiis minuitur, Ecclesiarum commodis & honori detrahitur, quæ per hoc in spiritualibus & temporalibus multipliciter collabuntur.

Sed esto, quòd tales habeant dispensationem, super pluritate beneficiorum, nunquid dispensationem habere poterunt, super perpetratione prædictorum malorum? Quæ quidem mala tanta sunt, quòd sola ad damnationem sufficiunt, & reum in infernum detrudere possunt, ubi unus ut plures, in beneficiis, erit unus ut plures, in tormentis. Istos, secundùm Bern. in Psal. Qui habit. supra montem excelsum valde, diabolus ducit, quibus etiam omnia regna mundi, & eorum gloriam ostendit, & ostensa, si procidentes eum adorent, dare promittit, & revera postquam avaritiæ suæ consulendo, multa beneficia adepti sunt, eum adorant, eum colunt & venerantur, eum quasi Deum sequuntur, & post eum, in tene-

Digitized by Google

tenebris demerguntur, vide nota exempla, & terribilia, de hac materia, in Ludolph.

Unde Mag. Guilhardus Camerac. Episc. *Nollem*, inquit, *pro toto auro Arabiæ, unâ nocte duo beneficia detinere, & hoc propter discrimen incertæ vitæ*: super hoc etiam narrante Bern. quondam D. Papæ pœnitentiario, cum B. memor. Gregorius, Papa IX. interrogaretur, si posset de plenitudine potestatis, cum plurium beneficiorum detentoribus dispensare, respondit: *Non possum*, inquit, *nisi tantum super velatione detinentium, dispensare.* Quod fortè ideo dixit, quia ut visum est, plura mala, ac peccata gravia & inevitabilia, inde subsequuntur, super quibus faciendis, dispensatio cadere non videtur, quia peccatum in nullo casu conceditur.

Quis ergo erit sapiens, qui se fallat, & tanto discrimini committatur. Esto, quòd multi dicant hoc, & multi alii in contrarium opinentur, hoc solum tamen mortale, ab Aug. D.D. maximo judicatur, cum quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discrimini, se committit. Sic & hodie multi Religiosi, non solùm grangias, sed & Ecclesias, non sine animarum periculo, sibi incorporando multiplicare solliciti sunt, exponentes se periculo reddendæ rationis, de animabus Ecclesiarum, quarum decimas & fructum percipiunt.

CAPUT LXX.

V. Malum ambitionis, absentia Clericorum.

V. AMbitionis malum (secundùm Ludolph.) est, quia plerique, inquit, in beneficiis non residunt, & fructus eorum percipientes debitum pro his laborem, vel servitium Ecclesiis non impendunt. Gaudent, & se jactant, quia habent tot florenos sibi apportatos, sed timeant, ne sint floreni, eos ad infernum portantes. Frustrà enim se jactant habere beneficium, vel mercedem, cujus non exhibent operationem. Sed esto, quòd tales ha-

 berat

Digitized by Google

beant dispensationem, super absentia, seu non residentia: nunquid dispensationem habere potuerunt, super peccatis, & malis committendis quæ inevitabiliter sequuntur, ex eorum absentia & negligentia? Et ideo bene eis esset, si haberent vicarium in tormentis, sicut excusando se dicunt habere in beneficiis. Qui enim residere nolunt in beneficiis, timere habent ne residentiam perpetuam faciant in tormentis.

Et hoc magis delinquunt Prælati, & curam habentes animarum: quia ex illorum absentia majus sequitur periculum. Pauci quidem ex eis Pastores, sed multi mercenarii sunt: quia non lucrum animarum, sed mercedem temporalis commodi, aut lucri, vel honoris quærunt. Istis bene congruit illud Bern. Serm. in illud Evang. ecce nos reliquimus. ubi ait: *Væ tibi Clerice, mors in olla,* (4. Reg. 4.) *mors in hujusmodi delitiis: Peccata enim populi comedis, ac si propria minus sufficere viderentur. Sumptus Ecclesiasticos gratis habere te reputas, sed bonum erat magis fodere, & mendicare.* Et iterum: *Indignus lacte, & lana convincitur, si non pascit oves: si non vigilat in custodia gregis, judicium sibi manducat & vescitur. Quid tibi insipiens delitiæ sapiunt: quid divitiæ illæ cæcas delectant oculos, quibus mereris tam grave judicium, tam durè temetipsum obligas rationi. Universa siquidem usque ad quadrantem novissimum exigeris.* Et iterum Bern. super illo verbo Prophet. Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent.* Quasi dicat, *peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. Quem dabis mihi de numero Præpositorum, qui non plus invigilet subditorum evacuandis marsupiis, quàm vitiis exstirpandis? Ubi, qui orando flectit iram, qui prædicet annum placabilem Domino? Leviora loquimur, graviora gravius manet judicium. Ministri Christi sunt, & serviunt Antichristo. Honorati incedunt, de bonis Domini, qui Domino honorem non fecerunt.*

Sunt autem quidam, qui Ecclesiis, & ovibus suis propriis derelictis, aliis deserviunt Ecclesiis, vel prædicant populis, sed per hoc de negligentia Ecclesiarum, & ovium suarum, non excusantur apud Deum, quum reddent rationem de omnibus, usque ad quadrantem novissimum.

Digitized by Google

simum. Allegant etiam quandoque non residentes, quòd in Ecclesiis eorum sunt rebelles, & tyranni, vel infideles, & hujusmodi. In quo ipsos magis redarguunt, quia vident lupum, & fugiunt, cùm tamen pro illorum, & Ecclesiæ utilitate, deberent tunc potius residere. Sic & hodie multi in Religione, (inquit Carthus. ille) curam animarum habentes, claustrum quasi carcerem fugiunt, & cum Satan circumeundo terram, & perambulando eam, quasi vagi discurrunt: parum timentes, quòd ligatis vagis eorum pedibus, projiciantur in tenebras exteriores. Primi quidem Religionis patres, urbes & palatia relinquentes, solitudinem petebant, dicentes cum Hier. *Oppidum mihi carcer est, & solitudo, paradisus*: Sed isti vagi, solitudinem deserentes, urbes & palatia quærunt, quasi intra se dicentes: *solitudo mihi carcer est & opidum paradisus.* Unde talibus benè competit, & de eis scribi posset, quod de quodam hujusmodi, post mortem ejus, quasi pro Epitaphio, quidam versificator sic scripsit;

Dum fuit in mundo, per mundum vexit eundo:
Hæc postrema dies, hæc sibi prima quies.

CAPUT LXXI.

VI. Ambitionis malum, abusus Beneficiorum.

VI. AMbitionis malum (secundùm Ludolph.) est, quia, inquit, multi fructibus beneficiorum, & bonis Ecclesiasticis abuti, non metuunt, ac patrimonium Christi, & res pauperum, in usus superfluos & illicitos convertunt. Quantumcunque enim utiliter in beneficio quis laboret, ultra tamen victum & vestitum sibi vendicare non debet. Quicquid amplius est, pauperum est.

Unde Bern. Serm. cit. in illud Evang. Ecce nos, &c. *Sed esto, studiosè quis, & fructosè laboret, vivat de altario, ut alimenta & quibus tegatur habens, his contentus sit. Non*

superbiat, non luxurietur, denique non ditetur, nec ex clericatu ditior fiat: non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut superfluitate dispergat, non extollat de facultatibus Ecclesiæ consanguineos suos, aut nepotes, ne filias dixerim nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Nec enim ordinavit Deus, his qui Evangelio serviunt, de Evangelio quærere, aut habere delitias, aut ornatum: sed vivere, ait Apost. de eo ut videlicet sint contenti, alimenta corporis, non gulæ irritamenta, aut incentiva libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere.

Et iterum: *pauci admodum sunt, qui non, quæ sua sunt quærant. Diligunt munera, non possunt pariter diligere Christum: quia manus dederunt Mammonæ. Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo: nonne quempiam talium repentè eminùs procedentem aspexeris, sponsam potius putabis, quam sponsæ custodem. Unde verò hanc illis exuberare existimes, rerum affluentiam, vestium splendorem, mensarum luxuriam, congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa, pauper & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hospida, exanguis. Propter hoc, non est hoc tempore, ornare sponsam, sed spoliare, non est custodire, sed perdere, non est defendere, sed exponere, non est instruere, sed prostituere, non est pascere gregem, sed mactare, & devorare, dicente de illis Domino,* (Psalm. 13.) *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis,* & (Psalm. 78.) *quia comederunt Jacob, & locum ejus desolaverunt.* Hæc Bern.

Si & hodie, multi Religiosi, (inquit Carthus. noster) bonis Monasterii abuti, non verentur, & divitem, purpurâ & bisso indutum imitando (Luc. 16.) quærunt ad induendum, non quod utilius, sed quod subtilius invenitur, non quod frigus expellat, sed quod superbire compellat, & cum eodem divite, epulari quotidie splendidè volunt, & pro carnibus, à quibus abstinetur, studium suum, in piscibus, & delitiis variis ponunt. Et secundùm quod de quibusdam dicitur, plus in Salmone, quàm in Salomone studet, quod, secundùm Prosper. non est, *deli-*

Digitized by Google

delitias resecare, sed unam in aliam commutare. Unde & Augustin. Serm. de jejun. *Qui sic à carnibus se temperant, ut alias escas, & difficilioris præparationis, & pretii majoris inquirant, multum errant. Non enim est hoc suscipere abstinentiam, sed invitare luxuriam. Isti non intelligunt, quod in his hamum accipiunt, quia pœnam pro singulis exsoluent, & quantum se glorificaverunt, & in delitiis fuerunt, tantum de tormento & luctu habebunt.*

Utinam, (exoptat Ludolph.) multi mercenarii, & Pseudo-Pastores, hæc attenderent, qui plus de seipsis, etiam sanis, quàm suis subditis, etiam infirmis, solliciti sunt, plusquam sibi, in voluptatibus, quàm subditis, in necessitatibus condescendunt. Et ideo sæpe hujusmodi mercenarii, diris à Deo castigantur flagellis, sed intelligere nolunt, unde hæc flagella procedunt, conquerentes quandoque de percussione, sed tacentes de causa movente, secundùm illud quod communiter dicitur, *percutitur puer, & queritur, sed causa tacetur.* Quandoque etiam, justo Dei judicio, tales in necessitate deseruntur ab aliis, ut sicut fecerunt, fiat & ipsis, & utinam hæc saperent, & intelligerent, & se emendarent.

CAPUT LXXII.

VII. Ambitionis malum, Curiositas Clericorum.

VII. AMbitionis malum, quod præcedenti sæpe malo est annexum, (secundùm Ludolph.) est maledictum curiositatis vitium, à quo tam in faciendo, quàm utendo, tanquam à venenoso serpente, est omnibus Dei servis abstinendum. Curiosa enim qui faciunt, & qui eis uti volunt, mundo vivunt, & serviunt: talia namque sunt ornamenta mundi, & blasphemia Dei. Qui verò in puritate conscientiæ intendit vivere, mirum quomodo in faciendo, vel utendo se audet hac fæce fœdare. Est enim periculosum, & est valde magnum vitium (secundùm Ludolph.)

Digitized by Google

I. Quia tempus ad laudandum Deum conceſſum perditur, & contra ipſum in vanis expenditur. Multò enim plus de tempore occupat curioſum opus, quàm expediat, & hoc valde malum eſſe nullus ſapiens ignorat.

II. Quia facienti eſt cauſa vanæ gloriæ, & jactantiæ. O quoties cogitat & recogitat, ac mente revolvit, etiam quando non operatur, ac etiam quando divinis intendere debet, ut pulchrum opus faciat. O quoties illud aſpicit, & inde ſe reputat & apud alios reputari vult & ſe jactat.

III. Quia etiam ei cui facit, eſt cauſa & occaſio ſuperbiæ. Tali enim oleo, ignis ſuperbiæ nutritur, & magis accenditur. Nam ſicut rudia & groſſa, ſunt humilitatis fomentum, ſic curioſa & pulchra ſunt ſuperbiæ nutrimentum.

IV. Quia eſt materia, & occaſio retrahendi animum à Deo. Nam ſecundùm Greg. tantò quis à ſuperno amore disjungitur, quantò inferiùs delectatur.

V. Quia eſt concupiſcentia & voluptas oculorum. Ad nihil enim talia curioſa valere videntur: niſi ut inde oculi paſcantur, & per conſequens etiam animus ex eis diſtrahitur.

VI. Quia multorum aliorum eſt laqueus, & ruina. Nam talia reſpicientes, multis modis offendere poſſunt, vel delectabiliter aſpiciendo & ſimilia concupiſcendo, vel detrahendo & maledicendo, ſeu aliis ſcandalum, & malum exemplum inde tradendo.

Cogita ergo quoties Deus offendi poterit antequam illa curioſitas deleta ſit. De omnibus autem illis offenſis, ipſe qui tale opus fecit, vel fieri procuravit, eſt in cauſa, & per conſequens in culpa. Ecce quot mala, ex tali curioſitate proveniunt. Adhuc eſt & aliud magnum malum valde, quia curioſitas directè obviat paupertati. Et ultra omnia prædicta eſt hoc malum, quod levis, ac vani, & inconſtantis animi eſt indicium, & ſuperbiæ in corde latentis ſignum.

Hoc autem malum curioſitatis non ſolùm reperitur in Clericis, ſed etiam pleriſque Religioſis (ſecundùm Ludolph.) Quinam enim eorum, relicta, & quaſi contemptâ antiquorum P P. ſimplicitate, & humilitate, novitates

Digitized by Google

vitates ſeculares, in multis ad uſum pertinentibus, adinveniunt, & Diabolum adulterantem, cum ſuis ſatellitibus, in Religionem introducunt: unde non videntur filii Religionis veri, & legitimi, ſed potiùs adulteri: quia à S S.P P. degenerantes, adulterinas novitates, & curioſitates adinveniunt, & quales ſunt, talia opera faciunt. Unde de eis illud vulgare dici poteſt:

Qualis erat mulier, tale coquebat olus.

Miniſtri ergo diaboli ſunt, quia opus ejus faciendo, ſibi ſerviunt. Et ideo propter nullum de mundo tale opus quis facere debet, nec velle profe fieri, etiam ſi gratis fieret: quia nulla de cauſa peccato eſt conſentiendum, & ab offenſa Dei eſt omnibus modis abſtinendum. Nam, ut dicit Anſelm. de concept. Virg. *Omne peccatum per prævaricationem, Deum exhonorat.* Si ergo peccare, eſt Deum exhonorare: (Pſalm. 103.) hoc homo facere non deberet, etiamſi neceſſe eſſet, perire omne, quod Deus non eſt. Mirum ergo valde quomodo homuncio, cinis, & pulvis, tam audacter Deum, & tantam majeſtatem præſumit offendere. Unde Bern. *Tangit montes, & fumigant, & tam tremendam majeſtatem audet irritare pulviſculus, uno levi flatu diſpergendus, & minimè recolligendus.* Et ſi propter nullum alium, curioſa facere deberes, quantò magis offendis, ſi proprio motu, ad ſolam complacentiam talia facis, volens magis complacere creaturæ, quàm creatori, *qui eſt Benedictus in ſecula.*

CAPUT LXXIII.

Periculum Clericorum. Malum ſcandalizantium Eccleſiam.

EX præmiſſis igitur, apparet aliquantulum (proſequitur Ludolp.) in quali & quanto periculo ſit hodie ſtatus Clericorum, & quanta per eos veniunt ſcandala, quantamque perſecutionem ſuſcitant in Eccleſia. Illi enim, inquit, verè Eccleſiam perſequuntur, qui vitiis & malis

Digitized by Google

exemplis persequuntur. Illi acerbius sanguinem fundunt, qui Christum, quantum in ipsis est, in homine occidunt. Unde Bern. Serm. 1. de converſ. Paul. *Si Dominus proprium sanguinem dedit, in pretium redemptionis animarum: nonne tibi videtur graviorem suscitare persecutionem, qui suggestione malâ, exemplo pernitioso, scandali occasione, avertit ab eo animas, quas redemit, ab illo, qui sanguinem suum fudit?*

Et iterum luculentius: *Quis obsecro laicorum, avidius clericis, acquirit temporalia, & ineptius utitur acquisitis. Cùm tantum fastum videant laici, in supellectile Clericorum: nonne per eos potiùs invitantur, ad mundum diligendum, quàm negligendum? Medice cura teipsum* (Lucæ 4.) *si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius, & ad ipsum alios efficacius invitabis. Da voci tuæ vocem virtutis. Consonet vita verbis, & statim erit in ore tuo vivax, & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti* (Hebr. 4.) *Non sic profectò est: sed sicut populus, sic Sacerdos: sicut laicus, sic & Clericus; uterque cupit, uterque diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore, sed Clericus sine labore, volunt possidere totum mundum. Communicare volunt cupiditati, & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus. Unde timendum est quod flagellentur cum dæmonibus. Quomodo seculares non expenderent substantiam suam vivendo luxuriosè, etiam in præsentia Sacerdotum: quomodo non intenderent vanitatibus, & lenociniis hujus seculi? quomodo non essent insolentes, & elati, cùm tantum fastum, tantam insolentiam videant Clericorum? Nonne in præsentia eorum, irreverenter abutimini eleëmosinis pauperum? De patrimonio crucis Christi non facitis codices, in Ecclesiis, sed pascitis pellices, impinguatis canes, adornatis equos.*

Et verè in capitibus omnibus omnium platearum dispersi sunt lapides Sanctuarii (Threnor. 4.) *Plateæ latæ sunt, & lata est via, quæ ducit ad mortem. Lapides ergo Sanctuarii, id est Sacerdotes sunt in capitibus, id est in introitu latarum viarum: docent enim populos per prava exemplà ingredivias latas quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Dolor capitis, in membra redundat. Et meritò clamat.*

Sancta

Sancta Ecclesia hodie. Ecce in pace amaritudo mea amarissima, Isai. 38.) *Multa est hodie, & longè gravior, quàm credi possit, persecutio, S. Ecclesiæ, & talis incumbit, qualis non fuit à principio. Multis modis persecutus est eam diabolus, sed nunquam gravius quàm hodie: quia nunquam fuit major perditio Christianorum, nec liberior, aut securior transgressio divinorum præceptorum: Ecclesiam incipientem persecutus est per tyrannos: proficientem persecutus est per hæreticos: jam lætam & florentem persequitur per motus illicitos.* Hæc Bern. graphicè describens statum etiam modernum Ecclesiæ, proh dolor.

CAPUT LXXIV.

Exemplum de Clerico, ex Ludolpho. Tria capitalia mala.

ADhuc autem unum, de Clericis in fine subjungo exemplum (inquit Ludolph.) Clericus quidam in Synodo Episcoporum, prædicare compulsus, angustiabatur non modicum, quidnam dignè posset, coram tot Ecclesiæ Prælatis prædicare. At ubi accessurus, in oratione jaceret, venit ad eum Diabolus, & dixit: quid angustiaris istis Clericis prædicare? Dic eis istud, & non aliud: Princeps inferni, salutat Principes Ecclesiæ. Læti omnes nos, eisdem referimus gratias, quia per eorum negligentiam, ad nos ferè totus mundus devolvitur, quia cum ipsis Prælatis, nobis, eorum subditi pariter offeruntur. Invitus quidem tibi dico, sed Altissimi jussione coactus, (inquit Carth.)

Quàm vera ista sint, status proculdubio Ecclesiæ monstrat, qui nullum trium malorum, quæ in mundo sunt, scilicet superbiæ, avaritiæ, luxuriæ comparationem, recipit in Clericis & Prælatis. Vide moderatores orbis, & reges magnos: vide duces, comites & Barones, nihil videbis in eorum cultu, & apparatu, tam singulariter exquisitum, tam pomposum. Eorum avaritiam, si attendas, nullam mercatorum, nullam civium talem

Digitized by Google

reperies. Qui tamen hæredes legitimos si haberent, tolerabilior insania videretur. De luxuria verò eorum nihil definitè præsumo, nisi quod illam solus noverit omnipotens, qui renum & cordium scrutator est Deus.

A qua quidem luxuria, valde terrere deberent eos, quorundam Clericorum exempla, de quibus novi quosdam, subitò & improvisè, in latrinâ & fætore, vitam suam fætidam terminasse, & quendam in ipso actu simul cum fine operis expirasse. Et si quæris de gula, quæ fomentum est luxuriæ, invenies populum semel in anno, carnis privium facere, sed Clerum quotidie. In Sabbatho quoque delitiis affluere, mos erat Judæis, veri Sabbathi ignaris; quos Clerici in hoc satis imitantur, in festis diebus delicatiùs convivantes, nec aliter diem festum, nisi plus solito se ingurgitent, reputantes. Unde Hier. *Cùm superbia propria sit dæmonibus, sive mulieribus, luxuria pecudibus, avaritia mercatoribus, ex his factum est monstrum quod est malus Clericus.*

Similiter in Religiosis invenire poteris (inquit Ludolp.) unum monstrum ex hujusmodi malis compositum. Quandoque enim præsidens est superbus, & ambitiosus, diligens præesse, & quærens modis omnibus, in officio remanere. Et etiam quandóque cum hoc, concupiscentiæ carnis deditus, quærens frequenter occasiones vacandi delitiis, & voluptatibus. Est insuper quandóque concupiscentiâ oculorum, & avaritiâ cæcatus, pro quæstu faciendo discurrens & qualitercunque temporalia acquirens, vel acquisita recipiens. Et quia in se habet hæc tria, ex quibus oriuntur, omnia hujus seculi mala: nam testante Joan. 1. 2. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Ideo exspectare habet pro retributione condigna, omnia seculi alterius incommoda.

Si quis propter prædicta, mihi ea scribenti, irascitur, (concludit Carth. & nos cum illo) talis de seipso, quòd hujusmodi sit, confitetur. Multi enim, cùm eis veritas proponitur, indignè ferunt, & cùm aliter evadere non possunt, respondent, quòd de talibus sibi conscientiam non faciunt, & hæc est mala conscientia, quia veritati & rationi

rationi contraria. Ita ad longum Ludolph. præfatus, & finio hanc materiam, cum ejus oratione, ab ipso compositâ, & loco supra cit. ubi prius, quid viri doctissimi, de hoc profundo, & solido auctore, senserint, per seqq. Paragraphos edissero, si fortè lector, in ejus amorem, pro cognoscenda veritate inardescat.

CAPUT LXXV. Et ultimum.

Doctissimorum virorum testimonia, de Ludolpho Saxone, ordinis Carthusiani, per plures Paragraphos.

§. I.

Ex Chronicis Hermann. Schedel.

LUdolphus Alemannus, Ordinis Carthusiensium, Prior Argentinensis, vir doctrinâ & morum sanctitate conspicuus, hac ipsâ tempestate peroptimè, *vitam Domini nostri Jesu Christi*, egregrio volumine, & quodam cælesti artificio, imò potiùs divinâ revelatione, quàm studio, fabricavit, in quo certè ostendit, venerabilem virum, & omnium rerum, tam divinarum, quàm humanarum, & potissimùm ipsius Jesu Christi vitæ (prout potuit homini esse possibile) plenissimam habuisse notitiam, alia quoque laude digna hic devotus atque venerandus pater edidit.

§. II.

Ex supplemento supplementi Chronicor. Jac. Philipp. Bergomat. Ord. Eremitar. S. Aug.

LUdolphus Carthusiensis Monachus, natione Teutonicus, patriaque Saxonicus, vir in divinis Scripturis admodum studiosus, & eruditus, ac aliarum bonarum literarum, non ignarus, per hoc tempus apud Argen-

Digitized by Google

gentinense Cœnobium existens, edidit magnæ devotionis, ac profundæ eruditionis, quædam præclara opuscula, in quibus ad evitandum otium ingenium excitans, nomen suum immortalitati condonavit.

E quibus exstat volumen magnum, & insigne quidem, quod prænotavit, *de vita Christi Jesu*, in libros duos; quod incipit, *fundamentum aliud.* Item in Psalterium perpulchrè, lib. unum: feruntur etiam alia. Regnavit autem anno Domini 1334. sub Joann. XXII. Papa, & Ludov. Bavaro, Imperat.

§. III.

Ex Cathal. scriptor. Eccles. Joan. Trithemii.

LUdolphus Ordinis Carthusiensis, in domo Argentinensi, natione Teutonicus, Saxonicâ terrâ oriundus, vir in divinis Scripturis studiosus, & eruditus, & secularium literarum non ignarus, ingenio mitis, eloquio dulcis, & compositus, vitâ quoque & conversatione insignis, edidit magnæ devotionis, & profundæ eruditionis, quædam præclara opuscula, quibus ingenium nobiliter exercitans, nomen suum immortalitati condonavit. E quibus ego vidi tantum subjecta: volumen magnum & insigne super Evangelio, quod prænotavit.

Vitam Domini Jesu. Lib. II. *Fundamentum aliud.*
In Psalterium quoque Lib. I. *Sicut olim manna.*
Feruntur ejus & alia. Claruit sub Ludov. Imper. IV.
Anno Dom. 1330.

§. IV.

Ex Lib. 4. Biblioth. Sixti Senensis.

LUdolphus natione Saxo, ex Ordine Prædicatorum, post trigesimum suæ professionis annum, ad institutа Carthusianorum translatus, & in monasterio Argentinensi receptus, vir in sanctis voluminibus studiosissimus,

Digitized by Google

mus, professione Scholasticus, sermone simplex, & fervidus quibusdam affectibus amabilis, collegit ex Hieron. Aug. Cassiod. & Petr. Lombard. sententiis, exactam in Psalmos expositionem, in qua typicos sensus maximè sectatur, non ita tamen, ut literalem intelligentiam negligat, addens ad calcem cujuslibet Psalmi, devotam & consonam ipsi Psalmo, precationem. Operis initium est, *sicut olim manna.*

Idem ex quatuor Evangelistis, unicam collegit *vitæ Christi* historiam, quam lucidissimis, & piissimis, juxta quadruplicem sensum explanationibus illustravit, adjectis ad finem singulorum Capitulorum, devotissimis precationibus, præcedentis capituli argumento deservientibus. Opus incipit, *fundamentum aliud.* Claruit sub Ludovic. Imper. IV. Anno Domini 1330.

§. V.

Ex Rober. Bellarm. Card. de Scriptorib. Ecclesiast.

LAndulphus, sive Ludolphus natione Saxo, professione Carthusianus, vir valde pius, scripsit historiam *Vitæ Domini nostri Jesu Christi*, ex Evangeliis depromptam: scripsit etiam Commentarios in *Psalmos*, juxta sensum præcipuè spiritualem. Claruit circa annum Domini 1330. atque ita cæteri præclarissimi de Ludolpho, quos brevitatis gratia omittimus.

Ejus Oratio.

DOmine Jesu Christe, qui superbis resistis, & humilibus das gratiam: da cunctis, statum dignitatis & regiminis, pro bono obedientiæ, humiliter, & sine ambitione suscipientibus, & sic in eo perseverantibus, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro: & resiste ambitiosis, sepiendo vias eorum spinis, ne prosperentur in eis: ita ut neque præesse hominibus delectentur, neque honoris sui singularitate lætentur: sicque tandem illuminati, & ad cor reversi, à pestifero vitio ambitionis desistant, & tales esse desinant, ut te miserante, in æternum non pereant. Amen.

Oratio

Oratio Alia.

O Jesu summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, tu sis omnis eorum gloria, laus, gaudium, virtus & fortitudo. In te solo glorientur non in se: tibi omnia sua opera, dona referant accepta, quia in illis docens, ministrans, prædicans, quicquid laude dignum est, operaris. Effice igitur, ut parvuli sint in oculis suis, & tibi ministrent, in spiritu humilitatis.

Videant te magistrum, & ducem, humilem in præsepio, despectum in fœno, peccatoris characterem suscipientem in circumcisionis signaculo, & immundi symbolum in baptismo, videant fugitantem laudes, & plausus populi Regem te volentis eligere & inaugurare: præcipientemque infirmis, ne sanitatem per te factam prædicent, & discipulis visionem gloriæ, quam in sublimi transfigurationis conspexerant, ante mortem cuiquam denuntient.

Videant denique incurvatum te ad pedes discipulorum ablueutem, abstergentem, exosculantem, humilitatisque exemplar testamento eis legantem? Sic discant in te primam illam lectionem & ultimam, scholæ tuæ, & familiæ, ut sint veri discipuli, ut sint veri filii patris & magistri sinceri imitatores. Hoc gratia tua, in illis perficiat, ô Jesu, Pastor humilis, Pastor summe, & humillime Sacerdotum. AMEN.

Ad Majorem Dei, Deiparæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum gloriam & honorem.

Censuræ.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
MISSIONIBUS,
ad
PROPAGANDAM FIDEM
&
Conversionem Infidelium & Hæreticorum, instituendis.

In partes quinque distributus;

Omnibus qui animarum curam gerunt, perutilis.

Editio Tertia ad mentem S. Congreg. de propaganda fide ab auctore recognita.

AUCTORE

Reverendissimo & Ill. D. PHILIPPO ROVENIO *Archiepiscopo* PHILIPPENSI, *Vicario Apostolico.*

Digitized by Google

Oratio Alia.

O Jesu summe Sacerdotum, Pastor Pastorum, tu sis omnis eorum gloria, laus, gaudium, virtus & fortitudo. In te solo glorientur non in se: tibi omnia sua opera, dona referant accepta, quia in illis docens, ministrans, prædicans, quicquid laude dignum est, operaris. Effice igitur, ut parvuli sint in oculis suis, & tibi ministrent, in spiritu humilitatis.

Videant te magistrum, & ducem, humilem in præsepio, despectum in fœno, peccatoris characterem suscipientem in circumcisionis signaculo, & immundi symbolum in baptismo, videant fugitantem laudes, & plausus populi Regem te volentis eligere & inaugurare: præcipientemque infirmis, ne sanitatem per te factam prædicent, & discipulis visionem gloriæ, quam in sublimi transfigurationis conspexerant, ante mortem cuiquam denuntient.

Videant denique incurvatum te ad pedes discipulorum ablueutem, abstergentem, exosculantem, humilitatisque exemplar testamento eis legantem? Sic discant in te primam illam lectionem & ultimam, scholæ tuæ, & familiæ, ut sint veri discipuli, ut sint veri filii patris & magistri sinceri imitatores. Hoc gratia tua, in illis perficiat, ô Jesu, Pastor humilis, Pastor summe, & humillime Sacerdotum. AMEN.

Ad Majorem Dei, Deiparæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum gloriam & honorem.

Censura.

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
MISSIONIBUS,
ad
PROPAGANDAM FIDEM
&
Conversionem Infidelium & Hæreticorum, instituendis.

In partes quinque distributus;

Omnibus qui animarum curam gerunt, perutilis.

Editio Tertia ad mentem S. Congreg. de propaganda fide ab auctore recognita.

AUCTORE

Reverendissimo & Ill. D. PHILIPPO ROVENIO *Archiepiscopo* PHILIPPENSI, *Vicario Apostolico.*

R

Digitized by Google

APPROBATIO

Illustrissimi D. Nuncii.

Tractatum hunc de Missionibus, à Reverendissimo D. D. Archiepiscopo Philippen. pio laudabilique zelo ac diligentiâ, in commodum & utilitatem, Propagationi Fidei Catholicæ operam navantium, ut in lucem prodeat, & manibus teratur omnium, qui tam pio ministerio incumbunt, valdè dignum & peropportunum censemus. Datum Bruxellis, pridie Kal. Septembris, CIↃ.IↃC. XXVI.

JOANNES ARCHIEPISCOPUS PATRACEN.

JOAN. FRANC. SLINGELANT Abbreviator.

Approbatio Censoris.

HUnc de Missionibus Tractatum, ab Auctore accuratè recognitum perutilem, ac pium, prælo lectuque dignum censeo, 5. Junij, 1626.

GUILIEL. FABRICIUS *Apostolicus ac Regius librorum Censor.*

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMIS ET AMPLISSIMIS DOMINIS S. R. ECCLESIÆ CARDINALIBUS RELIQUISQUE PRÆLATIS

REVERENDISSIMIS

Sacræ Congregationis de propaganda fide.

Illustriss. & Reverendiss. D. Patroni summopere colendi.

SOLLICITUDINEM de propaganda sancta nostra & Catholica Fide, *sine qua impossibile est placere Deo*, maximè ad Sum. Pontificem, Principem Episcoporum, hæredem Apostolorum, Vicarium Christi, pertinere, nemini dubium esse potest. Ipse enim est, *cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Habent* alij, inquit D. Bernardus, *sibi assignatos greges, singuli singulos*, Pontif. verò Summo *universi crediti sunt., uni unus*: *nec modò ovium, sed & pastorum* ipse *unus omnium pastor*, cui dictum *pasce oves meas*, omnes scilicet: *nihil excipitur, ubi distinguitur nihil*: alij in partem solicitudinis, successor verò PETRI in plenitudinem potestatis, vocatus est. Lib. 2. de consideratione cap. 8. Joan. 21. Bernard supra.

Digitized by Google

Nec valebit fidelitatem & amorem erga Dominum ſuum efficacius vel manifeſtius oſtendere, quàm totis viribus ad hoc allaborando, ut & ovibus Chriſti jam acquiſitis paſtores & paſcua non deſint; acquirendis etiam aliis, & ad ovile adducendis non deſint cooperatores. *Curandum* enim ei omninò eſt, ut idem S. affirmat, *& tota vigilantia conſiderandum, quomodò & qui non ſapiunt, ſapiant; & qui ſapiunt, non deſipiant, & qui deſipuêre, reſipiſcant. At nullum genus inſipientiæ infidelitate inſipientius. Ergo & infidelibus debitor eſt. Intereſt proinde* ipſius *dare operam*, quam poteſt, *ut increduli convertantur ad fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur: porrò perverſi ordinentur ad rectitudinem, ſubverſi ad veritatem revocentur: ſubverſores invictis rationibus convincantur, ut vel emendentur ipſi, ſi fieri poteſt, vel ſi non, perdant authoritatem facultatemque alios ſubvertendi.* Hæreticos notat & Schiſmaticos: *hi ſunt enim*, inquit, *ſubverſi & ſubverſores, canes ad ſciſſionem, vulpes ad fraudem.* Hi maximè ſtudio Pontificis *corrigendi ne pereant, aut ne perimant, coërcendi.* Magnum certè onus & importabile, niſi levius illud redderet & auxilium imponentis, & ſtrenua multorum cooperatio, nec non & operis præſtantia ac neceſſitas & mercedis amplitudo.

Lib. 3. de confid. cap. 10.

Gaviſus ſum in Domino, cùm ante paucos menſes in urbe agerem pro reddenda ratione aliqualis villicationis mihi creditæ, videns (Divino utique inſtinctu) ſacram congregationem de propaganda fide, ex lectiſſimis quibuſque ſacri

Digitized by Google

cri ſenatus Patribus conſtitutam, tanto zelo, labore, ſolicitudine cooperari Summo Pontifici, ut miſſiones, pro convertendis dirigendiſque animabus, ritè inſtituantur, media omnia quærere ad promovendum opus illud Deo gratiſſimum, ac tantoperè neceſſarium. Incœpi apud me expendere (quandoquidem iſto tempore aliud obſequium perſonale paſcendis ovibus Chriſti, pro portiuncula mihi commiſſa, præſtare non licebat) an fortè ex annorum aliquot, quibus inter hæreticos pro animarum directione & converſione talem qualem operam impendiſſe videbar, experientia, non nihil conſilij poſſem ſuggerere de modo propagandi, & conſervandi fidem, præſertim inter hæreticos.

Exiguum itaque quendam & impolitum tractatum conſcripſi de hoc negotio, in iſto aliquali otio mihi tunc conceſſo, nec ullo modo erat animus mittere in lucem, imò ſuperfluum id judicabam, cum multi de eadem materiâ copiosè & eleganter tractaverint. Superatus verò ſum quorundam non parvæ authoritatis Prælatorum judicio, quibus perlectus ille noſter tractatus placere videbatur, tum ob brevitatem, tum ob candidum & minimè affectatum & involutum rei utiliſſimæ explicandi modum. Tandem eò adductus ſum, ut, non quidem typis excuſum, ſed deſcriptum offerrem ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO CARDINALI BARBERINO, quandoquidem Pontificia Majeſtas, & mea exiguitas, pudor & verecundia prohiberet tam rude & impolitum

Digitized by Google

scriptum offerre SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO, cui alioquin ratione materiæ omnino deberi videbatur.

Quia verò nunc feliciter, Deo juvante, ad partes Belgij reversus sum, aliquantulum otij nactus, instinctu amicorum tractatulum istum resumpsi, & eundem censuræ eorum, qui ad hoc constituti sunt, subjeci, ac ut typis excuderetur permisi. Confisus verò benevolentiæ & humanitati vestræ, cum omni submissione & reverentia, eundem ILLUSTRISSIMIS ET REVERENDISSIMIS DOMINATIONIBUS VESTRIS offero & præsento, ac me pariter, meaque omnia SANCTÆ ROMANÆ ET APOSTOLICÆ SEDIS censuræ ac judicio, & ILLUSTRISSIMARUM DOMINATIONUM VESTRARUM patrocinio, ac directioni ex toto corde committo. Deum orans ut ILLUSTRISSIMAS ET REVERENDISSIMAS DOMINATIONES VESTRAS pro felici regimine Ecclesiæ Dei, & propagatione SANCTÆ NOSTRÆ CATHOLICÆ FIDEI in omni bono dirigere, & ad multos annos salvos & incolumes conservare dignetur. Datum ex Monasterio FORESTENSI prope Bruxellam die 10. Martij, Anno M.DC.XXIV.

Illustriss. & Reverendiss. Dominationum vestrarum.

Humilis cliens & servus.

PHILIPPUS Archiep. PHILIPPEN. Vicar. Apostol.

AD

Digitized by Google

AD LECTOREM

BENEVOLE LECTOR.

ANimatus, *benigna adhortatione multorum magnæ authoritatis virorum, ausus fui chartis committere paræneſin quandam ad alacriter ſuſcipiendas miſſiones, ſubeundoſque labores pro propaganda Fide Catholica, convertendiſque infidelibus, Schiſmaticis & Hæreticis, ſimulque oſtendere, ad quos tales miſſiones dirigere, vel ſuſcipere maximè pertineat; quo pacto facillimè & certiſſimè haberi poſſint ſufficientes & idonei operarij, qui ad propagandam Fidem mittantur; quinam ad convertendas animas & curandas maximè ſint idonei; in quibus denique potiſſimum debeant eſſe verſati; quomodò negotium converſionis, præcipuè Hæreticorum, aggredi, quæ facere, quæ cavere.*

Conſcius ego mihi probè eram tenuitatis meæ, & modicæ ſcientiæ & experientiæ, timuique ne videri meritò poſſem temerè Doctoris & Magiſtri partes ſuſcipere, cùm vix bonus merear dici diſcipulus, cùm inſuper procul à libris & bibliotheca mea Romæ agerem: attamen religio mihi fuit votis eorum ſatisfacere, quos ingens zelus pro propaganda Fide in multis oſtenſus commendat, ut non dicam quod ſpecialis quorundam in me immeritum & antea incognitum benevolentia & beneficentia nihil non à me debuerit poſſe extorquere. Malui itaque inſcitiam meam prodere, & bonam ſaltem voluntatem oſtendere,

Digitized by Google

quàm ingratitudinis erga tantos benefactores notam incurrere.

Afferent alij magis solida, ornata, erudita, fortasse etiam nonnulli de eadem hac materia scripserint plenius, exactiùs, elegantiùs, mihi sufficerit zelum meum pro animarum salute rudi hoc scripto ostendisse, & alios ad majora aggredienda animasse. Propono, quàm clarissimè & brevissimè possum, quod ex conferentia cum pluribus in hoc opere versatis, ex varia lectione, & viginti jam annorum (quibus ferè in partibus hæresi infectis cum cura animarum, vel onere docendi alios egi) experientiâ hausi, propono, inquam, rudi ac simplici stylo, & minimè affectato, qualem materia ista requirere videtur: si quid ex hoc utilitatis sperari possit, pro Ecclesia Dei, bonam saltem voluntatem juvandi alios, habuisse me spero. Tu benigne Lector, id quod datur, eo quo offertur animo, accipere dignaberis.

TRA-

Digitized by Google

TRACTATUS
DE
MISSIONIBUS,
ad
PROPAGANDAM FIDEM
&
Conversionem infidelium & Hæreticorum, instituendis:

In quinque Patres distributus.

PARS PRIMA.

De amplitudine Dominicæ messis, & operariorum paucitate, adeoque de necessitate suscipiendi Missiones.

TANTA est Dominicæ messis amplitudo, & bonorum operariorum paucitas, ut si unquam, vel maximè nunc rogandus sit Dominus messis, ut mittat, seu potius *extrudat operarios in messem suam.*

Amplitudinem messis facilè colliget, qui intenta mentis consideratione orbem terrarum, universum perlustraverit: videbit is utique Asiam ferè totam & Africam Mahometismi & infidelitatis tenebris involutam: Americam pro maxima parte sine veri Dei cognitione paganismi erroribus immersam. Europam nostram variis hæresibus infectam & schismatibus dissectam: mundum totum omnis generis vitiis sordidatum, ita ut du-

Digitized by Google

bium vix esse possit, quin quotidie ex hoc terræ globo centena animarum millia ad inferna descendant, partim defectu solius cognitionis Dei, partim etiam defectu veri cultus eidem debiti in vera religione, adeò ut dilatet *infernus animam suam*, & aperiat *os suum absque ullo termino.*

Isaiæ 5.

Mirabitur tamen fortasse aliquis quòd magnam operariorum raritatem esse dicamus, cùm mundus plenus videatur Sacerdotibus, cùm innumera sint Clericorum collegia, nec pauciora Monachorum & Religiosorum Monasteria, cum justo personarum numero: complures insuper universitates & scholæ, ex quibus infiniti prodire possent, qui scientia imbuti, & in religione cum pietate exercitati eandem aliis instillare valerent. Sed heu quam paucos ex illis invenies zelo animarum flagrantes, & se ad opus conversionis earundem & propagandæ fidei accingentes.

Sunt enim multi ex iis, qui sufficere arbitrantur, quòd sibi & Deo vivant: non cogitantes interea periclitari salutem tam multarum animarum, pro quibus Christus mortuus est; ut non dicam etiam non esse sine periculo illos ipsos, qui sibi duntaxat vivunt, dum non cogitant, quod ait Apostolus, pro omnibus mortuum esse Christum, *ut & qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est & resurrexit*, cui si perfectè viverent, jam charitas Christi urgeret eos, ut talenta sibi credita impenderent pro salute animarum, quas lucrarentur Christo, omnem adhiberent diligentiam ad eruendos ex incendio fratres suos, qui periclitantur, ad liberandas à periculo prostitutionis sponsas Christi nobilissimas, quas *non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine* comparavit.

1. Petr. 1.

Quot etiam videas ex illis qui bene operari possent, & multum operari videntur, parum proficere? quia *quæ sua sunt quærunt, non quæ* JESU *Christi*: quot qui destruunt exemplo malo, quod ædificant verbo? quot etiam qui totos dies otiosi vagan-

Digitized by Google

gantur, magnatum aulas & palatia obsident, venantur beneficia? & cùm deberent esse piscatores hominum, fiunt piscatores præbendarum, pro quibus sæpe litigando se & sua perdunt & consumunt? quot alios videas qui languent *circa quæstiones, & pugnas verborum*, & verbum Dei sanctum negligunt vel ignorant, *ideoque sapientia in eis nulla est?* Quot reperias, qui *quæstum* existimant *pietatem, & in avaritia fictis verbis* negotiantur, & in hypocrisi loquuntur mendacium? Quot etiam præsumptuosos *volentes esse legis Doctores*, cùm non intelligant *neque quæ loquuntur, nec de quibus affirmant*, qui docent antequam didicerint; qui surgunt & ad opus advolant priusquam sederint, & in mansuetudine, humilitate, & patientia sese bonos discipulos ostenderint veritatis; vanum est certè talibus ante lucem surgere: Illuminati prius sint oportet, antequam alios illuminent: ardeant primùm, antequam luceant. 1. Tim. 1. Jerem. 2. Petr. 2. 1. Tim. 1.

Quàm multi etiam sunt, quibus cùm ex officio prædicationis munus incumbit, & cura animarum, illas negligunt, vel mercenariis oves committunt. Ipsi lac comedunt & lanis operiuntur, gregem autem suum non curant, in Ecclesiis suis non residunt: vel etiam videntes lupos venientes, fugiunt: quod infirmum est non sanant, quod confractum est non alligant, quod pingue & forte non custodiunt, quod aberrat non reducunt. Non advertentes quàm horrendum væ talibus interminetur Dominus apud Ezechielem. Ita fit nimirum ut etsi sint, qui audire gestiunt verbum Dei, desint tamen qui prædicent. Ita *parvuli* petunt *panem, & non est qui* frangat *eis*. Ioan. 18. Ezech. 34. Thren. 4.

Quid quæso consilij dicet quis, si ex tam multis Clericis & Religiosis adeò pauci tam immenso & necessario operi sese dedant?

Respondeo hoc imprimis, ut pauci illi, qui Deo excitante sponte animas suas offerunt discrimini, assu-

Digitized by Google

assumantur, & accuratè præparati ad opus Evangelij mittantur : alij exemplo illorum ad similia
Iudic.7. præstanda excitentur. Pauci illi zelo Dei & animarum ferventes non minùs poterunt Deo adjuvante pro ingenti multitudine infidelium convertenda, quàm trecenti à Gedeone assumpti milites contra maximum numerum Madianitarum, si fidei luce & charitatis ardore succensi, gladioque verbi Dei armati non parcant vasis suis testeis, id est, mortali huic corpori, sed amore Christi, qui
Ioan.3. *animam suam pro nobis posuit*, non formident, cùm opus fuerit, etiam ponere animas suas pro fratrum salute, delitias & divitias seculi non quærant, etiam necessariis moderatè utantur, sicque Deo confidentes opus hoc arduum animosè aggrediantur. Perpendant verissimum esse quod ait Gregor. lib. 1. in Ezechielem hom. 11. *Nullum omnipotenti Deo gratius esse sacrificium, quàm sit zelus animarum.*

Cogitent se ex omni Christianorum numero divinitus esse delectos, ut luminis & salis facultatem & vim erga alios exerceant, cœlestis sapientiæ luce homines illustrent, è tenebris peccatorum ad claritatem divinæ gratiæ evocent, & vitæ optimè
Matth.5. institutæ sale condiant. Quod ut præstent singularem gratiam per sacros Ordines sibi collatam attendant. Certum enim est quod Deus sacro Ordine initiatis cum onere gratiam & robur ad ferendum onus necessarium, per manuum impositionem Episcopi largiatur : unde Apostolus hortabatur Timoth. ut resuscitet gratiam quæ in ipso erat, quamque acceperat *per impositionem manuum Presbyterij*, ideoque ne in vanum gratiam Dei accepisse videamur excitanda frequenter est ista gra-
2.Epist. Cap.1. tia, & perpetuò exercenda, ad Dei gloriam nostramque & aliorum salutem. Meminerint exhibere seipsos *sicut Dei ministros in multa patientia*, in fide & castitate, cæterisque virtutibus, præsertim cùm sciant se velut civitatem in monte positam omnium oculis expositos, adeò ut nisi in rebus
2.Cor.6. sin-

singulari studio, zelo, pietate, cæteros superent, neque suo muneri, nec divinæ vocationi, nec hominum exspectationi sint facturi satis.

Componant itaq; se ad sanctos labores, summas molestias & difficultates pro salute animarū subeundas, beatos se judicent si ita se impendant, & superimpendant ipsi pro animabus, quas Christus tanto pretio redemit, & pro quib; tantopore laboravit. Matth. 7.

Facilè id fiet, si mediis illis utantur, quibus supernaturales ac infusæ virtutes omnes (quæ vera sunt juvandarum animarum instrumenta) impetrari à Deo solent; videlicet orationibus, vigiliis, jejuniis, sacrarum Scripturarum studiis, meditationibus, abnegatione proprij judicij, mortificatione propriæ voluntatis, ipsaque potissimum humilitate, quam Deus semper benignè respicere consuevit. Cùm enim in fide instructi alios & ad veram pietatem, & virtutem dirigere proposuerint, ut sint *operarij inconfusibiles*, & rectè tractent *verbum veritatis*, cum primis perfectæ animorum suorum compositioni, & vitæ integritati studere debent, cùm multo amplius exemplum bonæ vitæ, quàm scientia aut eloquentia corda hominum inflectat. 2. Cor. 12.

Diligentes igitur sint oportet non solùm in cognoscenda veritate, sed etiam in repellendis pravis cupiditatibus, tum iis quæ per sensuum illecebras homines alliciunt, tum illis quoque, quæ ad honores mundanos, vitæ commoda, & amorem divitiarum trahunt: qua de re plenius instrui possunt exemplo Christi Domini, qui antequam opus annuntiandi Evangelij aggrederetur, orationem & quadraginta dierum & noctium jejunium præmisit; *erat pernoctans in oratione Dei*, eosdemque ac septuaginta discipulos jam ad Evangelizandum mittens accuratè de virtutibus necessariis instruxit, contemptum pecuniarum, patientiam, modestiam, mansuetudinem, humilitatem, simplicitatem columbinam, ac prudentiam singularem, magnam in Deum fiduciam, abnegationem sui, obedien- Matth. 4. Luc. 6. & 9. Luc. 10. Matth. 10.

Digitized by Google

dientiam, ac fraternam charitatem, aliaque multa iis sedulò inculcans.

Et certè ante omnia amore Dei ferventes, Deoque, per spirituales exercitationes assiduas, familiares, nec non recta & sincera intentione præditi sint oportet in actionibus, rebusque omnibus obeundis, qui lucrari animas volunt, & ab omni avaritia ita alieni, ut nihil nisi Dei gloria, animarumque salus ubique ab ipsis spectetur: sint in laboribus, molestiis, adversitatibus non solùm fortes, sed etiam gaudentes, quod digni habeantur *pro nomine* JESU *contumeliam* imò & mortem sustinere. Act. 5.

Ut verò ad tam arduum opus magis accendantur, expediet frequenter cogitare quàm nobiles sint animæ, quanta earum dignitas pro quarum salute Filius Dei descendit de cœlis: *venit enim Filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat,* pro quibus Christus Dominus tantopere laboravit in terris nec ipse solus, sed & Apostolos piscatores hominum fecit, septuaginta duos discipulos iisdem adjunxit, ut pro salute animarum laborarent; quarum salutem adeò sitivit, ut pro iis non dubitarit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Quis enim alius fuit finis omnium laborum Christi? quis alius profusi pretiosissimi sanguinis scopus? quis crucis & mortis ejus fructus, nisi salus animarum? Quam præclara verò res est adimplere *ea quæ desunt passionum Christi in carne sua, pro corpore ejus, quod est Ecclesia?* & in tam præcellenti opere Dei cooperatores existere? quo nihil in terris nobilius cogitari potest, neque gratius Deo sacrificium offerri? Luc. 19. Luc. 10. Ad Col. 1.

Profuerit quoque ante oculos mentis sibi perpetuò ponere *immarcescibilem gloriæ coronam* quam Princeps Pastorum mercedis loco donabit illis, qui diligenter huic operi incubuerint. Sæpè cogitare illud Jacobi, *qui converterit peccatorem ab errore viæ suæ, liberabit animam ejus à morte, & operiet mul-* 1. Petr. 5.

Digitized by Google

multitudinem peccatorum. Contra verò quod horribiles pœnæ paratæ sint illis, qui ad tanta vocati segniter & infideliter laborarint, aut talentum sibi creditum in terra absconderint, vel suа negligentia vel culpa occasionem dederint, ut pretiosissimi Christi sanguinis fructus in ipsis, aliisque periret. Iacob. 5.

Matth. 9. 3.

Non minorem stimulum addet ad accingendum sese ad opus salvandi animas, si consideremus quàm horribilem animarum stragem generis humani hostis Sathanas faciat? quantam in istis perdendis adhibeat diligentiam? quanta alacrirate, laboribus, vigiliis scelerati illi ministri hæretici & infideles opus diaboli promoveant, & veritatis lucem excludere nitantur. Nunquid turpissimum erit ministros Christi, à Sathanæ ministris superari? An quia numero superamur, ideo animo deficiemus? Absit. *non est* enim *difficile* Deo *servare in multis vel in paucis*, fortior est qui pro nobis est, quàm illi, qui contra nos.

1. Reg. 14.

Si filij lucis esse studuerimus, & sal terræ, velut una facula locum quantumlibet amplum illuminabimus suprà candelabrum positi, & facilè adinstar modici salis multos cibos condiemus. An non videmus quomodo frequenter unus pius & fervens concionator totam civitatem, imò regna integra ad bonum succenderit? Unus confessarius doctus & prudens totam civitatem ad viam bonam induxerit? unus Doctor plurimos ab errore revocarit? unus D. Petrus Judæam, Samariam, Antiochiam, Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam, Bythyniam, Italiam, adeoque urbem mundi Dominam Romam implevit Evangelio, & multis locis Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ prædicatores Evangelij misit, & Episcopos destinavit.

Matth. 5.

Unus D. Paulus replevit *ab Jerusalem* totam Syriam, Asiam, *usque ad Iliricum*, & quidem ut plurimum illis locis, ubi nondum fuerat Evangelium. Unus ferè Bonifacius Germaniam. S. Wil-

Rom. 15.

libror-

Digitized by Google

librordus, cum paucis sociis, majorem partem Belgij convertit : & paulò ante nostra tempora quid non potuit præstare Beatus Xaverius apud Indos, alijque in novo Orbe. Dominus scilicet eorum zelum excitabat, vires augebat, cooperabatur, & ser-
Psalm 67. monem confirmabat : ipse enim prædicatores suos quos mittit sequitur, & *dat verbum Evangelizantibus virtute multa* : dat *os & sapientiam cui non pos-*
Luc 21. *sint resistere*, neque *contradicere omnes adversarij.*

Quia ampla est messis, quia spiritualium bonorum magna egestas, quia tam extrema tot millium animarum necessitas, & pauci ministri qui sancto zelo accensi, neglectis suis commodis, terrenisque utilitatibus solam Christi gloriam & animarum salutem spectant, ideo magis illis paucis contendendum est, ne & ipsi officio desint, & allaborandum ut numero crescant, & merito. Excitabunt itaque se, & alios incitabunt dicentes, Si quis est Domini jungatur nobiscum: confortabuntur utique in Domino Sabaoth cujus prœlia prœliantur. Respiciant Christum ducem & remuneratorem. Apostolos
Hebr. 19. comites & comprecatores. Memores sint Sanctorum qui nos docuerunt verbum veritatis, horum exitum intuentes imitentur fidem, labores, vigilias, persecutiones, passiones.

Certè si perpendamus ingentem numerum, & miserrimum eorum statum qui ignorantiâ veræ fidei laborant, & in peccatis gravibus vivunt, ad inferna præcipites ruunt, si tam multos respiciamus alias non malæ indolis aut voluntatis homines, solùm defectu instructionis vel excitationis perire, quomodo non commovebimur intimis visceribus ad tales juvandos, instituendos, reducendos, & ab interitu liberandos?

PARS

PARS SECUNDA.

Ad quos proprie pertineat Missiones instituere, & suscipere, ad procurandam salutem animarum.

HACTENUS pro instituto nostro satis multa diximus de messis Dominicæ amplitudine, & operariorum paucitate, ad excitandum nos & alios ad adeò præstans, necessarium & meritorium opus conversionis animarum, vel propagandæ fidei. Restat ut videamus *Primò* ad quos proprie ex officio pertineat cura propagandæ fidei, & procurandæ salutis animarum. *Secundò*, quo pacto commodissimè & citissimè haberi possint multi idonei operarij ad salutem animarum procurandam. *Tertiò*, quomodò in conversione infidelium & præsertim hæreticorum sit procedendum.

Ad *primum* quod attinet, quamvis nullus omnino qui talentum aliquod à Domino accepit, à procuranda salute proximi excludatur: *unicuique* enim *Deus mandavit de proximo suo*, non solùm in corporali necessitate, sed vel maximè in spirituali, juvando; Attamen nemini dubium esse potest, quin cura adducendi oves ad ovile Christi, easque pascendi & dirigendi in primis ex officio conveniat Summo Pontifici, qui, utpote Vicarius Christi, & successor D. Petri universalis omnium Pastor est. Huic namque in Petro dictum est à Christo, *Si diligis me, pasce agnos meos.* Id est non so- Ioan. 21.
lùm ovium, id est, Pastorum & Episcoporum, qui alios mihi gignunt & lucrantur; sed etiam agnorum, id est, quorumcumque aliorum fidelium, qui necdum alios lucrifacere norunt, curam habe. In eis colligendis, adducendis ad ovile, revocandis, pascendis, curandis & dirigendis, quod me verè ames, declarabis.

Digitized by Google

Similiter Petro ostenso linteo quatuor initiis cœlitùs demisso *in quo erant omnia quadrupedia & serpentia terræ, & volatilia cæli*, dictum est *surge, occide, & manduca.* Id est Spiritualiter interfice, in his immundis gentilibus, per quatuor orbis partes dispersis, vitam præteritam, & fac ut transeant, in corpus Ecclesiæ, in quo novam vitam sortiantur. Tu tanquam caput Ecclesiæ infideles converte, ex non ovibus oves fac, & Ecclesiæ membra effice. Quod in Cornelio ejusque familia statim fieri
Luc. 5. cœptum est. Soli quoque Petro & ejus Successoribus competit ducere in altum, mittere prædicatores per universum mundum, aliisque cooperatoribus simul cum Petro mandatur ut laxent retia in capturam. Quibus & ante dictum fuerat. *Veni-*
Matth. 5. *te post me, faciam vos fieri piscatores hominum.*

Hoc Petri officium omnes Sancti Patres agnoverunt. Hoc sibi propriè competere Petri successores quovis tempore declararunt, cum Episcopos & Pastores Ecclesiis quaquaversùm miserunt. Et de gentium conversione soliciti, per omnes orbis partes prædicatores destinarunt: qui in difficultatibus ad successorem Petri recursum habuerunt, adeò ut etiam legamus D. Paulum, qui à Deo non per hominem vocatus erat Apostolus, voluisse as-
Ad Gal. 1. & 2. cendere Hierosolymam ut videret Petrum & conferret cum eo Evangelium quod prædicabat in gentibus, ne fortè in vanum curreret, aut cucurrisset. Ad quoque à Petri successore legitimè constitutos vel missos curam convertendi animas, & propagandæ fidei ex officio spectare manifestum est. Sunt enim successores Apostolorum, quos Christus Dominus piscatores hominum constituit, & sunt à Principe Pastorum in partem solicitudinis vocati, mandatumque habent attendere sibi *& universo gregi: in quo Spiritus Sanctus* ipsos constituit *Episcopos, regere Ecclesiam Dei.* Ipsorum est ordinare & constituere per civitates Presbyteros, animarum curatores, qui secundùm gra-

Digitized by Google

gratiam, sibi per impositionem manuum datam collaborent S. Evangelio, errantes adducant vel reducant, stantes conservent, gregem sibi commissum curent. His subserviunt in suo ordine Diaconi, Subdiaconi, alijque inferioris Ordinis ministri, in quibus apparet ordo Ecclesiæ Hierarchicus, & pulcherrima politia, ratione cujus Ecclesia dici potest ut castrorum acies ordinata. Actor. 20. Tit. 1.

Hunc ordinem clarè commendat D. Paulus, dicens, *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi.* Hierarchicum hunc ordinem in Ecclesia à Christo & Apostolis institutum ostendebat & commendabat S. Ignatius Antiochenus Episcopus, scribens Philadelphensibus, Magnesianis, Smirnensibus, Philippensibus, ac præcipuè Ephesiis, ac Trallianis, ad quos ita ait, *Enitimini charissimi subjecti esse Episcopo & Presbyteris & Diaconis qui enim his obedit, obedit Christo qui eos constituit, qui his reluctatur, reluctatur Christo* JESU. *Episcopo enim subjecti estis velut Domino, sed & Presbyteris subjecti estis ut Christi Apostolis, &c.* Et infrà. *Quid verò Sacerdotium est aliud quàm sacer cœtus, consiliarij & assessores Episcoporum? quid Diaconi quàm imitatores Angelicarum virtutum qui purum & inculpatum ministerium exhibent, ut S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus, & Clemens Petro? Qui his igitur non obedit atheus & impurus est, & Christum contemnit & constitutionem ejus imminuit.* Et ad Smirnenses. *Non licet* (inquit) *sine Episcopo baptizare, vel offerre, neque sacrificium immolare, Laici Diaconis subjiciantur, Diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, ut ipse Patri.* Ignatij Epistolæ ad Trallanes. Ignatij Epistola ad Smirnenses.

Similia legere est apud S. Dionysium Ariopagitam, & alios Sanctos Patres; Neque ulli veterum in ordine hoc Hierarchico alios, saltem inter Rectores & Præsides, ex vi status, agnoverunt, quàm Vide Dion. de Ecclesiastica Hierarchia.

Digitized by Google

Clericos, per quos à tempore Apostolorum, & multò post, Ecclesia Dei aucta, conservata & directa est, ita ut etiam Monachi sub directione Episcoporum quoad disciplinam Ecclesiasticam fuerint. Assumpti tamen sunt postea aliqui ex Monachis ad Clericalem ordinem, quorum vita & excellens doctrina id merebatur. Unde Hieronymus ad Rusticum Monachum; sic inquit, *sic vive in monasterio, ut Clericus esse merearis.* Et infrà *Multo tempore disce quæ postmodum doceas. Quod si populus vel Episcopus te in Clericum elegerit, age ea quæ Clerici sunt.*

Hieron. ac Rusticum Epist. 4.

Unde constat Monachis, ut Monachi sunt, onus curæ animarum, vel propagandæ fidei ex officio non convenire. Quamvis teneantur communi omnibus Christianis obligatione pro suo modulo promovere negotium salutis animarum, orando, pietatis exempla præbendo, & cùm occasio se offert, monita salutis proximis dando: Sicut etiam in suo ordine Reges & Principes Domino servire tenentur ad propagàtionem fidei, authoritate sua, potentia, & mediis temporalibus Ecclesiæ cooperando, & impedire volentes compescendo.

Ex officio nihilominus id incumbit Episcopis, Pastoribus, aliisque Presbyteris Curatis, qui ab iis ad hoc onus ordinantur & destinantur. Hi enim sunt Successores Apostolorum, & 72. Discipulorum, scilicet juxta Glossam dicentem: *Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in 72. forma est Presbyterorum secundi ordinis.* Qui, ut rectè docet D. Thomas opusculo de perfect. vitæ Spirit. Et contra impugnantes Religionem, sunt Presbyteri Curati, & Parochiales. His Dominus dicit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et, *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Hi sunt de quibus Dominus apud Prophetam ait: *Ecce ego mittam piscatores multos, & piscabuntur eos, & post*

Beda Lucæ 10.

cap. 26. cap. 4.

Marc. 26.

Matth. 28.

Jerem. 16.

Digitized by Google

post hoc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum.

Quamvis non ignorem, hæc etiam prædicta fuisse, de omnibus aliis in Pastorum adjutorium postea assumptis: Cùm (ut S. Augustinus scribit ad Hesychium) non jusserit Dominus Apostolos ipsos solos prædicationis munus implere; sicut non propter solos dictum est, sed propter universam Ecclesiam: *Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Ac proindè id officium adimpleri voluerit, etiam per omnes quotquot futuri, ex quovis statu, erant Verbi Dei Præcones, & Sacramentorum administri. Unde etiam Sanctus Hieronymus, Venatores illos Hieremiæ, explicat de quibuscunque Ecclesiasticis & Religiosis viris. *Primùm*, inquit, *mittit Apostolos, quibus Salvator dixit: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum. Et postea Venatores: quos vel Ecclesiasticos viros, vel Angelos possumus accipere.* Matth. 18. Matth. 4.

Et sanè primis illis temporibus, cùm nondum essent eo modo, quo nunc sunt, Regularium Congregationes, fides propagata est, & animarum cura habita per Seculares Clericos: usque dum in oriente S. Basilius, in Occidente Eusebius Vercellensis Episcopus; S. Martinus in Gallia, & Beatus Ambrosius Mediolani; S. Augustinus in Africa quosdam ex Clericis suis monasticis exercitiis simul imbuerent, iisque exercitatis, ac ad Diaconatum, vel Sacerdotium, aut etiam Episcopatum promotis, curam animarum committerent. Idquè collabascente jam in Secularibus Clericis Apostolicæ vitæ vigore; nam primis temporibus vix ulla fuit inter modum vivendi Regularium Sacerdotum & secularium differentia, ut patet ex Concilio Aquisgranensi sub Stephano Papa V. Sed crescente numero fidelium, cùm Clerici minus oneribus sufficerent, Monachi quidam ad Clericalem Ordinem & Sacerdotium promoti, & tanquam coad- Concil. Aquisgranense sub Stephano V. & 12. quæst. 1.

Digitized by Google

cap. Clericus cum capit. Sequentib.

jutores sunt assumpti, cùm nimirum laborantibus Clericis in remigando, & piscando rumpebatur rete, propter exorientes hæreses & schismata, circa tempora Constantini Magni, & propter multitudinem piscium copiosam: tunc enim annuerunt Clerici Religiosis sociis, qui erant in alia navi, ut venirent & adjuvarent eos, compatiendo animarum periculis.

Lucæ 5.

Multò magis verò auctâ tempestate in novissimis temporibus ex multiplicatione peccatorum, & numerositate rudium populorum, & seductione hæreticorum, & raritate bonorum, & difficultate regendi, & insufficientia Prælatorum, & perplexitate casuum emergentium, & aliorum periculorum Ecclesiæ imminentium ex variis eventibus Sedes Apostolica, ad obviandum præfatis periculis, remedium animabus pereuntibus administrando, Religiosos quosdam Ordines approbavit, qui officio prædicationis & confessionis sibi commisso, subveniant indigentiæ populorum, & insufficientiæ Clericorum, & obsistant versutiis hæreticorum, & hoc in solatium & sublevamen oneris, non in præjudicium Plebanorum, ut rectè scribit D. Bonaventura, in Tractatu quare Fratres Minores prædicent, monens Rectores Ecclesiæ ut imitentur Deum, qui etsi omnia per se possit; dignatur tamen in quibusdam operibus suis habere coadjutores & Vicarios.

D. Bonavent. in Tractatu quare F. Minores prædicent.

D. Thom. opusc. 19. c. 4. & 2. 2. q. 187. artic. 1.

Verissimè etiam docet D. Thomas; Stultam esse opinionem dicentium, quod status Religionis impedimentum adferat prædicandi ac confessiones audiendi; quinimò fatendum est, quòd quò sanctiores & magis mortificati Religiosi fuerint, eò erunt ad prædicta munia aptiores, si nimirum sufficienti doctrinâ sint instructi, & nihil nisi Dei gloriam & animarum salutem quærant, sintque castitatis, humilitatis, & obedientiæ tenacissimi. Ad munia dico prædicandi & confessiones audiendi, catechizandi, ægros visitandi, & similia; nam

Digitized by Google

nam ab iis quæ nunc propriè paſtoralia ſunt, ut baptizare, extremam unctionem dare, matrimonia ſolemnizare, jure ipſo ſub ſtrictis pœnis prohibentur in locis, ubi ſunt Paſtores, vel alij Sacerdotes ad hoc deputati. Nec mirum, quia non eſt illa propria eorum functio, ſed Paſtorum, quamvis gratioſè aliquandò ad paſtoralia exercenda Religioſi admittantur, modò agnoſcant ſe aſſumptos ut coadiutores Epiſcoporum & Paſtorum.

Porrò abſolute aſſerere quod poſt Epiſcopos Religioſis maximè ex officio conveniat cura animas juvandi, vel trahendi ad fidem, non videtur veritati conſentaneum. Certum eſt enim principalibus magis illud onus incumbere, quàm in adjutorium aſſumptis; maximè cùm etiam Religioſi, non tam ut Religioſi, quàm ut Clerici & Sacerdotes in ſubſidium aſſumantur in concionando & confeſſiones audiendo. Unde in Concil. Tridentino decernitur ut nullus Presbyter etiam Regularis poſſit confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad hoc idoneus reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen, (ſi illis videatur neceſſarium) aut aliàs, idoneus judicetur, & approbationem obtineat: & qui ex illis curam animarum exercent ſubſint immediatè, in iis quæ ad dictam curam, & Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, juriſdictioni, viſitationi, & correctioni Epiſcopi diœceſani. Imò ſtatuit idem Concilium, ut *Regulares in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare volentes, ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Eccleſiis verò, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, nullo modo prædicare poſſint ſine Epiſcopi licentia: Contradicente autem Epiſcopo, nulli etiam in ſuorum Ordinum Eccleſiis prædicare præſumant.* Quam Sacri Concilij conſtitutionem, Gregorius Papa XV. ſel. record. ſpeciali conſtitutione ſtabilivit, & auxit Epiſcoporum in Religioſos, in prædictis delinquentes auctoritatem.

Concil. Trident. Seſſ. 23. cap. 15.

Concil. Trident. Seſſ. 5. cap. 10. & Seſſ. 24. cap. 4.

Conſtitutio Greg. XV. De Exemptorum Privilegiis

Digitized by Google

circa animarum curam & Sacramentorum administrationem, & prædicationem Verbi Dei.

Unde satis constat curam animarum non propriè ad Religiosos, sed ad Curatos pertinere, quamvis aliquando Religiosi ex privilegio eam exercere permittantur, vel etiam, tantum exigente utilitate Ecclesiæ, ad Episcopatus & Pastoratus assumantur. Quæ assumptio Monachorum ad concionandum præcipuè, vel confessiones audiendas facta est, ut diximus, Prælatis & Pastoribus vel sub onere deficientibus, vel prædicationis munus, Episcoporum proprium, & populo summè necessarium, negligentius exercentibus, quàm negligentiam in eis emendatam voluit Conc. Trident.

Concil. Trident. Sess. 5. cap. 2. Mandans *Episcopis, ut quandoquidem proprium eorum officium sit populo prædicare verbum Dei, ut, si fieri possit per se, alioqui si legitimè impediantur, per alios idoneos verbum Dei prædicent.* Et similiter mandat *Parochis ut plebem sibi commissam, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea quæ scire omnibus ad salutem necessarium est, saltem diebus Dominicis & Festis solemnibus concionando.* Ad infideles autem convertendos missi sunt Religiosi, ut prædicatione verbi Dei eos ad Ecclesiam adducere niterentur; adductos autem Episcopis & Pastoribus, Ecclesiarum Rectoribus, relinquerent ulterius dirigendos, nisi fortè aliqui ex ipsis ad ordinem Episcoporum vel Pastorum sint assumpti, quo casu à multis Religionis suæ propriis officiis eximuntur, ut utilius Ecclesiæ deserviant.

Nec diffitendum est, quin per Religiosos plurimæ gentes, & Provinciæ olim sint conversæ, & multa animarum millia ad Christum adducta. Sic in Anglia egregiè laboravit Augustinus cum sex Monachis à S. Gregorio Papa eò missus. De Willibrordo etiam ac duodecim sociis. Item de Bonifacio, Ludgero, Willehado, Plechelmo, Wirone, aliisque de familia S. Benedicti clarum est, quod Germaniam, Belgium, Frisiam, Westphaliam Evangelio repleverint. Item de pluribus ex eodem ordine, & ex ordine Mendicantium, ac Sociata-

Digitized by Google

cietatis JESU quod ad Indos, Japones, Chinenſes, Americos, Perſas, & alia loca miſſi ſint. Sed mirum non eſt creſcente meſſe, & ſpe meſſis, plures operarios aſſumptos in ſubſidium Cleri, qui non ſufficiebat deſervire tot Epiſcopatibus & Parochiis, & ſimul infidelium converſioni vacare.

Quanquam non defuerint etiam quovis tempore Clerici ſeculares, qui ſe iſtis miſſionibus ſtrenuè impenderunt. Et præcipui quique Monachorum, qui fructum in converſione animarum fecerunt, ut utilius id facerent, ad Epiſcopatus ſunt promoti, ut de S. Willibrordo, Bonifacio, Ludgero, Plechelmo, aliiſque certum eſt, qui cum ſocijs ſuis Presbyteris & Diaconis vitam Regularem quidem, ſed non multum diſſimilem illi, quæ in primitivo Clero in uſu erat, duxerunt.

De moribus Cleri primitivæ Eccleſiæ multa habentur in capit. Clericus & ſeqq. 11. q. 1.

Porrò jam ſemel ordine Hierarchico in locis, per prædicationem ad Eccleſiam adductis, conſtituto, ſemper penes Epiſcopos, Canonicos Cathedrales velut Epiſcoporum conſiliarios, Paſtores, alioſque ſeculares Presbyteros, fuit directio & cura animarum, & regimen Eccleſiæ, adeò ut etiam in locis, ubi nullæ ſunt Eccleſiæ Cathedrales, ſed tantum Collegiatæ, aut Parochiales, ſemper dignior locus in conventibus publicis, & Proceſſionibus ſeculari Clero fuerit attributus, nec licuerit etiam Religioſis, qui Epiſcopi vel Paſtores non erant, baptizare, Euchariſtiam moribundis, vel in Paſchate adminiſtrare, extremam Unctionem infirmis dare, vel Matrimonio fideles jungere, niſi de licentia Epiſcopi, vel proprij Parochi. Quòd autem ex privilegio multa præſtent, præſertim in miſſionibus ad infideles, non eſt mirum, quia Princeps Paſtorum Sum. Pontifex, & Ordinariorum ordinarius, attentâ perſonarum & locorum neceſſitate, meritò ſic diſponere potuit & debuit, ut optimè propagandæ fidei, & ſaluti animarum eſſet proviſum.

Jam verò ſicut Eccleſia juſtiſſimè damnavit opinio-

Digitized by Google

nionem cujusdam Wilhelmi, ejusque sequacium, qui contendebant non licere Monachis studere, ad populum concionari, vel pœnitentium confessiones audire, ita nec Ecclesia unquam probavit Religiosorum quorundam immodestiam, quâ se tanquam aptiores ad munus concionandi, vel confessiones audiendi jactantes, contra Episcoporum & Parochorum voluntatem, & in eorum præjudicium, voluerunt se veluti propriâ auctoritate, ad prædicta ingerere; Pastores & Presbyteros seculares tanquam minùs idoneos traducendo.

Quorum agendi modum adeò improbabat S Franciscus, ut jusserit suis, ne contra ullius, vel minimi Pastoris ruralis voluntatem concionari attentarent, & S. Xaverium, scribit Horatius Turcellinus, exclamare solitum; *O arrogantia, venenum Christianæ virtutis quantum obfuisti, obes, & obfutura es orbi terrarum! quàm es instituto, & perfectioni Societatis* JESU *contraria.* Et infrà de eodem ait. *Negabat quemquam germanum Societatis* JESU *alumnum esse, ac Deo fidelem operam navare posse, nisi contemptorem sui, & de se ipso, suisque rebus abjectè loquentem:* Item eodem capite. *Exigebat à Sociis ut non conciones haberent ad populum, non Societatis munia obirent, nisi ab Episcopo ac Vicario factâ potestate, neque permitterent ut Præpositi Ecclesiastici talibus ministeriis jure offenderentur, &c.* In regulis quoque Societatis tit. de Missionib. artic. 7. scribitur. *Cùm ingressi fuerint loca ea, in quibus ordinarij residunt, eos quàm primùm adeant, suamque operam eis submissè offerant & facultates ad exercenda Societatis ministeria modestè & religiosè petant. Eosque omnes tam Ecclesiasticos, præcipuè Parochos, quàm Seculares, quorum authoritate, aut favore opus habent, benevolos sibi facere studeant.* Quâ certè modestiâ utendo Religiosi, bona cum gratia Cleri, & magna ædificatione populi munia prædicandi, catechizandi, confessiones audiendi ubique obeunt.

Turcellin. lib. 6. c. 8. de vita B. Xaverij.

Regula Societatis Tit. De Missionum. Num. 7.

Esto

Esto autem in aliquibus Clericis & Religiosis negligentia non modica & disciplina collapsa videatur; non inde fit, ut ad fidem propagandam, animasque curandas non teneantur; sed emendari debent, & allaborare, ut rectè satisfaciant officio suo, ad antiquam se conformando disciplinam, instar primitivi & Apostolici Cleri. Neque verò paucorum tepor & socordia, veræ pietati aliorum, qui amore Dei & proximi feruntur suoque munere funguntur, officere debet.

Videmus (laus Deo) in plurimis Sacerdotibus secularibus hoc tempore antiquam pietatem reflorescere, dum operi propagandæ fidei se dedunt, opes & beneficia spernunt, honores contemnunt, labores & pericula intrepidè pro amore Dei & proximi subeunt, gregi suo invigilant. Concionibus, confessionibus audiendis, catechizando, aliisque muneribus se occupant. Episcopis suis accuratè obediunt, castitatem, & sanctimoniam servant. Memores quòd etsi fortasse in statu perfectionis non sint per professionem, ut Monachi, sint tamen in ordine, qui interiorem perfectionem requirit, ad hoc ut dignè actus illius exerceatur, ut ait D. Thomas. Nemo enim dubitat Sacerdotium longè excellentius esse Monachatu à Sacerdotio separato, adeoque Sacerdotes & Levitas, Monachis & Eremitis ab Ecclesia præferri. *Thom. 2. 2. quæst. 14. art. 6.*

Nemo tamen negat, vel negare potest quin ex Religiosis Ordinibus quovis tempore multi viri Sancti prodierint, qui in integris regnis provinciisque convertendis non mediocrem fecerunt fructum, & ex his multos dignos habitos, qui ad Episcopalem gradum promoverentur. Nemo etiam negare potest, quin multi Episcopi & Sacerdotes non Religiosi optimè hac in parte suo officio functi sint, & Clericalem Ordinem plurimùm cohonestarint, spiritumque perfectionis diu in Clericis & Sacerdotibus foverint. Ad hoc itaque laborandum est, ut spiritus ille Apostolicus resuscitetur,

Digitized by Google

tur, & modus inveniatur quo plures idonei ministri, tum Clerici, tum Religiosi formentur, qui Apostolicum Evangelizandi, fidemque propagandi munus strenuè obeant, & fructum plurimum in tam ampla messe Dominica colligant.

Quamvis autem ego me non ejus judicii, eruditionis, aut experientiæ esse existimem, ut modum suggerere possim quo vigor ille Apostolici spiritus queat resuscitari in Sacerdotibus & Ecclesiæ ministris, & docere quomodo brevi plures possint haberi operarij idonei, qui utilissimè pro fide propaganda, & hæresibus ac schismatibus, aliisque vitiis extirpandis laborent, tamen submittendo me judicio Ecclesiæ, & omnium melius sentientium, id quod ex aliquali experientia, majorum doctrina, & varia inquisitione habere potui, libenter aperiam.

Pars Tertia.

De modo quo brevi & facile plures idonei operarij ad procurandam salutem animarum haberi possint.

IN primis itaque, quamvis Deo sic dirigente in Summis Pontificibus semper apparuerit singularis cura & providentia circa fidem propagandam, hæresesque & schismata extirpanda (nam id maximè ad ipsorum officium spectare, qui ad clavum & gubernaculum Ecclesiæ sedent, clavesque sibi commissas possident, supra ostendimus, cùm per omnes mundi partes prædicatores ab eis missos pro conversione gentium, & fidei propagatione declaravimus) hoc tamen tempore non sine peculiari instinctu Spiritus Sancti factum puto, ut sancta illa congregatio de propaganda fide institueretur, in qua Sum. Pontifex cum delectis ad hoc Cardinalibus, aliisque Prælatis in istam con-

gre-

Digitized by Google

gregationem assciptis, singulariter ad necessitates spirituales singularum per orbem nationum attenderet, operarios ad conversionem infidelium mitteret, iisque de animarum curatoribus, animæque pabulo provideret, difficultates in missionibus exorientes componeret, Sacerdotes in iis laborantes confortaret, fideles inter hæreticos & schismaticos agentes animaret, & in his, ac similibus pastoralem curam, & paternam solicitudinem commodius impenderet, efficacius demonstraret, frequenter eum in finem conventus instituendo.

Pro habendis verò brevi tempore multis idoneis operariis primùm delectus esset faciendus circa Clericos tam seculares quàm Regulares (nec enim omnes missionibus conveniunt) singulorum inclinationes, conditio, complexio, vires, desideria, accuratè à superioribus essent investiganda, doctrina examinanda, mores perspiciendi, ut qui in Scriptura Sacra, & Patrum doctrina optimè essent versati, zelo Dei & animarum præ cæteris ferventes, benè mortificati, obedientes, humiles, contemptores honorum, divitiarum, & voluptatum, non sua, sed quæ JESU Christi sunt quærentes, parati & apti ad labores, molestias, inedias, contemptus, & contumelias & durissima quæque pro Christo toleranda, illi missionibus destinentur. Diligentissimè quoque vocatio consideranda, an cœlestis sit, an verò ex apprehensione fortuita, vel desiderio executiendi jugum Superiorum aut Religiosæ disciplinæ, an alio quovis humano fine.

Et certè maximè necessarium videtur, ut Prælati Religionum circa hæc attenti sint; ne fortè (quæ est humana fragilitas) qui peterent mitti, inquieti essent & instabiles; aut obedientiæ & clausuræ parum amantes, aut periculorum seculi inexperti; aut spiritu tepidi; aut semetipsos virosque suas non benè agnoscentes, præmaturè missionem efflagitarent. Unde populis scandalo esse

magis

magis quàm exemplo; & sibi perniciem potius & naufragium, quàm progressum in virtute, & salutem afferre facilè possent.

Magno itaque delectu utendum est Prælatis Religiosorum, ne exponant infirmos tantis periculis; orentque Deum pro dono discretionis Spirituum. Porrò Dei implorato auxilio, & præmissis spiritualibus exercitiis ad discernendum Spiritum, Deique vocationem cognoscendam accommodatis, & adhibitis humanæ prudentiæ mediis, illi qui idonei missionibus judicabuntur, separandi erunt ad prœlium Domini, alij, quorum longè major numerus, relinquendi ad sarcinas, ut fratres suos prœlia Domini prœliantes orationibus juvent, hymnis, laudibusque divinis vacent, & alia monasticæ vitæ exercitia obeant.

Jam verò exiguo sumptu fiet, præsertim in Ordinibus Mendicantium & Societatis JESU, ut per Generales Ordinum selectioribus illis, duo, tria, vel plura Collegia, vel Monasteria locis maximè oportunis deputentur, in quibus ipsis de bonis præceptoribus provideatur, qui in S. Scriptura, linguis, controversiis, aliisque requisitis ipsos erudiant, & in virtutibus missioni convenientibus exerceant, donec post duos vel tres annos de facto ad opus mittantur. Posset in singulis provinciis, ubi plures conventus sunt unus conventus ad talem scholam deputari, pro cujus sustentatione alij contribuerent sine notabili suo præjudicio. Atque ita utcunque magnus numerus Religiosorum ad missiones idoneorum intra tres annos esset ad manum.

Benedictinis, aliisque Ordinibus magis contemplationi deditis, si pro suo modo simile quid attentare velint ad juvandas animas, non erit difficile; & certè laudabiliter Benedictini sæpè, & magno cum fructu miserunt idoneos in Germaniam, Belgium, Angliam, Scotiam & circa nostra tempora in Indiam.

Ad

Digitized by Google

Ad opus jam missionis accincti Sedi Apostolicæ arctissimam obedientiam voveant & servent, studeant quotidiè pia proposita renovare, conceptum fervorem fovere, vacent orationi; sint *in timore, & præparent animas suas ad tentationes*; potissimum habeant curam pauperum, quibus Evangelizare se missum dicit Dominus; divitibus non adulentur, sed doceant eos non confidere *in incerto divitiarum*, sed curare *ut divites sint in bonis operibus*, miseriam pauperum sublevent. Curent quoque qui mittuntur vel maximè abstinere ab omni avaritia; nam ut rectè dicere solebat Beatus Philippus Nereus: *Qui vult fructum facere in anima, contineat manus suas à bursa*: accipiendo enim munera libertas perditur, præbeant se omnibus humilitate, mansuetudine, benignitate, continentia, & abstinentia commendabiles: non studeant placere hominibus sequendo laxiores sententias, sequantur potiùs tutiores, & paulatim majorem invenient apud omnes auctoritatem, ut in Anglia suos expertos fuisse testatur Cardinalis Alanus, & in Hollandia Sacerdotes passim experiuntur, quod quò plus hominibus indulgetur, relaxando rigorem Ecclesiæ circa jejunia, Festa, & similia quæ ad domandam carnem conducunt, eò deteriores evadunt. Sicubi ad loca devenerint ubi Episcopi vel Pastores, aut Sacerdotes seculares agunt, cum omni benignitate & humilitate operam suam illis offerant. Sic enim modestè agendo, gratiam majorem apud ipsos, & omnem populum invenient: Certè S. Xaverius etiam facultate Legati Apostolici munitus tamen se semper Episcopis subjecit, & non nisi summa injuria affectus, & necessitate pressus literas suæ potestatis legitur ostendisse, ideoque omnibus gratus fuit.

Ecclesiastici 2.

Lucæ 5.

2. Tim. 6.

Turcellinus in vita S. Xaverii.

Existimaverim salvo meliori judicio Religiosis magis convenire missiones ad illa loca, quæ primùm ad fidem ducenda sunt; habent enim majores oportunitates, & minora impedimenta modum-

Digitized by Google

dumque commodiorem in partes illas intrandi, & ad se insinuandum, aliisque viam præparandum, præsertim cùm ipsi de loco ad locum volent, ipso habitu & nomine Religionis facilius acceptentur; nec se dent ordinariæ curæ pastorali, in qua fixè permaneant. Locis itaque ab iis præparatis submittendi essent Pastores ex Clero seculari; quos tamen ibidem, & alibi, præsertim ubi hæreses vigent, per Religiosos juvari utilissimum erit, & omnibus bonis Pastoribus gratissimum. Ubi verò Pastoribus semel constitutis superveniunt, offerant sua auxilia; nonnunquam de rebus spiritualibus, & modo illic utiliter laborandi benignè conferant, usitatæ & approbatæ praxi se conforment: Pastores populo commendent potiùs, quàm labores ipsorum deprimant, atque ita plurimum fructificabunt in Domino, & in necessariis vitæ subventionem promptiorem invenient.

Multum quoque ad pacem cum secularibus firmandam proderit, si sua non immodicè jactent, sed humiliter de se sentientes, etiamsi zelo frequentius concionandi, vel Sacramenta administrandi æstuent, quando monentur ex causa, non nihil sibi temperent, & à functionibus alioqui utilibus abstineant, & meminerint quod spiritus Pro-
2. Cor. 14. phetarum subjecti debeant esse Prophetis. Sed de Religiosis hactenus, qui utinam spiritu ferventes, & humilitatis & obedientiæ observantes, ita sint, ut ad animas vitiorum cœno obrutas, & infidelitatis tenebris obcœcatas, ad virtutis puritatem, lucemque veritatis revocandas, necessarium est.

Quod ad Clerum, quem vocant secularem, attinet, hunc, si ad normam primitivi Cleri reformatus esset, maximè idoneum judicarim ad missiones pro propaganda fide; quia aptissima esset ipsorum conversatio & ratio vivendi: non solùm lucrandis animabus, sed etiam iisdem ad fidem adductis, pastorali cura fovendis & dirigendis; haberentque Apostolicas illas virtutes, quibus tempore

Digitized by Google

pore Apostolorum & centenis aliquot annis postea Ecclesiastici viri floruerunt, fidemque propagarunt, quorum etsi complures solennia Religiosorum vota, & Monastica exercitia non haberent, nihilominus arctissimâ obedientiâ subjiciebantur Episcopis, non ad sua commoda, sed ad salutem animarum attendebant, mundi opes & delitias despiciebant, & castitatem, summoperè sectabantur: & communi vivendi modo se conformantes suavius fidem aliis & virtutes instillabant, non suis familiis vel amicis ditandis vel multiplicandis intenti, sed Ecclesiis & Parochiis, Scholis, Xenodochiis, Seminariis Pastorum, pauperibus populi per hæreticos oppressis, quibus Ecclesiæ universali, & plebi magis esset provisum.

Attamen collapso nonnihil illo fervore Apostolico, fortasse non inconveniens nunc foret Clerum secularem in tres ordines dividere, ut aliqui in Ecclesiis collegiatis Canonicorum divinis laudibus vacarent, & fratres laborantes precibus juvarent: vel in Cathedralibus Ecclesiis Episcopis essent subsidio, sive in audiendis causis fori externi, sive in visitando & reformando, sive in pœnitentiali foro dirigendo, sive in examinandis iis qui ad sacros Ordines admittendi sunt, sive etiam in superintendendo scholis & docendo Scripturas Sacras, sive aliis in rebus Episcopis auxilium & consilium præstando. Alii curæ Pastorali in Parochiis invigilarent. Alii denique sponte se offerentes, missionibus ad conversionem infidelium, vel reductionem hæreticorum vel schismaticorum applicarentur. Ad Collegiatas vel Cathedrales Ecclesias assumerentur viri in Pastorali cura, vel in missionibus jam emeriti, vel aliàs ad missiones, vel munia Pastoralia minus habiles, consilio tamen valentes, vel pietate & eruditione eminentes. Ad Ecclesiis de Pastoribus vel curatis providendum servirent particularia singulorum

Digitized by Google

Vide de erectione Seminariorum Concil. Triden. Sess. 23. Cap. 18.

Episcopatuum seminaria secundùm leges S. Conc. Trid. salubriter erecta.

Ad missiones verò, specialia singularum nationum collegia conducerent, qualia Romæ, & pluribus in locis per Gregorium XIII. & alibi per Reges, & Principes aliosque fuerunt erecta, vel deinceps erigenda in quibus juvenes bonæ spei, & zelo animarum ferventes cum magno delectu reciperentur, & in linguis aliisque necessariis disciplinis ad missionum onera sustinenda erudirentur, maxima habita ratione pietatis & puritatis conscientiæ, contemptus mundi, mortificationis, aliarumque virtutum ad dictum onus requisitarum. Hos juvenes expediret dirigi & instrui per viros probatæ virtutis & experientiæ, arbitrio Ordinariorum, seculares, aut Religiosos qui paucis annis tenella illa germina ad maturitatem perducere, & posteà Sedi Apostolicæ, vel Episcopis ad missiones subeundas præsentare possent.

Vidimus ex uno collegio Adriani VI. Lovanii, sub uno Præside Doct. Jacobo Jansonio viro cum primis pio & docto, intra paucos annos centenos operarios Hollandiæ & vicinis Provinciis submini stratos, quorum aliqui fidem in Hollandia collapsam infatigabili labore in summis periculis pro magna parte restaurarunt, & plures hæreticos converterunt. Unum Duacense Seminarium Anglorum à seculari Clero directum plurimos zelosos, optiméque instructos operarios in Angliam intra paucos annos misisse, qui non modicum ibi fructum fecerunt. Unum Seminarium auspiciis R. D. Sasboldi Vicarij Apostolici Hollandiæ, & D. Alberti Eggii Vicarii Harlemensis Coloniæ erectum circa ann. 1600. prius multum collapsam Universitatem, & studium Theologicum Colonienſe excitasse, & permultos operarios Hollandiæ subministrasse, & posteà adeo auctum esse, ut in duo illud dividere & in diversis Provinciis collocare opus fuerit, quæ non pauciores bonos ope-

Digitized by Google

operarios confœderatis Provinciis submittunt. Nec modicè juverunt alia collegia, & Principum Seminaria in aliis partibus.

Crediderim itaque seculares seu Religiosos, sed admodum quidem pios, solertes, operique ardentius affectos Sacerdotes in directores collegiorum secularium adhibendos: nihilominus tamen ubi Patres Societatis, vel alii publicas lectiones habent, eas etiam à studiosis collegiorum secularium frequentari posse. Attamen si fieri possit magis expediet eos in ipsis suis collegiis, præter Regentem vel Præfectum in spiritualibus exercitiis habere ut minimum tres Professores vel Magistros, quorum unus in linguis maximè usitatis in loco ad quem destinabuntur eos erudiat: Alter Scripturas Sacras explicet; Tertius ex Sacra Theologia accuratè tractet illa quæ majorem habitura sint usum: videlicet, si ad infideles mittantur, præter mediocrem notitiam humaniorum literarum, & quod Philosophiæ etiam mediocriter studuerint (quod præsupponimus in omnibus ad ista Collegia assumptis) exercendi erunt in Scripturis Sacris & illis authoribus qui contra falsas Religiones pro veritate fidei Christianæ optimè scripserunt: ut egregiè fecit D. Thomas in summa contra Gentiles, & alij nonnulli qui post eum brevius, & ad captum populi accommodatius idem argumentum tractarunt.

Et inter veteres multum juvabit diligenter legisse libros Augustini De Civit. Dei, qui ferè quicquid apud Gentiles fuit eruditionis continent, & superstitiones ac errores accuratè refellunt. Item Eusebium De Præparatione Euangelica. Lactantium De Divinis institutionibus, & De vera sapientia. Theodoretum de curandis Græcorum erroribus. Justini Martyris Apologias pro Christianis. Arnobium contra Gentes, & similes, qui eruditè & solidè argumenta infidelium quæ contra veritatem Christianam objicere solebant diluerunt.

Digitized by Google

runt. Saltem hæc scripta multum juvabunt ad gentilium Philosophos, & eos qui doctiores apud illos habentur convincendos, quod neque de fine vitæ humanæ, nec de mediis ad beatitudinem, ipsáque beatitudine quicquam certi habeant, sed errores infinitos: ideoque prudenter Christi doctrinæ solidæ, puræ, & sanctæ debeant adhærere. Item ad demonstrandum Idolorum & Idololatrarum vanitates, ac stultitias in multiplicandis Diis, aliisque superstitionibus quæ nihil habent veritatis vel honestatis. Ad confutandos quoque astrorum cultores, qui nihil præter fabulas proferunt, adeoque superstitionibus immersi sunt, ut nulli pernitiosius stultiusque dilirent.

Qui ad Turcas vel Saracenos mittentur, instruendi erunt circa ea potissimum quæ contra Alcoranum & Mahometi impostura possunt servire: qualia multa à doctissimis viris accuratè scripta sunt: & cuivis qui aliqualis est ingenii facilè erit stolidas Alcorani fabulas refellere, & convincere quòd nihil solidum aut fide dignum contineant, sed pleraque carnalia, omni rationi, honestati, & veræ Philosophiæ contraria, eaque sine ordine congesta ut scopas dissolutas. Utilis erit lectio libri qui inscribitur Calvino-Turcismus, qui utriusque sectæ & Calvinisticæ, & Turcicæ eruditam continet comparationem & refutationem.

Qui ad Judæos destinantur in Scripturis, & potissimum in veteri Testamento ac lingua Hebraica versati sint oportet: & in illis authoribus qui contra perfidiam Hebraicam ex proposito scripserunt. Unde non difficulter demonstrabunt quòd contra Judæos clament figuræ veteris Testamenti, signa, oracula Prophetarum, promissiones Dei, Sacerdotia & Sacrificia legalia, denique eventus ipse Divina punitio, & jam fere mille & sexcentorum annorum captivitas, dispersio, vastatio, ut sint jam tanto tempore sine Rege, sine Templo, sine Sacrificio, & attendant fabulis Thalmudicis, & in-

Digitized by Google

& indoctis, ac insulsis quorundam Rabbinorum somniis, sordibus, usuris & imposturis victum sibi quæritent, famemque patiantur ut canes & circumeant civitates, tandem miserè ab Antichristo decipiendi, quia verum Messiam Christum Dominum recipere noluerunt.

Qui ad hæreticos & schismaticos mittentur potissimùm in Sacris Scripturis, & insuper in Controversiis quæ inter ipsos & Catholicos sunt, exercebuntur, ut discant solidè & ad captum populi probare fidei Catholicæ dogmata, & argumenta hæreticorum & schismaticorum refutare. Convincent facilè ex Scripturis, & authoribus qui de Controversiis accuratè scripserunt, nec non ex historiis & annalib. Eccleſiast. hæreticos novitatis & falsitatis, quod quia varij authores, qui passim obvii sunt præstiterunt, nihil opus est his immorari. Et pari facilitate docebunt omnes qui ab uno capite, quod Christus in Ecclesia sua constituit, & à Romana Ecclesia, quæ sola notas veræ Ecclesiæ, (de quibus infrà breviter dicemus) habet, discedunt, procul dubio errare, sibi non constare, per mutuas dissensiones corruere, & à Christo recedere, ac proinde nec veros Christianos esse. Proderit illis qui contra hæreticos vel schismaticos agent, se exercuisse in lingua Græca, nam de illius notitia se ut plurimum jactitant, & ad textum Scripturæ Græcum, cùm argumentis premuntur, refugere solent, qui tamen facilè à peritis linguæ Græcæ declarabitur illos nihil juvare, sicut neç Sanctorum Patrum Græcorum scripta.

Omnes verò qui Missionibus destinantur illi linguæ studebunt quæ apud eos ad quos mittendi erunt fuerit usitatissima. Quod commodè fiet, si in familiaribus colloquiis, etiam tempore recreationum tali inter se lingua utantur. Quanquam non erit necesse accuratè omnes illarum nationum linguas ad quas destinabuntur noviſſe. Contingit enim vicinarum nationum linguas, à vici-

Digitized by Google

nis vel satis intelligi, vel facili negotio & brevi tempore addisci: ab iis præsertim qui zelo lucrandi animas labores non subterfugiunt. Sunt etiam quædam linguæ admodum latè patentes, sic ut apud multas nationes intelligantur: ut Arabica per totam Turciam, Persiam, Syriam, Palæstinam. Sclavonica per partes Septentrionales, Moscoviam, Poloniam, Boëmiam. Hispanica & Lusitanica in illis Indiæ & Africæ oris ad quas eorum vires & commercia penetrarunt. Italica similiter apud multas gentes satis nota est, ut apud Helvetios, Illyricos, Siculos, Allobroges, & plurimos Græcos & Africanos. Uti & Gallica Belgis & Germanis, multisque Italis, Germanica Danis, Suedis, Bohemis, Hungaris, Latina ferè per totum terrarum orbem usu venit, quia ubique facilè aliqui inveniuntur hujus linguæ periti, vel qui ei afficiantur, si eleganter quis & promptè loquatur:

Unde dolendum quod saltem in scholis, & inter doctos non magis exerceatur; & verecundum satis est, quòd cùm istâ linguâ potissimùm administrentur divina Sacramenta, Ecclesiæ orationes, adeoque ipsum Sanctiss. Sacrificium celebretur, non magis honoretur, discatur & exerceatur à Sacerdotibus, & personis Ecclesiasticis: præsertim cùm videamus quòd plures Sacerdotes & Religiosi, aliàs viri docti propter ignorantiam, vel rariorem usum Latinæ linguæ (quæ doctis debet esse familiaris, maximè Sacerdotibus) vel eo nomine habeantur contemptui apud externos, & in primis apud hæreticos. Sed hæc facilè erit emendare.

Porrò successu temporis aperta jam viâ Euangelio faciliùs poterunt ex singulis nationibus aliqui suppeditari qui in Seminariis instituantur, & simul alios instituant in linguis, ut non sit opus amplius singulari sumptu gravare Collegia circà alios Professores; in principio quidem pro eorum honestâ sustentatione aliqui sumptus faciendi essent, vel aliqua beneficia ipsis applicanda: nihilominus

Digitized by Google

minus succeſſu temporis ex ipſis ſtudioſis quidam ſeligi poterunt ingenio & induſtria ad alios docendos magis idonei, quàm ad ipſas miſſiones.

Quin etiam in aliis ſtudioſis magnus delectus habendus eſt: nec enim omnes qui in Seminariis inſtituuntur ad miſſiones ſemper apti erunt: alij enim infirmitate corporis forſitan impedientur, alij ad alia aptiores deprehendentur, verbi gratiâ ad Paſtoratus adminiſtrandos, vel ad ſerviendum in Eccleſiis Cathedralibus aut Collegiatis, ubi in Seminariis benè inſtituti in ſcientia & bonis moribus, poterunt paulatim eſſe Pœnitentiarij, Scholaſtici, Archidiaconi, plurimumque juvare Epiſcopos pro Clero populoque reformando. Alij etiam fortaſſe minoris zeli, tardioris ingenij, vel minus commodæ converſationis aut minus ædificativæ vitæ deprehendentur, qui tempeſtivè amovendi erunt, & ad alia applicandi, ne fruſtrà ſumptus fiant. In quibus omnibus diſcernendis induſtria Regentis potiſſimum deſudabit.

Expediet frequenter ab omnibus legi vitas & exempla eorum qui in propaganda fide utiliſſimè laborarunt, in quibus advertant eorum modum agendi, ſpiritum Apoſtolicum, ferventem zelum animarum, Dei amorem, deſiderium patiendi, & duriſſimos labores ſuſtinendi pro Chriſto, ſtudium orationis, & mortificationem, exemplarem vitam, accuratam ſui ipſius cautelam, ſenſuumque cuſtodiam, contemptum voluptatum, honorum, divitiarum hujus ſeculi: induſtriam in proponendo myſteria fidei, gratiam & benignitatem in agendo & inſinuando ſe hominibus, eiſque quantum fieri ſine peccato poterit condeſcendendo, infirmitates eorum tolerando, ut ita ſuaviter cognitionem Dei, amorem virtutis, & odium peccati, verumque Dei cultum illis inſinuarent cum omni manſuetudine & patientia.

Adhibitis porro iſtis mediis confidere debent quòd Spiritus S. non deerit opus Dei ſyncerè pera-

Digitized by Google

gere cupientibus, sed subministrabit oportuna
Lucæ 21. consilia, dabitque *os & sapientiam cui non possint resistere, neque contradicere omnes adversarij.* Curent solummodò sollicitè in conspectu Dei conversari, ut decet *ministros Christi & dispensatores*
1. Cor. 4. *mysteriorum Dei*, & humiliter de semetipsis sentire, solet enim Deus talibus singulariter favere, &
Judith c. 4. & 9. contra, eos qui de semetipsis, suaque virtute vel industria præsumunt, humiliare. Qui verò fideles Deo fuerint, unam illius gloriam animarumque salutem præ oculis habentes confidere omnino possunt & debent, quod Deus defectum ipsorum sua benignitate sit suppleturus.

Jam verò qui maturi, & benè modo supra dicto præparati erunt ad missiones suscipiendas, vocationis suæ frequenter monendi sunt, & quando id expedire judicabitur ad minimum promissione aliqua adstringendi quod missiones istas quando superioribus videbitur subibunt. Qui mittentur ad certas Provincias in aliquo numero, destinentur ad Superiorem si quis ibi sit à Sede Apostolica, vel Episcopis constitutus, aut si primùm viam aperturi sint, designetur inter illos aliquis Superior cui obediant.

Expediet quantum fieri potest semper aliquos saltem mitti oriundos ex illis Regnis vel Provinciis, ad quas mittuntur, hi enim faciliùs sese insinuabunt amicis vel notis, & minus erunt odiosi, aut suspecti, poteruntque captatâ occasione suos per exempla humilitatis ad doctrinam pietatis trahere, & per istos deinceps alios ad fidem, & meliorem vitam, eo modo quem Spiritus Sanctus suggesserit: neque enim possibile est uniformem in his modum servare vel præscribere, sed pro data vel captata occasione nunc sic, nunc aliter animi tentandi & trahendi erunt. Experientia compertum est, tales Sacerdotes seculares in Hollandia & Anglia, haud ingenti cum periculo, magnos fructus fecisse; & vix ullos ex ipsis, imò nullum om-

Digitized by Google

omninò in Hollandia à fide defeciſſe, inter proximos hoſce triginta vel quadraginta annos.

Nec potuimus advertere quod ſeculares Sacerdotes ex iſtis Provinciis oriundi peculiariter ſtuduerint congregandis divitiis, vel amicis ſuis ditandis: Quin imò complures cùm ex patrimonio divites eſſent omnia ſua Eccleſiæ impenderunt, & ferè pauperes mortui ſunt.

Utiliſſimum erit generatim quando primùm ſe operi converſionis dant, non ſtatim controverſias tractare, ſed ante omnia vanitatem hujus ſeculi, vitæ miſeriam & brevitatem, mortis certitudinem, animæ immortalitatem, vitiorum turpitudinem, virtutis pulchritudinem, bonorum præmia, & malorum ſupplicia, pœnitentiæ neceſſitatem & modum à peccatis ſe expediendi fidemque in Chriſtum inculcare, quod non ita difficilè erit, ubi oſtenſi fuerint populo defectus, quos etiam contra legem naturæ plerumque committunt. Item inſufficientia legis naturæ ad ſalvandum, gratiæ neceſſitas, quæ non niſi per Chriſtum habeatur, rationabilitas & credibilitas eorum quæ Chriſtus docuit, & quæ fides noſtra habet, doctrinæ puritas, gentilium errores & ſtultitiæ, hæreticorum inconſtantia & ſuperbia, Chriſti Domini, & eorum qui fidem propagarunt ſanctitas & innocentia, miracula à Chriſto & Sanctis facta, modus propagandi fidem per abjectos & humiles, reluctante toto orbe, præſertim Principibus, Tyrannis, Philoſophis & Oratoribus, morum in melius mutatio, ſecuritas denique quam fides noſtra operatur in conſcientia, facilè inducentur animi ad fidem, ubi mali mores ipſis & errores cœperint diſplicere, præſertim ſi trahantur lenitate & bonæ ac piæ vitæ exemplo, ſi videant purè Deum & ſalutem ſuam quæri, honores mundi & delitias contemni, humilitatem coli, & Chriſtianæ pietatis exercitia, præſertim orationes matutinas & veſpertinas, diurnas ac nocturnas laudes Deo perſol-

Digitized by Google

vi diligenter, & suaviter Juventutem ad pietatem & honestatem instrui.

Cavenda inprimis vana gloria, omnisque cupiditas, & abstinendum quantum fieri potest abiis, quæ statum vel politiam concernunt, & ne quis se immisceat rebus ad se non pertinentibus. *Nemo enim militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit*, inquit Apostolus. Viâ jam Evangelio patefactâ, multisque ad fidem conversis cura Neophytorum habenda est, ut in fide & pietate persistant, ideoque deputandi illis certi Pastores, distinguendæ Diœceses & Parochiæ quarum cura non ita Religiosis convenit, qui obligationem illam Pastoralem existimant sui non esse instituti. Itaq; ad has curas suscipiendas promptos se exhibebunt Sacerdotes seculares ad missiones destinati, qui idonei judicabuntur; habenda verò ratio gratiæ unicuique concessæ: sunt enim qui gratiam adducendi & alliciendi alios ad fidem habent, gratiam verò illos conservandi, & multo tempore dirigendi ac perficiendi non habent: Alij verò feliciùs dirigunt, & stabilem curam adhibent.

a. Tim. 2.

Poterunt quoque paulatim Sacerdotes seculares loca præparare Religiosorum conventibus, quorum ope in concionando, confessioneque audiendo queant juvari, & ita crescet mutua eorum ad invicem dilectio, ac negotium salutis animarum suavius promovebitur. Jam verò si locis aliquibus Superior à Sede Apostolica sit designatus, huic tam Religiosi in subsidium venientes, quàm secularis Clerus ad nutum obedire deberet. Et, ut concordibus in ministerio existentibus, feliciùs cuncta succederent, uberioresque ac lætiores perciperentur fructus, expediret, ut (quamvis per Apostolicas facultates liceret) nullæ tamen missiones ad certa loca citrà ipsius Superioris consensum vel scientiam (quando id fieri commodè possit) instituerentur. Ubi parochi essent constituti, vel certi Sacerdotes alicui communitati designati, non immis-

Digitized by Google

miscerent se Pastoralibus, nisi de Parochorum consensu, necessitate aliàs non urgente: Si quos concionando, vel instruendo convertissent, hos paulatim ad Pastores adducere deberent, ulterius verbo Dei & Sacramentis instruendos. Cresceret hoc pacto concordia, ædificareturque populus, dum viderent omnes in opere Domini benè convenire, neque timendum foret, quod vitæ necessaria ita concorditer opus Dei peragentibus essent defutura.

Pars Quarta.

Quæ potissimùm observanda sint iis qui ad hæreticos convertendos mittuntur.

Qui mittendi forent ad hæreticos convertendos, illi circa modum agendi cum iisdem accuratius essent instituendi, quia difficilius est hæreticos convertere quàm alios infideles. Hac de re à multis multa scripta sunt; sed sicut hæretici non constant sibi, nec omnes eodem modo agunt vel sentiunt, ita quoque Sacerdotem non eodem modo cum ipsis agere oportet. Maximè laborandum est ut bono illic ordine procedatur, quandoquidem Ecclesia ibi magis militat. Hierarchia itaque Ecclesiastica si omninò collapsa sit, paulatim suaviter reducenda est; sin adhuc superstit, conservanda.

Generatim hoc certum videtur, utilius laborari pro conversione hæreticorum, si prius mores illorum non convenire vitæ Christianæ declarentur, & paulatim inducantur ad emendationem morum, quàm si de fide fieret disputatio: nec enim hæresis solet esse primum vitium, nec solum quo laborant, sed ut plurimùm pœna aliorum criminum præcedentium: nam plerique bonam con- 1. Tim. 1.
scientiam repellentes circa fidem tandem naufragium

Digitized by Google

gium patiuntur. Invenies enim plerosque vel turpi aliquo amore carnali constrictos, vel bona aliqua, præsertim Ecclesiastica, aut officia vel beneficia injustè possidentes, aut capitali aliquo odio, vel inimicitia cum aliis laborantes, aut incredibili ambitione vel superbia tumentes, aut alio gravi vitio infectos, cujus si ipsis turpitudinem monstraveris, & ut ab eo se expediant persuaseris, facilè etiam hæresim abstuleris.

Disputationes ex proposito cum ipsis susceptæ rarò bonum sortitæ sunt exitum, quia confundi possunt, sed ut se victos fateantur difficilè inducuntur. Certissimum quoque est illud Tertulliani, dissuadentis disputationem cum hæreticis, quo ait *eos fortes fatigare, infirmos vincere, mediocres cum scrupulo dimittere.* Et si coram plebe fiat disputatio, cùm ratione non possint, si, ut fit, clamoribus & ostentationibus facilè superiores existant, à plebe etiam ratione vincere putabuntur. Unde monebat Apostolus Timoth. *Noli*, inquit, *contendere verbis: ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium*, quod & docet experientia. Et verissimum est, quod dicere solebat S. Philippus Nereus, quòd homines superbi citiùs convertantur simplicibus discursibus & piis, & exemplis Sanctorum, quàm multis disputationibus, & eruditis collationibus. Fervens pro iis oratio multum apud Deum prodest.

Tertull. de præscriptionibus ad versus hæreticos. 2. Epist. cap..

Si tamen aliquando necessitas ad conferendum urgeat, ut contingit subinde, quando Sacerdotibus in carcere detentis ministri hæretici insultant, eosque provocant, utilissimum erit eos intra certam materiam constringere, præsertim ut dicant, quæ sit vera Ecclesia, & quomodo agnosci possit: item quæ sint veræ Scripturæ, & unde agnoscendæ: cujus sit de vero sensu Scripturæ judicare. Hîc enim maximè sudant, solent enim ferè ab uno ad aliud salire, cùm vident se deficere, & in signis Ecclesiæ, vel judice controversiarum designando nimium

nimium laborare. Si tales sint qui doceri velint, aut Catholici fluctuantes, qui debeant confirmari, primùm ipsis inculcanda humilitas, ut parati sint captivare *intellectum in obsequium fidei*, nam hæreses ferè ex superbia oriuntur. Monendi, ut profunda Dei, vel potentiam ipsius non scrutentur curiosè, sed metuant ac venerentur, & cogitent quòd plura possit Deus, quàm ipsi possint comprehendere. Quodque *scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Orent syncerè Deum, ut ipsos illuminare dignetur si in errore sint. Pietati, honestati, sobrietati studeant, omnem amaritudinem & passionem erga personas non idem cum ipsis sentientes deponant; nec ex personis de veritate judicent, cogitent hîc in area Christi frumentum paleis esse mixtum, inveniri in sagena Ecclesiæ bonos & malos pisces, in domo Dei, vasa aurea & argentea, & fictilia, virgines fatuas & prudentes, & quamdiu fundamentum fidei stat, esse spem resipiscentiæ, apud hæreticos etiam non omnia esse munda, sed longè turpiores defectus inveniri.

2. Cor. 10.

Prov. 25.

Matth. 13.

2. Tim. 2.

Matth. 25.

Expediet urgere promissiones quas Deus præstitit Ecclesiæ, quam firmamentum & columnam veritatis posuit, supra firmam petram fundavit, per Spiritum Sanctum docet, cum qua se mansurum dixit usque ad consummationem seculi, quam non patitur errare vel deficere; quam jussit nos audire, nisi velimus haberi velut Ethnici & Publicani, quam scimus esse sponsam Christi, *quam nisi agnosamus matrem, non possumus habere Deum Patrem,* (inquit Cyprian. de simplicitate prælatorum) quam scimus civitatem supra montem positam: *cujus portas qui non vult sponte humiliatus ingredi, necesse habet ut januam inferni non sponte damnatus ingrediatur*, ut ait Beda. Juvabit attendere ad notas certissimas veræ Ecclesiæ, quia nunquam quisquam permansit infidelis, vel factus est hæreticus, nisi qui vel ignoraverit has notas, vel attendere noluerit.

2. Tim. 4.

Matth. 28.

Lucæ 22.

Matth. 18.

D. Cypr. de simpl. Prælat.

Matth. 5.

Beda lib. 5. Histor. Angliçanæ cap. 5.

Præ-

Digitized by Google

Notæ veræ Ecclesiæ.

Præcipuæ notæ sunt. Primò *unitas*, quæ in sola Ecclesia invenitur, quia uni adhæret capiti. Quod omnino necessarium est: cùm enim Divina providentia mundum, & Ecclesiam gubernet, concedere oportet Ecclesiæ regimen esse optimè ordinatum, ut pote ab eo dispositum, per quem Reges regnant: Optimum verò regimen multitudinis est Monarchicum, quod vel ex fine regiminis patet, qui est pax subditorum, & unitas, quæ convenientissimè habetur, quando unus toti Ecclesiæ præest; sic enim schismatis tollitur occasio. Cùm etiam Ecclesia militans eò perfectior sit, quo similior triumphanti, & triumphans unum habeat Rectorem & Dominum, Deum scilicet; etiam militantis Ecclesiæ unum Præsidem esse oportet.

Hinc in veteri Testamento unus erat Summus Pontifex, & in novo similiter unus futurus declaratur. *Congregabuntur*, inquit Propheta, *filij Juda, & filij Israël pariter & ponent sibimet caput unum.* Et, *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Neque id de Christo, vel tempore Christi solùm est accipiendum, quia noluit Christus post ascensionem suam in cœlum Ecclesiam suam absque Duce, Pastore, & Capite relinquere: Ideoque Petrum vicarium suum constituturus singulariter ei pascendas oves suas tradidit, eundemque voluit confirmare fratres suos, ostendens eum suum fore Vicarium. Quod etiam apertius expressit, cùm ei diceret; *Tu es Petrus; & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quia nulla potestas infernalis sive per Tyrannos, sive per Hæreticos, aliaque Sathanæ instrumenta potuit Ecclesiam super Petrum fundatam extinguere vel superare. *Et tibi dabo*, inquit, *claves regni cælorum*, id est, supremam potestatem in familia mea, quæ est, Ecclesia.

Ose. 1.

Joan. 10.

Joan. 21.

Lucæ 22.

Matth. 16.

Nec verò dicendum est hanc dignitatem uni Petro, & non ejus Successoribus concessam, quia Chri-

Digitized by Google

Christus instituit Ecclesiam ad finem usque seculi duraturam, & continuò ædificandam, & augendam, ideoque semper indiget capite & petra, seu fundamento super quo ædificetur. Cùm itaque Petrus fuerit à Christo vicarius totiusque Ecclesiæ Pastor subrogatus, consequens est, ut omnes Petri successores eandem habeant potestatem. Et cùm Episcopi Romanæ Sedis locum Petri teneant, manifestum est, Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum esse Ducem & Magistram, omniumque fidelium congregationem Romano Pontifici esse uniendam, eosque qui ab unitate hujus capitis, & doctrina Romanæ Ecclesiæ deficiunt, à Christo recedere, & per devia aberrare.

Hinc maxima inter Hæreticos confusio, & sectio in partes, & variarum opinionum, præsertim circa fidem & bonos mores, incerta determinatio: quæ in Ecclesia Catholica propter unitatem capitis certissima, & solidissima est: videmus enim quòd Ecclesiæ subditi, nationibus, temporibus, locis distincti, concordes sint in doctrina ad salutem necessaria, & in administratione Sacramentorum. Unica Christi sponsa unam habet fidem, extra quam non est salus, unum sponsum, unum baptisma, unum spiritum quo vegetatur, unum sacrificium corporis Christi.

Attendatur quanta sit Doctorum Ecclesiæ concordia in fide & dogmatibus, qui locis & temporibus distincti docuerunt, & se invicem nunquam viderunt. Contra autem, apud hæreticos summa discordia, & confusio Babylonica, & quia quisque sequitur spiritum suum, tot ferè sunt hæreses quot capita, agitantur spiritu vertiginis, acquiescunt *spiritibus erroris*; nec mirum, quia sicut uno modo veritas attingitur, ita pluribus modis ab ejus scopo deflectitur, præsertim cum non habeant unum Judicem controversiarum: nam quod Scripturam Sacram judicem velint, ridiculum est, quia de Scripturæ sensu inter se contendunt; & judi-

Isai. 19. 1. Tim. 2.

Digitized by Google

judicem animatum esse oportet ut suum judicium declaret; omnes etiam Scripturam pro se trahunt.

Sed nec de Scriptura, an illa sit recipienda certi esse possunt, nisi ad Ecclesiam, quæ Scripturas custodivit recurrant, cui si credatur hanc esse Scripturam, cur non credetur asserenti istum esse sensum Scripturæ? Certè sponsa sponsi sui Christi mentem optimè explicabit, si privatum spiritum cujusque dicunt esse judicem, eum singuli hæretici, multum inter se discrepantes, pro se adducunt; cui quæso credetur? *Væ Prophetis insipientibus qui sequuntur spiritum suum.* Qui ab Ecclesia exire tentatur, expectet tantisper donec hæretici inter se consenserint, & aliquid certi inveniat quod prudenter tenere possit, quod nunquam fiet. Ezech. 13.

Secunda nota Ecclesiæ Sanctitas.

Secunda nota *Sanctitas* quæ non invenitur extra Ecclesiam, nec enim influit Spiritus Sanctus nisi in membra Ecclesiæ: unde hæretici nullum omnino ex suis ostendere possunt, qui communi judicio habeatur sanctus, vel qui salvus sit; cum tamen ipsi id debeant fateri de multis qui fuerunt catholicè mortui: & patet calendaria tam antiqua, quàm recentia non habere memoriam Sanctorum nisi Catholicorum. Qui primò prædicarunt fidem infidelibus, sanctitate & miraculis fereclari fuerunt, & non nisi Catholici, quia templa & altaria erexerunt, Missam celebrarunt, Confessiones audierunt, sacros Ordines susceperunt & contulerunt; in omnibus permanserunt obedientes S. Rom. & Apostolicæ Sedi, à qua missi sunt.

Sanctitas quoque Ecclesiæ patet ex doctrinæ puritate, firmitate, stabilitate. Item ex eo quòd sit sanctificata sanguine Martyrum, Deo dicata, à terrenis separata, nec personæ solùm, sed & templa, altaria, vestes, & vasa publico cultui designata, in ea sanctificantur & Deo consecrantur. In Ecclesia est sanctum Sacrificium, immaculata hostia, in hac Sacramenta alia sanctè administrantur,

Digitized by Google

tur, ritus & ceremoniæ sacræ adhibentur, sacri hymni & psalmi nocte ac die canuntur.

Extra Ecclesiam verò nulla sanctitas doctrinæ vel personarum, sed omnia prophana, prophani ministri, prophani ritus, multa etiam impia, impura, blasphema apud infideles & hæreticos docentur, nullum fidei articulum reliquerunt intactum; sunt qui Deum spoliaverunt Trinitate, Christum divinitate, & vera humanitate, Sanctos beatitudine, eosdemque cum Angelis omni cultu & veneratione; non pepercerunt S. Scripturis, non Apostolicis traditionibus, non summo Eccl. Pastori, quem Antichristum appellant, non Rom. Ecclesiæ, quam meretricem Babylonicam vocant, non Sacramentis, non sacrificio Eucharistico, non Sanctorum corporibus & reliquiis, non ceremoniis vel vestibus sacris, imò nec divinis decalogi præceptis, spem Christianam in inanem de remissis sibi per Christum peccatis fiduciam converterunt, charitatis & justitiæ meritum abstulerunt, præcepta observatu impossibilia docuerunt, Deum omnis boni fontem peccati auctorem fecerunt, imò tyrannum, qui nos ad peccatum impellat, ut habeat quod punire possit, qui ab æterno, sine prævviso nostro demerito, majorem hominum partem æternis addixerit suppliciis. Spoliarunt Pontifices auctoritate, Principes imperiis, populum disciplina & legibus, gregem Christi Pastoribus & Ecclesiis, Ecclesias altaribus, Sacrificio, corpore Domini, infantes baptismo: docent enim filios fidelium sine baptismo salvari posse, filiis verò infidelium baptismum non prodesse, adeoque parentes de infantibus baptizandis solicitos esse non debere. Quæ crudelitas major est crudelitate Herodis, qui in corpora tantum sæviebat.

Attendatur quot virgines hæretici eripuerint Christo, quas ipse solemni ritu jam sibi desponsaverat: quot Monachos & Clericos è summo perfectionis apice deorsum ruere fecerint: quot Sacerdo-

cerdotes apostatare: quot hominum millia ab avita religione deficere. Omne bonorum operum studium ex animis hominum evulserunt sua sola fide justificante; vota, jejunia, festos dies, Crucifixi & Sanctorum imagines, omnia pietatis monumenta, omnes leges Ecclesiasticas, populi ergà Principes obedientiam, ergà Sacerdotes reverentiam, omnem modestiam, omnem virtutem, omnem domus Dei decorem, & pulchritudinem exterminarunt, pias animas in purgatorio suffragiis privarunt, & ipsum purgatorium extinguere conati sunt; nec inferis pepercerunt; nam veros & locales inferos multi Lutheranorum & Calvinistarum negant, dicentes infernum nihil aliud esse quàm horrorem conscientiæ, & aniles fabulas quod animæ defunctorum alicui carceri includantur, aut igne torqueantur, vel quòd Dæmones in loco aliquo sint inclusi.

Quin etiam se & suos, totamque generis humani naturam violant, arbitrij libertatem homini detrahendo, hominis animam dono justitiæ supernaturali privando, justitiamque duntaxat imputativam inducendo, ut scilicet formaliter justi dicamur justitiâ alienâ, quasi verò alienâ pulchritudine formosi vel alienâ albedine formaliter albi esse possimus.

Expendat jam quivis, quæ talibus hominibus fides haberi possit, cùm de Deo, de Sacramentis, de Justitia disputant, quando etiam de suarum animarum libertate, quam sentire & experiri coguntur, tam perversè judicant. Qui ferò expenderit fructus novi Evangelii, perindè ac si in extremo mortis agone constitutus de re maximè ad salutem necessaria deliberare deberet, & resolvere, non est dubium, quin relictis incertis, fraudulentis, impuris, & prophanis dogmatibus, sanctam, pudicam, synceram, & antiquam Catholicam & Apostolicam fidem sit amplexurus, & secundùm 1. Tim. 6. doctrinam Apostoli prophanas novitates devitaturus.

Digitized by Google

turus. Fatetur ipse Lutherus, fatentur alii, illos qui à Romana Ecclesia defecerunt decuplo pejores seipsis effectos.

Nec mirum si attendatur vel unica eorum superbia, quâ sensum suum judicio totius Ecclesiæ, omnium Majorum, & Sanctorum Patrum præferunt, illosque insuper idololatriæ & superstitionis damnare audent. Si etiam attendatur quomodò consentiant, vel participes sint tot scelerum, quæ ex mala ipsorum doctrina sequuntur, quis dubitat eos optare ut omnes Catholici sint extincti, approbare tot eversiones Monasteriorum, & Ecclesiarum, direptiones bonorum Ecclesiæ, tot sacrilegia, tot commissa contra Catholicos bella, oppressiones virginum, raptus monialium, rebelliones contra legitimos Principes, cædes, mendacia, caninas blasphemias? Quid dicent in die judicij qui talibus adhæserunt, præsertim cum videant quod primi hæreses auctores fuerint apostatæ, sacrilegi, sodomitæ, luxuriosi, superbi? Quod mi- Judas in Epistola. nistri eorum plerique sint homines animales, carnales, spiritum non habentes, qui castitatem impossibilem esse dicunt, & contra Christi, Apostolorum, & omnium Sanctorum doctrinam, matri- Matth. 19. monium præferendum docent virginitati, scilicet, 1. Cor. 7. ut affectibus suis carnalibus satisfaciant.

Sufficeret hæc unica nota ad docendum eos Christi spiritum non habere, ac proindè nec verè Christianos esse: nec est quod dicant nos temerè ita judicare, cùm dicat Apostolus ipsos proprio ju- Ad Tit. 3. dicio condemnatos. Legant expressam contra se in Scripturis, & sæpius repetitam sententiam, quod *qui non credit jam judicatus est*: item quod in- Joan. 3. credulis & omnibus mendacibus, *Pars eorum erit* Apoc. 21. *in stagno ardenti igne & sulphure.* Et, *Foris canes, & venefici & impudici, & homicidæ & Idolis servientes, & omnis qui amat & facit mendacium.* Hæc cogitent & pertimescant, & ad Ecclesiæ matris gremium revertantur ut salvi fiant.

Digitized by Google

Tertia nota Ecclesiæ quod sit Catholica.

Tertiò attendant notam illam Ecclesiæ quâ dicitur *Catholica*, id est, Universalis, quia fides Ecclesiæ semper & ubique, quovis loco & tempore per orbem prædicata est, incipiendo ab Hierosolymis, & à tempore quo cœpit, nunquam defecit. Hæreses verò non ab Hierosolymis, sed aliundè egressæ, in aliquo ferè orbis angulo delitescunt, novitiæ sunt, designari potest quis earum auctor, qui, quandò, qua occasione primùm ab Ecclesia defecerint, quinam hæreticis primò adhæserint, qui se opposuerint. Quæ sunt manifesta signa novitatis, ideoque illis dicentibus ecce hîc est Christus, ecce illîc, non est credendum.

Sola Ecclesia Catholica est quæ gentibus fidem Evangelizavit, cujus Reges facti sunt nutritij & Reginæ nutrices: hæretici non convertunt infideles, sed pervertunt fideles, destruunt templa, & monasteria, non ædificant. Et si quid habeant in suis ritibus quod vel speciem habeat boni, id à Catholicis sunt sufurati, vel ex Ecclesiæ reliquiis tenuerunt. Ipsum etiam nomen Catholicæ Ecclesiæ nulli hæreticæ congregationi hactenus passim tributum est, nec ipsi coram aliis id sibi attribuere audent, nisi velint esse ridiculi: nam etiam suo tempore notavit Augustinus, quod rogati hæretici ab aliquo quo eatur ad Catholicam, suam synagogam demonstrare non audeant. Idem docet Cyrill. Hierosol. Sicut nomen Christianæ Ecclesiæ, distinguit à Judæis potissimùm, & Gentibus, ita nomen Catholicæ distinguit eandem à falsis Prophetis & conventibus, qui sub nomine Christi se venditant, & non sunt Christi. Unde Pacianus: *Nomen* inquit, *mihi Christianus, cognomen Catholicus.*

Aug. contra Epist. Fundamenti c. 4. Cyrill. Hieros. Catech. 18.

Hoc nomen meritò in symbolo Apostolorum ponitur ut nomen distinctivum ab omnibus hæreticis, proprium veræ Ecclesiæ. Hæretici ferè suo nomine se produnt: nam vel à suis coryphæis Lutherani vel Calviniste vocantur, vel à dogmatibus

Digitized by Google

tibus Sacramentarij, Libertini, Adiaphoristæ; alij alia occasione nomina sumpserunt.

Quarta nota Ecclesiæ est, quòd sit *Apostolica*, quia fidem quam ab Apostolis, & eorum successoribus accepit quasi per manus traditam tenet, & ad nos usque deduxit. In ea sola est continua successio Episcoporum in Cathedra Petri, non interrupta à temporibus Apostolorum: cujus successionis demonstratione confundimus (ut ajunt Sancti Patres) omnes hæreticos, apud quos designari potest tempus quandò primùm ab Ecclesia defecerint, in quo loco primùm deprehensi sint defecisse. Catholici verò firmiter adhæserunt semper Vicario Christi, successori Petri, Romano Pontifici, scientes super Petrum tanquam petram firmissimam ædificatam à Christo Ecclesiam, contra quam non prævalebunt superbæ inferorum portæ. Ideoque ad Episcopum Romanum tanquam Petri successorem in difficultatibus & quæstionibus circa fidem exorientibus recursum habuerunt omni tempore Patres, tam Græci, ut Chrysostomus, Cyrillus, Athanasius, quàm Latini, ut Hieronym. August. Hilarius, &c. Hinc etiam videmus Pontificem Romanum per se, vel suos Concilijs Generalibus præsedisse, eaque approbasse. Quarta nota Ecclesiæ quod sit Apostolica. Matth. 16.

Hæc Ecclesia Apostolica Romana à tot tyrannis & hæreticis oppugnata semper inviolata permansit, & victrix evasit, nec invenitur ullus ex serie Romanorum Pontificum unquam hæresim proposuisse vel docuisse. In hac Ecclesia Catholica Romana nihil unquam ad fidem vel bonos mores pertinens dictum est, quod non vel in Scripturis contineretur, vel ex iis deduci posset, nulloque pacto esset Scripturæ, vel Apostolicis traditionibus contrarium. Ab hæreticis verò multa docentur, quæ Scripturis Sacris, & bonis moribus, ac Sanctorum Patrum doctrinæ repugnent. Nostri temporis hæretici ferè susciant ab orco dudum sepultas & damnatas hæreses.

Digitized by Google

Possunt & aliæ notæ attendi, quæ extra Catholicam & Romanam Ecclesiam non inveniuntur, ut sunt legitima ordinatio Episcoporum, & missio Sacerdotum & Pastorum (cùm hæretici se ipsos intrudant, sicut illi de quibus Dominus apud Hieremiam; *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Et Apostolus; *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur?*) Verum & unicum sacrificium Corporis & Sanguinis Christi, quod hæretici omnes oderunt, (sed per hoc maximè confunduntur; nam ubi non est legitimum Sacrificium, vel Sacerdotium externum, ibi nulla potest esse Religio) Doctrinæ Catholicæ puritas & efficacia.

Jerem. 23. Ad Rom. 10.

Quod in Ecclesia Catholica sola sit remissio peccatorum per Sacramentum pœnitentiæ, unicum remedium ad sanandum hominem post baptismum, & ad domandam hominum nequitiam & superbiam. In ea sola sint qui perfectè sequantur Christi consilia, plurimi utriusque sexus continentes & virgines, plurimi paupertatem & obedientiam sectantes: nulli apud hæreticos. In ea sola inveniantur vera miracula pro confirmatione fidei Catholicæ facta. Veri martyres qui sanguine suo veritatem fidei Catholicæ sunt testati, Sancti Confessores, & Sancti Doctores, Sacerdotes, Levitæ, Monachi, & Eremitæ. Verum donum Prophetiæ quo multi claruerunt. Denique in ea sola Dei Spiritus operetur omnem sanctitatem, & gratiam ac charitatem diffundat: Hæc vel similia de notis Ecclesiæ proponere sufficiet: ad particulares verò alias Controversias non erit necesse descendere: infiniti enim esset hoc operis, nec nostri instituti.

PARS

Digitized by Google

PARS QUINTA.

Quæ ſpeciatim obſervanda iis qui ad partes Belgij hæreticis ſubjectas mittuntur.

HActenus de iis quæ maximè contra hæreticos urgenda ſunt. Ipſa interim hæreticorum converſio (quia fides donum Dei eſt) ferventibus à Deo precibus citiùs obtinebitur, quàm acutis diſputationibus, citiùs exemplari vitâ, quàm præcellenti Doctrina, quamvis ſi utraque hæc conjuncta fuerint, efficaciùs operabuntur. Circa eos, qui in Belgio, ſunt, hæreticos conſideratum eſt à pluribus, quòd quò minùs eos æſtimaveris, eò faciliùs ſuperabis: ſi timeas eos aut reverearis, jam te illis ſubjicis, Agendum tamen circumſpectè; ad quod juvabit legitima miſſio, quia Deus quos mittit non deſerit, bona intentio, quâ non tibi, ſed Deo labores, & divina unctio, quæ aderit ſi fideliter opereris.

Neque nimium timendi ſunt hæretici magiſtratus, aut miniſtri, quia ipſis tanquam miniſtris diaboli nihil amplius conceſſum eſt quàm diabolo, cujus limitata eſt licentia per divinam potentiam & providentiam. Plebs, quia non omninò rudis eſt, non afficitur hæreticorum blaſphemiis & maledicentiis, & facilè admittit Catholicum directorem ſi modeſtè agat. Inter eos illi qui aſtutiores ſunt, omnibus omnia fiunt, & ne alicui in negotiis conſcientiæ ſubſint, ad impiam libertatem aſpiciunt, & ſcioli videri volunt, tantum ea, quæ ipſi concipiunt, probant, ac præ ſuperbia etiam convicti non convertuntur, ſed continuis anguſtiis velut à dæmonio poſſeſſi coarctantur, nec rarò in phreneſin incidunt.

Obvij etiam paſſim ſunt politici & libertini,

Digitized by Google

mò athei, qui quotidie nova proferunt somnia. Contra hos nulla valet disputatio, sed efficacissima est inculcatio judicij divini, & beneficiorum, & amoris Dei erga nos, si hæc placidè & compuncto animo proponantur. Si compuncti & veritatis studiosi colloquia privata expetant, tunc eis plerumque obsequendum, & si astitutiores sint, eorum argumenta aliquandò in meliori forma proponenda, & deindè solidè solvenda, ut advertant nos illorum principia non ignorare, & Catholicam fidem magno intervallo illorum erroribus prævalere, ita ut non temerè Catholici ipsorum dogmata spernant. Ostendere oportet nos nihil quærere quàm ipsorum salutem, quam si negligant, non defuturos alios qui ipsorum loco cœlum occupabunt, & prædestinatorum numerum implebunt. Nimis temerarium esse & periculosum Dei potestatem suo sensu metiri, vel per inanem imaginationem, vel non esse Deum, vel inferiorum curam non habere, sibi persuadere velle. *Qui loquitur iniqua non potest latere, nec præteriet illum corripiens judicium. Existimasti inique*, inquit Deus per Davidem, *quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Si rudiores fuerint, sufficiet dare rationem fidei nostræ in lenitate spiritus, quæ nunquam abesse debet, nam vehementioribus & asperioribus verbis magis obdurabuntur.

Sapien. 1.

Psal. 49.

Qui ab aliqua hæresi ita sunt occupati ut immobiles videantur, cum illis non debet multis agi, sed potius tales contemni & negligi debent, donec ipsi desiderent instrui: tum verò rationes credibilitatis ipsis proponendæ, veræ Ecclesiæ signa, & Sanctorum ac Doctorum per singula secula cum Catholicis dogmatibus consensus. Continget frequenter tales induci ab amicis ut aliquando pij & docti Sacerdotis concionibus, vel colloquiis intersint, sed rarò id benè succedit, nisi ipsi permoti divinitus hoc expetant, alioqui ordinariè liberius animam suam aperient uni & ignoto quàm coram mul-

Digitized by Google

tis, & ne vinci videantur, minus se coram aliis manifestabunt.

Abstinendum omninò est Sacerdoti à scommatibus & invectivis in hæreticos, quia dum ipsi paria vel majora rependunt, quid erunt nisi plures maledici, & scandalizabitur populus? unde monebat Apostolus Timoth. ut *mansuetus esset ad omnes, docibilis, patiens cum modestia corripiens eos qui resistunt veritati, ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendum veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* 2. Epist. cap. 2. Proderit itaque si Sacerdos à modestia commendetur, si conversatione sua ædificet, si studio, orationi, & meditationi deprehendatur intentus, & ad omne bonum propensus, benignus, affabilis omnibus, de se, suo honore, aut aliqua re temporali minimè solicitus, de Dei auxilio & protectione confidens.

Ad conciones non prorumpat nisi implorato divino auxilio, & si fieri possit benè præmeditatus, ac concepto prius ferventi zelo salutis animarum, *prædicet* secundùm doctrinam B. Francisci *virtutes, & vitia reprehendat, prædicet gehennam & gloriam in simplicitate & brevitate sermonis.* Conetur prius se, ac postea alios ad bonum permovere, sentiat in corde quod alios docet, confirmet, contexat conciones verbis Scripturæ Sacræ, hæc enim miram habent energiam, quia adest verbis suis ut plurimùm Spiritus Sanctus. Conetur dicere utilia, solida, in Patrum doctrina fundata, non plausibilia, curiosa, ridicula, aut recens inventa: non clamorem populi sed gemitum suscitet, lachrymæ audientium & compunctio ad pœnitentiam, vel meliorem vitam sint laudes ipsius: ne hominum rumusculos aucupetur, ne offensam Dei populorum laude commutet: non prædicet se ipsum, sed JESUM *Christum & hunc crucifixum.* Loquatur verbum Dei *in sollicitudine multa non quærens hominibus placere sed Deo qui probat corda*; caveat ne 1. Cor. 2.

Digitized by Google

aliquando sit *in sermone adulationis, nec in occasione avaritiæ*, nec quærens *ab hominibus gloriam*, prout de se testatur Apost. Subtiliores quæstiones devitet: *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus* ædificet Ecclesiam Dei.

1. Ad Thess. c. 2. 1. Cor. 2. Ezech. 13.

Non consuat *pulvillos sub omni cubito manus*, peccata extenuando: & si objurgatio aliquando adhibenda sit, fiat in spiritu lenitatis, & magis dolentis & commiserantis quàm indignantis assumat affectum. Non persuadeat sibi se indulgentiâ & conniventiâ cum hæreticis, vel frigidis Catholicis aliquid effecturum, vel si laxiores sententias sequatur, & disciplinam Ecclesiæ ipsis relaxet: experientia enim ostendit quod exactè disciplinam Ecclesiæ, & antiquas Patrum consuetudines, sacrosque canones sequendo plus apud illos vincimus, & plures ex animo conversos, & syncerior es Catholicos habemus cum exactæ Ecclesiasticæ disciplinæ, jejuniorum, mortificationum, aliorumque carni minus placentium observantiâ, quàm nimiâ condescensione & relaxatione, quæ in principio quidem arridet, sed paulatim etiam ipsos indulgentes viliores reddit. Rigore aliquo, imò ipsis pœnis, exiliis, carceribus, mulctis, atque adeò constanti fidei confessione etiam usque ad mortem semper magis profecit Ecclesia, & orthodoxorum numerus multiplicatus est. Per scientiam Scripturarum, & exactam cognitionem controversiarum cum prudentia & discretione, certum est Sacerdotes plurimum proficere in conversione hæreticorum; attamen etiamsi profundissima eruditio non adsit, modò necessaria religionis capita, Sacramentorum vis & ratio cognoscatur, adsitque zelus animarum, & exemplaris vita, non modicus deprehendetur fieri profectus: præsertim si illi aliquos habeant doctiores ad quos in difficultatibus & dubiis possint recurrere.

Circa eos qui animo Catholici, professione verò hæ-

Digitized by Google

rò hæretici sunt (quia honores, commoda, aut officia ab hæreticis tenent, vel expectant) singulari modo agendum. Hi multo ac continuo studio stimulandi sunt, proponendo ipsis divini judicij severitatem, vitæ hujus incertitudinem, mundi & bonorum seculi instabilitatem, quàm horrendum sit incidere in manus Dei viventis, & omnia videntis, qui simulationem omnem odit, qui zelosè se rebus caducis vult præponi, qui plerumque confundit sapientes mundi in astutia sua. Et isto, 1. Cor. 1. potiantur in hac vita ad tempus honoribus & commodis, quid erit in morte, cum omnia relinquenda sunt?

Nulla hic præscribi potest certa regula, docebit unctio pium Sacerdotem quæ facere debeat, Deus enim syncerè sibi servientibus mirabiliter cooperatur, curent solummodo humiliter de se sentire, & Deo si quid benè succedat adscribere. Quamvis divitum cura & favor negligendus omnino non sit (possunt enim in multis Dei negotia promovere si benè utantur sua potentia & divitiis) tamen ambire potentum & divitum favorem noxium est: debet potiùs Sacerdos omnibus æquè inclinatus esse, & propensior videri & esse in pauperes, alioqui facilè notabitur ambitionis, avaritiæ, aut quasi lauta sectetur, & carni commoda. Meminerit Christum Evangelizare pauperibus missum, sibi etiam pauperum, qui solatiis humanis carent, curam potissimum habendam. Curet omnibus omnia fieri ut omnes lucrifaciat. Luc. 4. 1. Cor. 3.

Initia ferè difficiliora erunt, sed ubi ea perruperis meliora omnia fient, augebitur animus, occasiones benefaciendi accrescent habitâ paulatim majori hominum notitiâ. Si quæ molestia oriatur illa prudenter vel superanda, vel declinanda est, ne perpetuo insultu obruaris, vel exacerbando adversarios tibi in posterum reditum præcludas. Non parum quoque juvabit ad promotionem religionis Catholicæ inter hæreticos, si Sacerdos nullam

Digitized by Google

nullam occasionem elabi permittat, quâ ægrotos etiam hæreticos visitare possit, quia frequenter in mortis periculo fluctuant, & facilè sibi persuadent tutiùs esse Catholicè mori, quamvis tanquam carnijucundiuselegerint in hæresi vivere. Præsertim cum vident prædicantes suos circa moribundos anxios ferè esse, nec libenter accedere infirmos, sed ad hoc officium habere alios, quos animarum consolatores vocant, qui Scripturas aliquot de misericordia Dei erga peccatores illis prælegunt, ac semper ferè eadem repetunt. Rogatifrequenter an velint sustinere in judicio Dei, quòd Religio quam docent, sit certa & secura ad moriendum in ea, nunquam aut vix audent id facere, dicentes singulos pro se rationem reddituros, suam doctrinam bonam esse, quamdiu de meliori non constat. Contigit enim sæpe, cum prædicantes recusarunt securitatem promittere, vocari ab Hæreticis Sacerdotes Catholicos, qui cùm promitterent se in extremo judicio rationem reddituros pro fide Catholica, quòd in ea salvandi essent, si seriò eam amplecterentur, de peccatis dolerent, sacramenta susciperunt, & media ab Ecclesia constituta amplecterentur, multi conversi feliciter mortui sunt.

Jucundum etiam est videre suavem Dei providentiam circa multos ægros in remotioribus locis, ubi Sacerdotes rarò ad manum sunt, constitutos, quod ut plurimum non sinat eos Deus ex hac vita excedere, nisi Sacerdotis præsentiam habuerint, & Sacramenta perceperint, casu Sacerdotibus eò venientibus. Multum etiam boni efficere possunt Sacerdotes per piorum libellorum Catholicorum distributionem, vel sacrarum imaginum, vel rosariorum, & formularum agni Dei, quæ sacra signa jam in medio hæreticorum in longè majori reverentia sunt quàm ante hæc bella in Belgio.

Denique uberrimus fructus sequeretur (quandoquidem omnibus locis de certis Sacerdotibus

pro-

provideri non poteſt, & contingit aliquandò proprios locorum Sacerdotes infirmari, in exilium mitti, vel ex hac vita emigrare) ſi præcipui aliquot Sacerdotes ad partes hæreſi infectas ſponte ſe offerrent, & confraternitatem quandam inter ſe, ſub ſuo Superiore inirent, qualis nuper in Hollandia ſub Vicario Apoſtolico inſtitui cœpta eſt ad imitationem ferè oblatorum S. Caroli Borromæi. Hi paratos ſe exhiberent ad multiplicia Eccleſiæ munia, pioſque labores pro ſalute animarum ſubeundos, ſcilicet ad concionandum, confeſſiones audiendas, curam animarum ad tempus ſuſcipiendam, quandò paſtores abſunt, vel ſunt impediti, aut defuncti, donec loco de aliis ſit proviſum, ad pauperes erudiendos, viſitationes faciendas, aliaſque Eccleſiaſticas functiones obeundas, ad quamlibet denique actionem piam promptè adminiſtrandam; ad omne charitatis officium piè ſtudioſeque obeundum juxta præſcriptum Superioris vel Præfecti: cui tanquam locum Dei gerenti promptè & fideliter obediant, caveantque ſibi ab iis quæ illius authoritatem, vel mutuam ſodalium charitatem lædere quovis modò poſſunt.

Hi magnam curam adhibebunt in inbibendo illum zelum Dei & animarum, illaſque virtutes quibus Sancti, qui Provincias iſtas Chriſto acquiſierunt, præditi fuerunt: humilitatem, obedientiam, abſtinentiam, aſſiduas in Eccleſiarum gubernatione, & animarum directione occupationes, paternam ſolicitudinem, in orando aſſiduitatem, in adminiſtrandis Sacramentis diligentiam, in ſacra lectione, ſtudiis, concionibus laborem, in perſecutionibus & periculis conſtantiam & fortitudinem, in variis tentationibus patientiam, in potentum & perverſorum hominum machinationibus manſuetudinem, cum animi magnitudine conjunctam, morum gravitatem, diſciplinæ Eccleſiaſticæ diligentiſſimum cultum, pro fide Catholica acerrimam dimicationem, miram

ram ergà Sedem Apostolicam observantiam, magnam condescensionem ad infirmos, & commiserationem erga pauperes.

Has inquam aliasq; virtutes ob oculos ponent, videbuntque diligenter ne quâ labe peccati conscientiam fœdent, frequenti confessione Sacramentali se expurgent, nihil loquentur, vel facient, quod à sanctissimorum illorum parentum nostrorum exemplis & institutis sit alienum, ut tantò efficacius eorum patrociniis gaudere mereantur. Singulari devotione Beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam, & Sanctos Apostolos, omnesque Sanctos prosequentur, præsertim Patronos loci in quo laborant, & Angelos locorum custodes, eorumque patrocinio quotidie se commendabunt. Diebus singulis conscientiam suam examinabunt, sacrum (si non quotidie celebrent) rarius tamen intermittent, & ita vivent ut quotidie dignè valeant sacrificium celebrare.

Negotia & necessitates locorum, ubi sunt, Deo intimè commendabunt, pro Patriæ conversione, pro Sanctissimo Domino Nostro, & Superioribus, ac benefactoribus frequenter orabunt. Orationem mentalem, manè præsertim & vesperi, habebunt sibi commendatam, eaque potissimum instituetur de iis, quibus se & alios possint in bono promovere, vel quæ officii sui sunt dignè administrare. Ecclesiarum, altarium, & omnis sacræ suppellectilis & ornatus erunt studiosi, ac in divinis officiis & ministeriis ritè pièque obeundis soliciti. Inprimis verò vitæ innocentiam, & morum castitatem integritatemque summâ curâ prosequentur.

Quod ut exactius observent, à mulierum familiaritate prorsus abstineant, necesse est, nec diutiùs cum eis colloquia misceant, in sacris confessionibus, quàm brevissimè fieri potest, ab eis se expediant, caveantque omnia quæ meritò suspicionem aliquam nimiæ libertatis circà ejusmodi pos-

Digitized by Google

possint ingerere. Victus & vestitus moderationem clericali ordine dignam, & Conciliorum decretis conformem servent: & quando in veste laicali propter pericula incedendum est, non sit ea nimis curiosa, aut aliquam singularitatem, vel mentis levitatem ostentans. Ecclesiæ ritus, ceremonias, institutaque eo majori studio servent, ut reliquos sui ordinis, suo exemplo trahant ad eadem exactè servanda. Et quia monet Apostolus; ut *nemo militans Deo* se implicet *negotiis secularibus*, nullo pacto se immisceant negotiis publicis, vel statum Reipublicæ, vel regimen Patriæ concernentibus quoad temporalia, sed quæ salutem animarum ac Dei cultum concernunt accuratius pertractent. 2. Tim. 2.

Nulla onera extrinsecus oblata, vel bona cum oneribus conjuncta, vel pia legata recipiant absque consensu superioris vel præfecti: ad quem etiam fideliter referent quæ ad usus pios, vel ad necessitates Ecclesiæ sublevandas, pauperes Catholicos alendos, captivos Sacerdotes redimendos, gravi multa suppressos sublevandos, pauperes ab hæresi conversos sustentandos, & libertatem exercitii Catholicæ religionis apud officiales hæreticorum ad redimendam vexam procurandam, ad Seminaria Sacerdotum conservanda, & ad similia à fidelibus contigerit donari, vel ex alia obligatione persolvi.

In colloquiis familiaribus de iis potissimum rebus agant, quæ ad mores formandos, Christianamque institutionem pertinent. Conveniant aliquando simul, & agant de modo commodissimè homines ad fidem & Christianæ vitæ perfectionem trahendi, de remediis contra vitia ac peccata, de ruina pravos habitus & consuetudines extirpandi, tentationes superandi, virtutes inferendi, de auxiliis in via Dei comparandis, de ratione instruendi homines circa dignam perceptionem Sacramentorum, orandi, meditandi, de modo

modo succurrendi infirmis, & debita præparatione ad mortem, & similibus.

Aliquando etiam conferant de fructu quem in Domino fecerunt circa proximorum salutem, de casibus conscientiæ, de dubiis, de difficultatibus occurrentibus, aliisque rebus spiritualibus, quibus invicem & proximos juvare possint & promovere ad salutem. Sæpius scribendum ad Præfectum de fructu quem in conversione animarum fecerunt ad ædificationem Ecclesiæ, & de iis quæ alicubi emendanda judicaverint.

Ad quoscunque tandem missi fuerint eâ corporis animique moderatione utentur, quam ordo Ecclesiasticus, ipsorumque institutum exposcit. Expediet aliquando, ut ingenio eorum, cum quibus agent, initio se attemperent (quantum fieri sine peccato potest) ut sic cum Apostolo omnibus omnia fiant, ita tamen ut meminerint ad hoc tandem homines perducere per Dei gratiam, quod illorum saluti magis expediet. Diligentissimè interim attendant, ne prætextu aliorum salutem procurandi, propriæ perfectionis obliviscantur: sed sæpè illud Domini mente revolvant; *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Existiment sibi dictum illud Pauli: *Attende tibi & doctrinæ, insta in illis: hoc enim faciens & te ipsum salvum facies, & eos qui te audient.*

1. Cor. 9.

Matth. 16.

1. Ad Tim. 7.

Ne igitur consueta devotionis exercitia imminuant, nisi quandò necessitas, aut charitas aliud postulaverit, ut opus sit quodammodò Deum propter Deum relinquere. In omnibus se præbeant *Exemplum bonorum operum, in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* Avaritiæ quoque levissimam suspicionem fugiant, munera notabilia non recipiant. Si quid tamen ab aliquo offeratur bono corde pro utilitate Ecclesiæ ad bonum commune expendendum, id ad Præfectum mittant. Necessitates Ecclesiæ ditioribus & cordatio-

1. Ad Tim. 4. & ad Tit. 2.

ribus

Digitized by Google

ribus prudenter & discretè commendent, *non ut quærentes datum, sed* ut desiderantes ipsorum *abundantem* spiritualem *fructum* & salutem, ut divites fiant in bonis operibus, pauperibus, vel Ecclesiæ necessitatibus subveniendo. Sciant Dominum quidem concessisse *ut ij qui Euangelium annuntiant de Euangelio vivant*, non tamen ut delitientur. Philip. 4. 1. Cor. 9.

Caveant ubique ne delicatiores esse videantur, sed frugali hospitio & cibis, qui iis apponuntur, se contentos esse cum animi hilaritate ostendant, *Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti simus* inquit Apostolus. *Radix enim omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes, erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ô homo Dei hæc fuge, sectare verò justitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam.* Tempore & loco oportuno sermones de rebus spiritualibus inferre studeant, rudes catechizent: quod ut copiosiùs faciliusque præstent animum divinarum rerum assidua commentatione pascant, memoriamque sacrarum literarum commemoratione & lectione exerceant.

Priusquam se itineri committant patentes literas à Præfecto vel ejus Substituto petant, ad monita omnia accuratè attendant: literas istas Archipresbyteris vel Ordinariis locorum ostendant, & ab iis, quæ cuique loco ad spiritus auxilium necessaria sint, sciscitentur, proprios populi mores & abusus cognoscant ex Ecclesiasticis aliisque viris, ut suis exhortationibus, vel piis institutionibus ad hæc accommodatis uberiores fructus faciant oportunè taxando vel laudando.

Meminerint quoque domum aliquam ingressi ut pacem isti domui, juxta præceptum Domini precentur, & pro ratione suæ missionis, ut vera pax inibi existat, omni officio provocare nitantur. Captent prudenter occasionem se insinuandi, & lucrum spirituale faciendi. De domo in domum Luc. 9.

Digitized by Google

non facilè transeant, sed quamvis frugali portione contenti (modo illis graves non sint) in eadem domo persistant.

Potissimum inculcent hominibus ut catechisticam institutionem audiant, & de ea pueris tradenda sint soliciti, ut quotidianæ orationis matutinæ & vespertinæ usus retineatur, ut non desinant, quando possunt, sacrificio Missæ, & concionibus interesse, ut Confessionis & Eucharistię Sacramentá frequentent, Pastoribus suis obediant, pauperum & infirmorum rationem habeant, iisque pro posse succurrant, concordiam servent, in persecutionibus animum non abjiciant, errantes & flaccescentes prosuo modulo reducant, & adducant ad Sacerdotes ut instruantur, ut ad Ecclesiæ ornatum, & necessitates ejus sublevandas liberaliter contribuant, Sacerdotes qui spiritualia illis administrant, suscipiant, memores quod qui eos recipit, Christum recipit; *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ accipiet, mercedem Prophetæ accipiet*, ut ait Dominus; *Nos debemus*, inquit, *suscipere hujusmodi ut cooperatores simus veritatis.*

Moneant ditiores, ut pauperibus sint subsidio recipiendo eos in domos suas, ut pabulo verbi Dei & Sacramentorum reficiantur à Sacerdotibus, quia apud tenuiores (ne illis sint oneri, & quia commodas domos ad congregationes faciendas non habent) divertere non possunt.

In summa, quæ ad fidei integritatem, ad Dei cultum, ad honorem Sanctorum, fugam vitiorum, hæresis & regni Diaboli extirpationem faciunt, studiosè procurent. In laboribus missionum, aliisque diligenter suscipiendis & exequendis crebrò se excitent exemplo Christi & Apostolorum, spiritualium præmiorum memoriâ, eorumque quæ à Deo bonorum omnium retributore certissime parata sunt fideliter in vinea Domini laborantibus. In omnibus exhibeant se *operarios inconfusibiles, rectè tractantes verbum veritatis, ut qui ex adverso sunt nihil habeant malum dicere de nobis.*

Digitized by Google

Reversi denique à missione Præfecto patentes literas restituant, & de singulis in ea transactis relationem faciant, & rationem reddant. Expediet omnino ut singulis annis per unam saltem hebdomadam spiritualem secessum quærant, locum tranquillum deligendo ad recollectionem, & renovationem bonorum propositorum contra quotidianos defectus. Necesse est enim inter varias occupationes, inter hæreticos & mendaces homines, de humano pulvere religiosa corda sordescere, & retia ipsa quibus alios capere salubriter nitimur inquinari, quæ proinde à piscatoribus hominum descendentibus in seipsos, lavanda aliquando erunt.

Hæc pro nostro modulo de necessitate & dignitate juvandi animas, nec non de modo illis succurrendi, diximus contractè & breviter, ut uno quasi intuitu ea quæ maximè ad rem facere videbantur, cuivis valeant innotescere. Porrò omnia quæ hactenus, zelo juvandi plurimos, diximus. S. R. E. censuræ, subjecta esse desideramus, petentes, ut si quid benè, id totum divinæ gratiæ: si quid verò minus rectè, aut solidè, id nostræ infirmitati tribuatur & ignorantiæ.

Oratio ad CHRISTUM.

MItte ô Princeps Pastorum Domine JESU Christe fideles & prudentes operarios in messem tuam, da verbum Evangelizantibus virtute multa, ut omnes gentes quascumque feciſti veniant & adorent te, & glorificent nomen tuum: ne sinas ut tot animæ ad imaginem & similitudinem tuam conditæ, & sanguine tuo pretioso redemptæ, pereant; respice ad creaturas tuas Diabolica fraude deceptas, reduc infideles ad Ecclesiæ tuæ gremium, ut tandem aliquando fiat unum ovile & unus pastor. Conserva etiam Ecclesiam tuam, vineam quam plantavit dextera tua, ne sinas ut ferus aper eam exterminet, aut ut vulpes suffodiant; aufer à Regno tuo omnia scandala, dissensiones & schismata. Munda sanctuarium tuum: libera errantes ab erroribus suis, & illumina tenebras eorum, ut ad lucem fidei, & unitatem Ecclesiæ revertantur. Da fidelibus tuis pastores secundùm cor tuum, qui verbo & exemplo eos pascant, cum

Digitized by Google

omni fiducia loquantur verbum tuum, ardenti zelo animarum salutem procurent. Da ut iidem vinculo caritatis & concordiæ colligati, & bonis operibus jugiter intenti viam mandatorum tuorum indefessè percurrant, aliis ita attendant, ut sibi non desint. Da illis sedium tuarum assistricem sapientiam, quæ cum illis sit & laboret ut sciant & faciant quod acceptum est coram te omni tempore.

Maneant in te ut boni palmites in vite, ne unquam foras mittantur ut arescant, sed fructificent in vitam æternam. Munda affectus eorum à vanitatibus sæculi: illumina corda eorum gratia Spiritus Sancti: communica illis spiritum mansuetudinis tuæ, humilitatis, patientiæ, discretionis & prudentiæ. Da ut ardentissima caritate tibi adhæreant, in vocatione sua sancta perseverantes, sitiant vehementer salutem animarum, pro quibus tu Domine animæ tuæ non pepercisti, sed post flagella & opprobria mortem amarissimæ crucis pati dignatus es. Erudi illos spiritu sapientiæ & intellectus, exorna illos spiritu consilij & fortitudinis, instrue illos spiritu scientiæ & pietatis, & ne unquam à voluntate tua sancta aberrent dirige eos spiritu timoris tui. Defende tua virtute cultores vineæ tuæ contra devastantiam rabiem. Da ut gentes Paganorum & hæreticorum, quæ in feritate sua confidunt, dextera tuæ potentiæ conterantur. Esto misericors Domine Barbaris, Idololatris & Dæmonis illusione deceptis.

Recordare etiam Judæorum duræ cervicis, auser tandem velamen à cordibus eorum, ut cognoscant te Deum & Salvatorem suum. Extende quoque misericordiam tuam in omnes qui peccatis mortiferis oppressi jacent, nec sine gratia tua resurgere possunt, tange corda illorum illo tuo efficaci auxilio, quod à nullo duro corde respuitur, ut respiscant tandem à Diaboli laqueis, & vivis Ecclesiæ tuæ membris annumerentur. Da bonis ut in bono perseverent, nullisque tentationibus à te separentur. Noli respicere ad iniquitates nostras, sed propter gloriam nominis tui adjuva nos, per ardentissimum amorem quo nos dilexisti, per pretiosum sanguinem, quem pro nobis abundanter effudisti, per labores & molestias, quas in reducendis incredulis, & convertendis peccatoribus suscepisti: per intercessionem B. Mariæ quam in Matrem tuam, & advocatam nostram elegisti, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, Domine miserere. AMEN.

Digitized by Google

AUREUS TRACTATUS

DE

Ratione administrandi Sacramentum Confessionis, à S. Carolo Borromæo Cardinali editus, & ex Bibliotheca P. Antonij Possevini in gratiam Confessariorum excerptus, ac huic operi haud incongruè adjectus.

Notent Confessarij & sapiant.

UT Confessarij Pœnitentiæ Sacramentum administrent, eo cum fructu, qui maximus esse possit (is verò in sincera vitæ emendatione positus est) neve in tanti ponderis negotio cum propriæ conscientiæ summo onere convenientem non adhibuisse diligentiam videantur (id quod summoperè timendum est multis, ne scilicet in gravem reprehensionem inciderit eorum industria, cùm de tanto numero confitentium, tam exiguam emendationem videamus in iis, qui toties, & tam multis ab hinc annis hoc Sacramentum frequentarunt) præceptiones, & admonitiones nostras omnes jam pridem diversis temporibus hac de re datas in unum contulimus, atque alias quasdam iis adjunximus, quas in hunc finem utiles, & necessarias esse sumus arbitrati. Quamobrem per viscera misericordiæ Domini Nostri JESU CHRISTI eos exhortamur, ut quemadmodum eorum officium, & vocatio requirit, hac in causa, & negotio, quod ad animarum salutem usque adeò pertinet, summa cum diligentia nostræ sollicitudini cooperari velint, nostramque intentionem in eo positam, ut populus Christianus, quem Dominus nobis regendum tradidit, in viam salutis commodè dirigatur, promovere pro sua virili studeant.

Digitized by Google

Nullus sine approbatione Confessiones audire potest, ne puerorum quidem.

Nullus igitur neque sæcularis, neque regularis Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum aggredi præsumat, si non approbationem, & licentiam antea nostram in scriptis habeat, ut ritè Concilium Tridentinum ordinavit; sin aliter fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto, juxta primi Concilii nostri Provincialis decretum, incurrisse se noverit, & si sacrum Missæ officium postea celebret, irregularis erit.

Caveat autem sibi quisque hac in re, ne prætextu minoris ætatis, se abduci à recto patiatur, quasi pueri sint, qui nondum ad usum rationis pervenerint, quorum audit confessiones: solet enim usu venire, ut in pueris etiam, quamvis in ætate sint adhuc tenera, peccata mortalia inveniantur. Ac verò nemo per speciem necessitatis alicujus se falli sinat, ac necessitatem interpretetur pro quavis ægritudine, etiamsi gravis, & periculosa illa sit, cùm ad proprium pastorem, aut alium confessarium à nobis approbatum recurri potuisset. Immò nullus huic se negotio pergat interponere, quamvis à pastore ejus, qui confiteri cupit, vel Vicariis nostris consensum obtinuerit, nisi tales ij sunt, qui specialem à nobis acceperint potestatem, ut eam alteri concedere deinde possint.

Sacerdotes autem, qui confessiones audiendi licentiam à nobis obtinuerint, cum definita temporis, loci, certarumque personarum limitatione videant, ne potestatis concessæ limites ullo modo excedant.

Confessariorum Catalogus.

Prima cum opportunitate Regularium Superiores catalogum confessariorum, quos ad hoc officium elegerint, quive in hac civitate, vel diœcesi nostra habitant, nobis exhibeant, quo eorum nomina, cognomina, & natale solum habeantur.

Sed quia sæpius contingit, ut per suorum obedientiam mutentur, idcirco bis in anno prædictum catalogum nobis offerent; primum quidem ad primam septimanam Adven-

Digitized by Google

Adventus, ſecundum deinde primis feriis Quadrageſimæ: Confeſſarij autem qui in noſtra diœceſi verſantur, Paſtoribus, aut Vicariis foraneis, teſtimonium admiſſionis ſuæ, qua ad hujuſmodi munus idonei eſſe judicati ſunt, quotieſcunque ab eis exigetur, ne recuſent oſtendere; in templis verò, in quibus plures ſint confeſſarij, in foribus ſacrarij tabula ſuſpenſa habeatur, quæ omnes ejus templi confeſſarios à nobis approbatos contineat, quę toties mutanda erit, quoties alij deligentur.

Confeſſarij, qui à cenſuris & caſibus reſervatis abſolvendi poteſtatem à nobis habent, ſumma cum prudentia eam exerceant, ut ſit ædificationi potius, quàm deſtructioni locus; quamobrem ſi in utilitatem & auxilium pœnitentis, qui in aliquod ejuſmodi peccatum inciderit, judicent expedire ad nos eum remittere, admoneatur, ut id facere debeat.

Confeſſarij quamvis approbati, Caſibus conſcientiæ ſtudeant.

Omnes Confeſſarios quamvis à nobis ut idonei ſemel admiſſi fuerint, tamen ob graves & diverſos ſcrupulos, qui pœnitentibus indies occurrunt, & plurimas difficultates ſibi cohærentes habent, præmonitos volumus, ut bonos, & claſſicos auctores nonnullos, qui Caſus conſcientiæ ex profeſſo tractant, manibus continuè terant, quod ſi non videantur ſibi ſatis judicij, & doctrinæ comparaſſe, ut poſſint quæſtiones objectas reſolvere, meminerint adire doctiores, & in talibus melius verſatos. Sciant aut nos in hunc finem dediſſe ſpeciatim eas partes Pœnitentiario majori Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, ut cum Theologis, & Juris Canonici peritis, ſi quæ dubia, & controverſiæ circa res conſcientiæ in hac noſtra diœceſi obveniant, & de iis conferat, & diligenter diſcutiat, ut poſtquam res graviores nobis communicarit, omnem dubitationem eximat iis, qui ad ipſum conſulendi cauſa accedent.

Examinent præterea vires ingenii, & ſcientiam, quam habent, nec ſe temerè ad confeſſiones audiendas eorum ingerant, quos cenſuris ita quibuſdam involutos eſſe ſuſpicentur, ut ſeſe inde ſatis explicare neſciant.

Digitized by Google

Bonam habeant notitiam censurarum, & Casuum reservatorum, particulatim autem Bullæ in Cœna Domini legi solitæ; similiter Canones Pœnitentiarios, & nostras has admonitiones sæpiùs legant.

Confessariorum Bonitas.

Cùm dubium non sit, quin is qui peccato mortali infectus, Sacramentum quodvis administrat, novo se scelere rursus obstringat; diligenter observent, qui Confessarij partes agunt, ne cum peccati mortalis conscientia confessiones audiant, multò verò minus id audeant, si qua censura teneantur Ecclesiastica ligati.

Qui verò fervidi animi Confessarius est, animarumque salutis studio tenetur, ut eas ad virtutes inducat, divinisque remediis adjuvet, quibus contra peccata vel pœnitens utatur, vel ab iisdem abstrahitur, qui doceat itidem dæmonis astutias perspectas habere, qui demum pœnitentem exuere veterem hominem, & novum induere laboret, ac confingere in eo formam aliquam speciemque perfecti Christiani, non satis id sibi habere debet, si nulli peccato mortali obnoxius Sacramentum Pœnitentiæ ministret, sed cùm facilè cognoscat magnoperè referre ad præstandum ea, quæ dicta sunt, prius in seipso exprimere, quæ in altero videre desiderat (quandoquidem plus exempla, quàm verba commovent animos) neque quis aliorum animis ingenerare virtutem potest, quam ante non in se possideat, necesse est, atque in iis virtutibus acquirendis operam diligentem ponat, quibus ipsa perfectio acquiritur.

Sed quoniam Regulares, cùm ad confessiones audiendas emittuntur, solùm examinari solent sintne sufficientes, & doctrinam justam habeant, neque nos aliter perspectos mores eorum, & bonitatem vitæ probatam tenere possumus, ideo Superiorum eorum conscientias oneramus, ut ad hujusmodi provinciam non alios nobis in publicum deducant, quàm qui probitate, atque integritate vitæ tales sint, qui laudabiliter hoc Sacramentum exhibere queant, cujus quidem rei scripto nobis fidem dabunt, nec aliter eos admittemus.

Con-

Digitized by Google

Confessarij diligentia.

Prompto, ac parato animo ad confessiones audiendas accedant, evitentque diligenter, non solum ad subterfugiendum laborem, ne submoveant intempestivè venientes ad se confitendi gratia, sed neque signo, aut verbis ullis præseferant, ægrè se, gravatoque animo confessiones eorum excipere; quin potius ita se comparent, ut intelligant pœnitentes eos salutis eorum causa multum solatij, & gaudij ex ijs laboribus haurire.

Confessarij quando maximè Confessionibus audiendis vacare debeant.

Ex hac eorum alacritate nascetur etiam hoc commodi, ne pœnitentes excusationem justam prætexere possint, se non esse confessos, maxime quibus temporibus ad id tenentur, per speciem quasi commoditatem non habuerint. Præterea autem admonemus Confessarios, si vel ad exequias, vel quævis alia Ecclesiastica munia illos evocari contingat, nisi causa prorsus sit necessaria, ut ne confessiones iis diebus propterea vel interrumpant, vel intermittant, quibus frequentiores solent occurrere, maximè octiduo, aut amplius ante diem natalem D. N. JESU Christi, in Quadragesima, & præcipuè circa medium illius usque ad octavam Paschæ, nonnullis etiam diebus cum Jubilæum promulgatum est, alijs solennioribus festis, quibus, ut plurimum, populus, vel omnis, vel ex majore parte ad Confessionis Sacramentum confluit.

Cupimus etiam in hunc finem, Superiores Regularium certiores ea de re redditos, ut prædictis temporibus procurent, quantum poterunt numerum maximum Confessariorum, qui doctrina, & timore Domini insignes, atque à nobis approbati in suis Ecclesiis pœnitentes audiant.

Confessiones ægrotorum quomodo excipiendæ.

Quoties Regulares ad ægrotantium confessiones excipiendas accersuntur, si necessitas aliud non suadeat, ex Pastore prius intelligant, quæ conditio, & status sit ægroti,

Digitized by Google

ut tantò diligentius animadvertant, si quid allevamenti conscientiæ illius præberi valeat, præsertim in summo temporis illius articulo, in quo velut in cardine vertitur aut animæ salus, aut perditio æterna: quod si temporis brevitas non patiatur ante confessionem id fieri, saltem ab audita confessione quàm citissime fiat, ut tam ipse Confessarius, quàm Pastor in procuranda hominis infirmi salute suo officio non arguantur defuisse.

Cùm primum Sacerdos Sacramentum Pœnitentiæ cuipiam ægroto ministravit, in schedula subscribat, (quæ qualis esse debeat, infra dicetur,) eaque fateatur se pœnitentis confessionem excepisse. Quod ideo fit, ne Medici curam suam subtrahere infirmis cogantur, juxta Bullam fel. mem. Pij V. & Decretum primi nostri Concilij Provincialis, & ne per negligentiam Confessariorum in dicta fide præstanda sumant occasionem excusandi se ab observantia præfatæ Bullæ, & Decreti.

Confessiones extra templum non audiendæ.

Popularium in domibus confessiones nemo audiat, nec virorum, nec feminarum, cujuscunque vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi dum ægrotant; quod cum fit, & mulierum confessiones Sacerdos excipit, ostium apertum sit, ita ut ab iis, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, ne etiam si vel leviter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem eo loco; nisi post ortum solis, & ante ejus occasum audiantur.

In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur. etiam virorum, si qui solent in templo confiteri: Hanc ob causam omnibus in templis sedes hujusmodi multæ construantur, quàm multi solent esse Confessarij; sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quem admodum ordinavimus, generatim eas debere construi.

Constituantur autem prædictæ sedes loco tam aperto, ut ex omni parte conspici possint, quod si præterea locus haberi talis possit, ut obstaculum aliquod intercedat, & ut

dum

Digitized by Google

dum quis confitetur, interea cæteri à ſpatiis plus æquo propinquis arceantur, id fiat, ubi verò malus mos aliud obtinet, Confeſſarij partes erunt ſedem ipſam loco movere, ſimul & populum nimis vicinum antequam confideat propellere, quod item faciet, dum in confeſſionibus verſatur, ſi occaſio requiret.

Confeſſarij in audiendis Confeſſionibus ſcopus.

Confeſſarius in hujus Sacramenti adminiſtratione, ſic animi ſui propoſitum ordinet, ac dirigat neceſſe eſt, ut nullus eum intuitus humanus eò pertrahat, ſed ſola Dei gloria, & animarum ſalutis deſiderium: quocirca quoties vel evocabitur ad confeſſiones audiendas, vel ad eas ſeſe conferet, totus in Deum erectus, cum ipſo opere mentis oculos in hunc finem conjiciat, & diligenter attendat ſe eò pergere, ut pœnitentes pretioſiſſimo Salvatoris noſtri JESU Chriſti ſanguine abluat, ac mundet.

Sed quia in hujus Sacramenti tractatione multa inveniuntur pericula, ne ſcilicet errent in variis quæſtionibus, & obligationibus decidendis, quæ in illud forum veniunt, vel abſolutionis gratiam re ipſa indignis impertiant, vel aliquo modo animam ſuam inquinent, dum multorum inquinamenta, fœditateſque audire neceſſarium eſt, nunquam ad tantum hoc officium ſeſe Confeſſarius accingat, quin prius brevi aliqua oratione, prout res feret, lumen & gratiam à Domino petat, ut non ſolum in nullam reprehenſionem vel errorem incidat, verùm aliorum ſordes ſic abſtergere valeat, ut ſe ipſe non polluat: ſimul etiam Deum orabit pro vera emendatione eorum, quorum confeſſiones auditurus eſt.

Oratio ante audiendas Confeſſiones facienda.

Habeant igitur ſinguli verſiculos illius Pſal. 50. & orationem antiquis temporibus ab Eccleſia uſitatam penes ſe in ſcriptis, cujus quidem alterum exemplar in ſacrario cujuslibet templi (in quo ſunt Confeſſarij) deinde, alterum introrſus in ipſis ſedilibus, volumus affigi, ut antequam ad confeſſiones aggrediantur, eam aut ſimilem aliquam, prout cujuſque pietas feret, apud ſe legant:

Digitized by Google

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et spiritum rectum innova in visceribus meis.*
℣. *Ne projicias me à facie tua.*
℟. *Et spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*
℣. *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*
℟. *Et spiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impij ad te convertentur.*
℣. *Libera me de sanguinibus Deus, Deus salutis meæ.*
℟. *Et exultabit lingua mea justitiam tuam.*

ORATIO.

DOmine DEUS *omnipotens, propitius esto mihi peccatori, ut dignè possim tibi gratias agere, qui me indignum propter tuam magnam misericordiam, ministrum feciſti officij Sacerdotalis, & me exiguum humilemque constituisti ad orandum, & intercedendum ad Dominum nostrum* JESUM *Christum Filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam revertentibus: Ideoque Dominator Deus, qui omnes homines vis salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui non vis mortem peccatorum, sed ut convertantur & vivant; suscipe orationem quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt; ut des illis spiritum compunctionis, resipiscant à diaboli laqueis, quibus astricti tenentur, ut ad te perdignam satisfactionem revertantur. Per eundem Dominum nostrum* JESUM *Christum.*

Sacerdotes sæculares non nisi toga, & stola decenter amicti, pœnitentes audient. Quod etiam tum fieri volumus, cùm ægrotantium excipiunt confessiones, licet id faciant apud eos domi.

Nullorum accipiantur confessiones, nec in Civitate, nec verò in tota Diœcesi nostra, sine nostra, vel Vicariorum foraneorum expressa licentia, post Dominicam Palmarum usque ad diem integrum Paschæ peractum, nisi eorum qui paulò ante confessi sunt, aut saltem à Quinquagesima præcedenti, excipimus semper ægrotos. Cæterorum verò confessiones infra octavam Paschæ differantur, secundum constitutionem nostram Pastoribus datam, idque graves ob causas in ea declaratas.

Con-

Digitized by Google

Confessarius non facilè mutandus.

Si quem deprehenderint, qui sine ratione legitima Confessarium suum deserat, qui quidem perappositus erat alioqui ad illum in viam salutis dirigendum, conetur eumdem peropportunè reducere; tum reprehensa pernicioſa hominum negligentia, qui Confessarium doctum & prudentem sibi deligere negligunt, tum quasi noxia, & vitioſa frequenti mutatione Confessarij detestata, quemadmodum enim medici, qui naturam, temperamentumque corporis in infirmis perspectum habent, non facilè permutari solent, quòd morbis necessaria facilius invenire remedia norint; sic neque videntur pœnitentes, nisi magno delectu, à medicis suis discedere debere, cum ij meliùs animarum vulneribus adhibere opportuna, ac utilia instituta possint. Si tamen justa de causa Confessarius aliquem ad se venire permittat, qui pij & prudentis alterius in confitendo consilijs ante utebatur, utile erit cum illo ipso communicare, vel saltem dare operam, ut pœnitens ab eo abeundi honestam licentiam nanciscatur.

Confessarij inter se convenire debent.

Confessarii omnes, præcipuè si qui in nostra Diœcesi eo munere funguntur, curare debent, ut inter eos, & Parochos locorum, ubi confessiones audiunt, bene conveniant, sive cum illorum ibi sint monasteria in propinquo, sive cum ob habitas conciones, sive ob aliam quamcumque causam confessiones audiunt. Itaque non absolvant eos, qui vel ob exempla vitæ impiæ, & in eo statu perseverandi pertinaciam, vel quòd ad pœnitentias publicas, sive legata pia, vel similia quædam tenebantur; atque ideo à Pastoribus suis absoluti non fuerint. Proinde sæpius Regularium Superiores suos admoneant hujus rei necesse est: præcipuè autem ad animorum concordiam, quæ ad ædificationem quoque plurimum valet, diligenter eos exhortentur, præmoneantque, si in quæstionis alicujus explicatione inter eos & Pastores sentiendi quædam accidat diversitas, ut ea cum prudentia se se gerant, ne

ad

Digitized by Google

ad vulgi aures ea perveniant, quin statim ad nos potius pro rei controversæ definitione accurrant.

Meminerint ad Sacramentum Pœnitentiæ non permittere venire eos, qui sine convenienti tum exteriore tum interiore animi præparatione volunt accedere, quin magis verbis caritatem spirantibus pro captu cujusque tales alloquantur, & dicant, ubi sese melius pro dignitate tanti Sacramenti disposuerint, ita demum ad se revertantur.

Mulieres quæ in Confessione audiendæ non sint.

Itaque mulierum earum confessiones non audiantur: quæ cerussatæ veniunt, quæ fucis utuntur, quæ faciem sibijs depingunt, quæ ex auribus monilia gestant, quæ levibus, & vanis ornamentis, quæ pannis aureis aliisque similibus lasciviis promptè, ac comptè accedunt, &, ut semel omnia dicam, quæ vestes modestas non habent, nec simplici cultu incedunt, nec in capite velum aliquod gerunt, quod notabiliter non transpareat, quæve saltem operimentum ex lino, lanave confectum, vel peplum sobrij alicujus coloris non habent: sic enim hujus Sacramenti reverentiam decet, & ita prorsus cognitioni peccatorum, & de eisdem dolori intimo consentaneum est, cum scilicet cogitare debeant, quod ante tribunal, & judicium Domini Dei sui se sistant, ac quasi peccatrices misericordiam, & veniam suppliciter de eisdem imploraturæ veniant.

Idem necesse est in viris observetur, ut videlicet ad confessiones non admittantur, qui vestitu viro indecenti, qui auro intextis pallijs utuntur, qui lascivis pileorum ornamentis induti sunt, qui item cum armis accedunt, aut similibus rebus.

Majus multò studium Confessarius ponat in interiore animi præparatione, quando necesse est, prudenter inquirenda; ea enim planè ad hoc Sacramentum requiritur, cerniturque maximè in seria, & solida peccatorum examinatione, quæ ad unumquemque pertinet, ita ut universi, quantum in se est, eum animi dolorem, qui jure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma, ac constanti deliberatione animi, tùm præteritis satis-

Digitized by Google

satisfaciendi, tum vitam in posterum emendandi. In quibus igitur eam præparationem desiderari animadvertent, verbis benevolis persuadere conabuntur, ut denuò conscientiam suam diligentius examinent, ac rectè sese præparent.

Quomodo malè homines ad Confessionem parati accedant.

Signa autem ex quibus conjectura capi potest, eos sine justa præparatione ad Sacramentum venire, hæc sunt. Si ad confessionem properant, quasi ab ipsa occupatione rerum suarum avulsi, nullo temporis spatio prius in orationem collato, vel si eos peccatorum nullam habere cognitionem appareat: deinde si Confessarius jam tum præsciat, quòd à confessione nihilo minus, ac ante suis in peccatis sint perseveraturi, sive quod in se peccatum mortale quodpiam teneant, vel quòd occasionem quæ ad mortale pertrahat, amplexi teneant, nec ei valedicere velint, sive quòd aliena bona, cùm possint, restituere negligant.

Advertat tamen Confessarius, si pœnitentes studij nonnihil à se præstitisse ad eam præparationem, de qua dictum est, consequendam viderit: & observet tamen vel ob eorum ruditatem, vel quid aliud, necessariò aliquid iis deesse, ut ipsemet quod deest suppleat sua industria, & ad cognitionem majorem eos inducere adlaboret: quod fiet optimè, si peccati turpitudinem & gravitatem ponat illis ob oculos, quippe quod Deo adversetur vel maximè, ac damnationis æternæ malum peccanti infinitum adferat, atque hoc pacto pœnitentem inflectere, & sic effringere conetur, ut de universis & singulis peccatis mortalibus, tam acrem animi dolorem persentiat, ut securè eis absolutionis beneficium possit impertiri.

Præterea, pœnitentes, sed eos præcipuè qui rarius confitentur, pro judicio, & necessitate cujusque, rationem ac methodum quandam benè confitendi diligenter edoceant, ac speciatim quantum interfit ut integra sit confessio, aliasque circumstantias quæ ad ea requiruntur, & quam vim itidem habeant exponant.

Pueri

Digitized by Google

Pueri quomodo audiendi.

Consuetudo honesta est, puerulos, etiamsi quintum, aut sextum ætatis annum necdum excesserint, ante Confessarium adducere, ut sic incipiant paulatim instrui, ac manu quasi in cognitionem, atque usum hujus Sacramenti transferri: caveant tamen accuratè Sacerdotes, ne absolutionem cum Sacramento iis præbeant, in quibus nec idonea materia, nec ea rationis plenitudo reperitur; ac citra controversiam judicare possint, eos hujus Sacramenti capaces esse: operam tamen majorem collocabunt cum iis, qui septimum, aut octavum annum jam attigerunt, quantum puerilis ætas ferre videbitur, ut hujus Sacramenti necessitatem & virtutem, nec non modum quo suscipitur, perspicuè intelligant.

Quando Communio pueris tradenda.

Qui verò confessiones audiunt puerorum, aut puellarum, qui jam annos decem vel duodecim numerant, quos proinde aptos ad venerabile Sacramentum altaris propediem fore existimant, solerter videant, ne vel sua, vel parentum negligentia, & socordia, absque gustu tanti thesauri spiritualis eos patiantur adolescere: quin potius quantò minori cum productione temporis, quamque diligentissime fieri poterit, doceant eos, quæ ad hoc Sacramentum percipiendum necessaria sunt; fructusque innumerabiles inde manantes, tum quanta animi demissione, ac reverentia, quamque magna conscientiæ puritate opus sit.

Cæterum, postquam iterum atque iterum eorum confessiones jam audierint, vel per se venerabile Sacramentum eis porrigant, illiusque rei fidem scripto faciant, ut Pastori suo exhibeatur, quo deinceps in Paschate ad communionem Pastor eos, cum ceteris adjungat, vel ad eam sumendam instructos & idoneos esse scriptis declarent, atque proprium ad Pastorem amandent.

In ipso aditu confessionis, antequam peccata sua quis enumerare pergat. Confessarius, maximè si cum rudioribus hominibus agit, quive rarius confitentur, debebit quas-

Digitized by Google

quasdam interrogationes præmittere, quibus in decursu confessionis omnia commodius cedent: sunt autem interrogationes hujusmodi. Primum si certum non habet, pœnitentem ex eorum numero esse quos absolvere rectè possit, interroget, quo modo id sit: si non esse talem inveniat, quamprimùm ad alium qui absolvendi potestatem habet, remittat; sin aliter est, & tamen nihilo secius pœnitentem satis non agnoscit, quærat secundo loco: quo in statu res ejus sint, cujus ipse conditionis sit, quam professionem, aut artem tractet, quod officij genus, ut plurimum exerceat: interrogabit deinde, quantum temporis iuterceſſit, postquam confessus est, interim in memoriam ei redigens, quam magnum emolumentum parere soleat crebrò iterata confessio: tum petet utrum pœnitentiæ nuper præscriptæ sibi fecerit satis: quæret etiam, si norit articulos Fidei, præcepta Decalogi, & S. Matris Ecclesiæ: quod si nesciat, tum se geret eo modo cum pœnitente, quem inferius indicabimus.

Quæ sint initio Confessionis facienda.

Quærat utrum diligentiam, atque industriam congruentem in conscientia bene examinanda collocarit; quæ sanè tanta requiritur, quanta in negotio quovis maximi ponderis inesse solet: res enim verè operosissima est ad Sacramentum Pœnitentiæ rite accedere: atque hoc loco, si necessitas efflagitat, eum de utili quodam modo examen conscientiæ faciendi instituat, quænam ratio sit ad memoriam revocandi peccata commissa, cum iis, quæ circumstant omnia; nimirum ut ingrediatur in seipsum, vitæque tempora speciatim percurrat, initio quidem quantum ad ætatum momenta, pueritiæ scilicet, juventutis, & cæterarum pertinet: secundo quantum ad status mutationem; quòd si uxorem duxerit, quomodo ante, quomodo post matrimonium contractum sese gesserit: tertio quantum facit ad vicissitudines humanæ vitæ, in rebus prosperis videlicet & adversis, in sanitate & ægritudine, tempora varia, officia diversa, quæ exercuit, sodalitia, loca, regiones, in quibus egit &

Digitized by Google

versatus est, circa hæc omnia videat, an corde, lingua, vel opere peccaverit aliquando.

Confessionis conditiones.

Ad hæc conditiones quæ ad confessionem perfectam requiruntur, quanta poterit brevitate, & facilitate illi proponet: poterit verò ad quatuor, vel quinque præcipuas reducere illas sexdecim à Doctoribus sæpè commemoratas, quæ his versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, & discreta, libens, verecunda.
Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Rogabit an recordetur se, vel in casum aliquem reservatum, excommunicationem incidisse, vel quod aliud impedimentum habere, à quo probabiliter arbitretur, quòd absolvi non possit, si quid hujusmodi in exordio, vel in ipso decursu confessionis reperiat, ne procedat ulterius, sed significet pœnitenti, eum à se absolvi non posse, verum necessarium esse, ut aut nobis, aut Pœnitentiario majori Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ, aut alteri, cui à similibus absolvendi potestas collata est, se exhibeat: si tamen ratio aliqua subsit, cur Confessarius non expedire judicet, ut pœnitens id agat, tum ipsemet ad Pœnitentiarium, vel ad nos, pro absolvendi potestate impetranda recurrat.

Confessarius quomodo se geret cum iis, quos absolvere non poterit.

Si pœnitens extra civitatem sit, taleque negotium sit, ut ipse Confessarius à Vicario nostro foraneo, aut alio in iis locis ad similia decidenda à nobis deputato subdelegari possit, ab eis absolvendi potestatem legitimam impetret, vel pœnitentem ad eos remittat, nisi forte nec ipsi à casibus reservatis absolvendi potestatem à nobis haberent, aut casus iste sub eorum licentia comprehensus non sit, hoc tempore, si pœnitens Mediolanum venire possit,

Digitized by Google

sit, hortetur eum ut id faciat; quod si ad id inducere non possit, petat ab eo veniam, dictum casum nobis, vel Pœnitentiario majori literis, aut verbis indicandi, quatenus absolvendi ab eis potestatem impetret: quod cum faciet, & rem ipsam literis committet, prudentiam, cautionemque summam adhibeat necesse est, ne ullo modo in aliorum notitiam venire possit: at verò si causa tanti momenti esset, ut si litteræ vel perdantur, vel intercipiantur, majus aliquod pœnitenti incommodum immineat, tum Mediolanum Confessarius jubeat ipsum proficisci, nisi forte consultum videatur, ut ipse veniat alterius nomine.

Cæterum in negotiis similibus prudentius facient, si recta ad Pœnitentiarium majorem, quam quoquam aliò recurrant, vel eo pœnitentes suos dirigant; specialiter enim à nobis ad id constitutus est ille, cum ampla etiam potestate alios subdelegandi in iis omnibus negotiis, quæ pro casuum reservatorum absolutione difficilia occurrunt. Quod si ipse Pœnitentiarius à tali casu possit absolvere, tum modum illi præscripsimus, vel à nobis, vel aliunde unde necesse sit, remedia talibus negotiis opportuna adhibendi.

Si pœnitentem aliquo excommunicationis vinculo reperiat ligatum, seriò commonefaciet eum pœnæ excommunicationis, & quæ gravitas illius, quamque periculosum in ea perseverare, quantaque cum diligentia fugienda sit excommunicatio: quod commodè fiet, si effectus illi demonstret nonnullos excommunicationis.

Interroget utrum sciat hæreticum aliquem, vel de hæresi suspectum, vel simile quippiam, quod juxta vel nostra edicta, vel eorum, qui Inquisitores vocantur, leges denunciare teneatur, quod si pœnitentem ad tale quid aperiendum cognoverit teneri, curet ab eo satisfieri; ut si negligentia sua factum est, postquam apud eum hæretici, vel suspecti de hæresi alicujus notitia fuit, ut terminus his denuntiationibus præfixus transierit, eo articulo jubebit, ut licentiam impetret, qua absolvi possit: non enim satis tempestive perfecit denuntiationem ut debebat.

Digitized by Google

Quando Confessio reiteranda.

Circa confessiones antegressæ vitæ, debent eæ interrogationes fieri quæ sunt ad cognoscendum necessariæ; Num aliquo in peccato erratum sit ab integritate confessionis ob quod nullius ponderis, neque virtutis extitissent cæteræ confessiones, ac proinde reiterandæ essent. Exempli gratia, si pœnitens alicui confessus sit, qui eum absolvere non potuerit, vel qui legitima absolutionis forma usus non fuerit; vel Sacerdoti adeò indocto, ut ea quæ ad hoc Sacramentum administrandum requiruntur, nec intellexerit, nec sciverit; vel etiam si ipsemet aliquod peccatum mortale sciens subticuerit, vel confessionem diviserit, enumerata parte peccatorum suorum uni Confessario, alteri alterâ; vel ad extremum, si nullo penitus cum dolore de peccatis suis, nullove deliberato emendandi proposito, confessus sit; vel, quod etiam contingit interdum, si nullam omnino diligentiam in memoria peccatorum refricanda videatur contulisse.

Confessio generalis quando facienda.

Et quoniam cernere est, negligentiam maximam in confessionibus ritè faciendis sæpenumero committi, præcipuè verò eo tempore, quo quidem repudiato à se Dei timore, vel minimam prorsus, vel nullam animæ suæ curam gerere putantur, ut potius veniant ad confessionem ex certa quadam agendi consuetudine, quam quòd peccatorum suorum agnitione eo perducantur, & vitam emendandi vera desideria susceperint: in universum quidem ob summam commoditatem, quæ ex confessione generali redundat, tum præsertim cum ex animo quisquam statuerit in posterum vitam in melius commutare, & totum se ad Deum convertere; Confessarii pro cujusque personæ qualitate, opportuno tempore, & loco ad generalem quandam confessionem pœnitentes exhortentur, vel per hanc, proposita omni præterita vita sibi ob oculos, majore cum alacritate redeant ad Dominum, ac omnes errores, qui potuissent in præcedèntibus confessionibus accidere, resarciant.

In-

Digitized by Google

Interrogationes Confessarij quomodo necessariæ.

Hisce interrogationibus finitis, quæ confessionis veluti præambula quædam, & præludia sunt, Confessarius pœnitentem inducat, ut ipsemet omnia peccata sua, quæ recordatur, exprimat per se: quod ubi fecerit, si perspiciat adhuc (quod sæpe numero accidere solet) eum aliis interrogationibus indigere, per quas multorum, quæ oblitus sit, reducatur in memoriam, vel ea quæ prius confusè dixerat, distinctius consideret; volumus interim præmonere Confessarium, ut peccatorum mortalium numerum semper quàm poterit exactissimè inquirat, & quamvis fieri posset, ut non usque adeo præcisè, & velut ad unguem omnia referantur à pœnitente, nihilominus tamen paulò plus, minusve eum numerum indicet, quem ad veritatem magis accedere arbitretur.

In his interrogationibus ordinem sequatur oportet, initio ducto à præceptis Domini, ad quæ tametsi omnia alia, de quibus interrogationes habentur, computari possint, nihilominus si cum personis, quæ rarò ad confitendum accedunt, agatur, utile erit, etiam per septem peccata capitalia, quinque sensus exteriores, & opera misericordiæ discurrere.

Confessarius non minori vigilantia, ac prudentia pollere debet, in iis maximè peccatis investigandis, quæ homines ejus status, conditionisque, cujus est pœnitens, communiter perpetrare solent.

In peccatis verò luxuriæ, summam animi solertiam cum pari circumspectione verborum debebit usurpare. Itaque cùm in iis speciem peccati, & circumstantias, quæ multum prægravant illud, satis intellexerit, ulterius nihil studeat inquirere: in hunc finem circumstantiæ, quæ peccati speciem ab una in alteram mutant, vel id plurimum deprimunt, plenè perfectèque à Confessario sciri debent; quandoquidem hæ duæ circumstantiarum species necessario inter confitendum explicandæ sunt; ideoque ad Summas recurrendum erit, in quibus plerumque hoc versu illæ continentur:

Digitized by Google

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Præ cæteris tamen providus, cautusque sit oportet, ac modum congruentem sciat, quo pueri ac puellæ interrogentur, ne fortè, quæ prius ignorabant, eos doceat: verbis autem adeo commodis interrogationes suas circumloqui nitatur, ut pœnitentis animus non offendatur: quin etiam dum aurem admovet alicujus confessioni audiendæ, caveat omni modo peccati gravitatem à se audiri, gestu corporis, vel nutu capitis circumstantibus prodere, vel etiam pœnitentem ita terrefacere, ut propterea aliud grave peccatum subticeat, imò animum ei addat, ut omnia, quantumvis enormia, & turpia peccata aperire non vereatur.

Mutatio votorum quomodo facienda.

Confessarius, qui privilegium aliquod, facultatem, vel auctoritatem habet Pœnitentium vota commutandi, ea non nisi in alia opera pia majora, Deoque acceptabiliora, vel saltem æqualia commutabit, in quo negotio diligenter attendet expensas, labores, aliasque difficultates, quas sustinere necesse fuisset, si vota à se nuncupata primo modo debuisset persolvere.

Quamvis verò per Jubilæum aut literas Apostolicas Privilegium aliquod ei concessum sit ab omnibus peccatis, quantumvis enormibus, ac pœnis, censuriisque Ecclesiasticis absolvendi, præmonemus tamen, quod dispensare non possit, cum eis qui irregularitatem incurrerint, nisi in ipsis literis expressa hujus fiat mentio.

Ut Confessarij plenius instruantur, nec absolutionis beneficium iis impartiantur, quia eo revera indigni sunt (id quod vel incuria, vel negligentia, vel alia de causa sæpè accidit, ac proinde multi semper in eisdem peccatis hærent cum animarum suarum lamentabili ruina) id circo ex plurimorum Theologorum, tum Sæcularium, tum Regularium diversorum Ordinum consensu, quædam, quæ in frequentiori consuetudine agendi à Confessariis observanda erunt, inferius notavimus: quandocunque verò ab iis pœnitentes vel absolvent, vel relinquent ligatos,

Digitized by Google

tos, volumus, ut secundùm id, quod infra dicetur, sua consilia dirigant.

Itaque quandoquidem quilibet, qui jam ad rationis usum pervenit, sub peccati mortalis periculo, articulos omnes fidei scire, & intelligere (saltem generaliter) tenetur, nec non Decalogum, & S. Matris Ecclesiæ præcepta ad peccatum mortale obligantia, quæ communiter in Scholis cum Catechismo doceri solent: si Confessarius deprehendat pœnitentem ignorare ea, quæ diximus, nec ad ea quàm citissimè poterit perdiscenda idoneum, non debet eum absolvere; si verò ad ea mandandum memoriæ paratum sese exhibeat, si tamen alias à Confessario (sive ipsemet is sit, sive alius) vel speciatim à Pastore suo hac de re admonitus fuerit, (debebit autem hæc recordari, ut commodius interroget) neque tamen tantum studii adjunxerit, quantum debuit pro capacitate suæ personæ, eò usque absolutionem differat, donec aliquo modo satisfaciat: verum si hac de re admonitus à nullo fuerit, postquam eum in supradictis ita generaliter instruxerit, ut cum tempore reddatur absolutionis capax, poterit eum absolvere.

Patres familias qui non absolvendi.

Si patres, aut matres familias fuerint, qui curæ suæ subditos, sive filios, & filias, sive servos & ancillas, (quæ particulatim interrogare meminerint) cum rudimenta fidei non teneant, addiscere non compellunt, vel non advigilant, ut Decalogi, & Ecclesiæ Romanæ præceptis obediant, vel quod pejus est, ab eorum observatione eosdem prohibent, ut faciunt, qui servos, & ancillas usq; adeo occupatos diebus profestis detinent, ut propria necessitate urgente diebus festis operari quodammodo cogant, vel temporis tantum non tribuant, ut secundum Ecclesiæ præceptum, sacro officio Missæ interesse queant, aut qui nescientes quinam eorum, qui in familia sua degunt, legitimum habeant impedimentum, promiscuè tempore Quadragesimali, aut aliis jejuniorum diebus, cœnam, vel tempore ante meridiano escam ante horam debitam

Digitized by Google

in ædibus præbent, vel dari patiuntur: aut si, quando hæc præcepta transgrediuntur, eos non reprehendunt, nec corrigunt; vel si servi corrigi nolint, & cæteris scandalo sint, è domo sua quamprimum eos ablegant.

De administratione Familiæ.

In omnibus his peccatis, nisi re ipsa præstet officium suum, negligentiamque in familiæ administratione commissam, & quantam ad ea, quæ dicta sunt attinet, in posterum sese emendare promittant, nullo modo eos absolvat, quòd si in se recipiant ea se facturos, nec horum admoniti unquam à Confessario, vel Pastore præscripto modo fuerint, poterit eos absolvere: quod si sæpius fuerint reprehensi, nec sese correxerint, tamen absolutio differatur, donec promissa appareant, veræque emendationis argumenta aliquo temporis spatio ostenderint.

De luxu vestium.

Confessarius eumdem cum eis modum servabit, qui contra Conciliorum nostrorum provincialium, præcipuè verò Tertii Constitutiones, ac alios Canones nostros diebus festis operantur, vel à venditionibus, & similibus, quæ in illis prohibentur, non abstinent. Idem etiam servetur cum iis, qui in immoderato corporis ornatu & fastu mortaliter peccant,

Ac verò cum hac tempestate luxus vestium ad summum, quò conscendere potuit verticem videatur evasisse, idque magna ex parte culpa & negligentia Confessariorum accidat, qui vel ex inconsiderantia, vel fortè dum leviter pœnitentes peccare existimant, nullo cum scrupulo eos absolvunt, capita quædam in medium adferemus, quibus propter ornatum & luxum in vestitu, fastumque animi ingentem, plerumque mortaliter hodie peccatur, ut cum absolutio danda erit, secundùm eas regulas, actiones officij sui metiantur.

Qui peccant in vestitu mortaliter.

Si quis igitur vestitu splendidiore induitur, vel eo sese ornat ob finem peccati mortalis, utique mortaliter peccat,

Digitized by Google

cat, ad hæc qui vestimenti sumptuosi gratia, vel ipse delinquit, vel alij ejus nomine præceptum Domini, vel Ecclesiæ transgrediuntur, ita ut, ne vestis non conficiatur, festis diebus sartori operandum sit, vel ipse certè faciat eum operari, aut Sacrum Missæ officium omittere, vel ut alii omittant præbetur ab eo occasio; vel si causam præstet conjugi, iisve, ad quos spectat ejus sustentatio, ut plus quam privatæ opes ferunt, in vestitum impendant, vel si prævidet, ut meritò debet prævidere, aut saltem probabiliter dubitat, quod odia vestium causa gignantur dissensionesve in ædibus fiant, vel quòd indumenti causa conjux aut aliorum quispiam blasphemias evomat, aut lucra, contractusque illicitos exerceant: His adde eos, qui ornatus gratia non sine peccato mortali supersedent eleemosynis necessariis, aut legata pia non exequuntur, aut similia, quibus obstricti sunt, complere negligunt, vel qui pro veste mercedem operariis denegant solvere, vel differunt, aut ære alieno sic se obruunt, ut cum tempore solvendo non sint futuri. In hoc etiam ordine ponendi sunt, qui ut se splendide vestiant, detrimentum proximo notabile inferunt: vel ita se exhauriunt, ut filias cum ad ætatem nubilem pervenerint, in matrimonio collocare non possint, qua ex re magna damna solent existere: ad extremum cum prudenter colligi possit, quod non mediocria peccata similia iis, quæ dicta sunt, inde prodibunt, aut dubitatio verisimilis habeatur, quod accidere possent, qualia fere solent sumptuosum & insolentem earum usum comitari. In omnibus quæ diximus, judicandum esse peccatum mortale indulgere nimio vestitui.

Cæterum, cum fieri vix possit, ut qui supra quàm suæ copiæ fuerint, insumit, non animum advertat ad peccata consecutura; vel ut minimum possit & debeat advertere, potest in universum rectè judicari, eos omnes in peccato mortali vitam agere, nisi ex diligenti pœnitentis examinatione certa ratione contrarium existimetur.

Quomodo fiat mortale in vestitu quod per se tale non est.

Neque solum mortaliter peccatur, cùm factæ expensæ in vestes, ordinem, & facultates domesticas excedunt,

Digitized by Google

verum etiam in modo peccatum committitur sese exornandi, quid enim si ornatus ad lasciviam pertrahat? quòd si per se, vel certe ex communi hominum judicio non sollicitet ad peccatum, potest etiam fieri, ut per se quidem eo non adducat, tamen occasionem ille suspicetur ex ejus generis ornamento, quod à sui ordinis hominibus communiter non gestatur, datum iri certæ personæ signum, ut illum inhonesto amore prosequatur, vel ne sic accidat, probabiliter timet: denique cum in hoc peccato hæret, ita vitam instituit, ut nullam vel parvam salutis proximi habeat curam; adeo quidem, ut si quem ex sumptuosis, quibus incedit vestibus, per occasionem misere salutem perdere conspiciat, tamen eum non studeret deponere. Fit deinde non rarò, ut cultus ipse prima fronte ad varias species amoris inhonesti prodendas concinnè institutus sit, easque amorum affectiones variis coloribus, dum se comit, & promit, vel alio quocunque modo per obscurè declaret.

Jam verò non solum absolvere eos non possunt, qui peccato mortali valedicere constanter non decernunt, sed nec illos etiam, qui quamvis asserant peccatum se velle deserere, tamen una dicunt, videri sibi non se commercium illius esse relicturos; nisi ea velint remedia apponere, sine quibus Confessarius judicat ad vomitum redituros.

Quando absolutio differenda.

Est præterea consultum, absolutionem differre, donec evidens appareat emendatio in iis, qui tametsi dicant, ac polliceantur, quod se eximent peccato, tamen Confessario probabilem faciunt metum, ne contrarium contingat. Ex hoc esse solent plerique adolescentes, qui in otio vitam agunt, qui luxui dediti, crapulam, & amores inhonestos sequuntur, qui libidinibus pascuntur, verba obscœna proferunt, murmurant, in odiis, ac detractionibus versantur quotidie, & confessionem differunt in ultimos Quadragesimæ dies: Idem faciendum est cum iis scil. ut differatur absolutio, qui cum multos annos in peccatis suis perdurant, nulla interim adhibita opera in emen-

Digitized by Google

mendationem vitæ in eadem peccata iterum atque iterum labuntur.

Deinde, nec eos absolvat, qui cum peccatis mortalibus simul etiam eorum occasiones vitare planè non proponunt. Porrò cùm è re Confessarii vel maximè sit, ut quæ sint eæ occasiones perspicuè sciat, paulò de illis loquemur distinctius hoc loco.

Occasio peccati mortalis quæ.

Sub occasionem peccati mortalis omne illud cadit, quòd peccandi mortaliter causam administrat, eò quod hujusmodi est, quod vel per se in peccatum inducat, vel ejus occasione confitens usque adeo ad peccandum allicitur, ut certè Confessarius metuere possit, quòd ex perverso, quem diu induit, habitu in posterum non magis abstinebit, quàm prius à peccato, si in eisdem occasionibus versetur.

Prioris ordinis occasiones, quæ scil. suapte natura trahunt in consensum peccati mortalis, sunt istiusmodi: aleis ludere, cùm moraliter certo, vel probabili periculo animarum; domum tenere in hunc finem aliis paratam; aliquam, cum qua sit peccatum, vel apud se, vel apud alium, suo rogatu fovere, vel quocunque modo in eisdem ædibus habitare, persistere in assidua collocutione, aspectu, quotidiano congressu, & similibus turpium amorum irritamentis.

Itaque si pœnitentem iis, aut similibus impedimentis irretitum esse perspexerit, ipsaque occasio talis sit, quæ tum etiam re ipsa existat; veluti quòd concubinam alit, vel quid hujusmodi, Confessarius eum absolvere non debet, nisi prius illam ipsam occasionem prorsus abscindat.

In aliis verò, ut in venereis aspectibus conversari periculosè cum feminis, perdurare in tactibus impudicis, si eis nuncium remittere non polliceatur, vel si spondeat, aliàs tamen, cùm de eodem fidem fecerit, vitam non emendaverit, absolutionem differat, usque eodum emendationis quædam argumenta videbit.

At

At verò cùm usu venire possit, ut ex omnibus, quæ solers ac circumspectus Confessarius excogitaverit, nullum remedium tamen potuerit habere, cur pœnitens absque periculo & scandalo magno debeat occasionem præscindere, utatur Confessarius his viis.

Remedia contra peccati occasiones.

Primò absolutionis beneficium eò usque extrahat, donec emendationis indicia videat, maximè, si absolutio citra aliquod illius periculum, vel infamiam procrastinari possit, eaque doloris signa perspiciat, eam animi dispositionem, promptitudinemque suscipiendi omnia, quæ pro ejus emendatione necessaria Confessarius judicabit, quo tempore remedia hujusmodi pœnitenti proponet, quæ magis opportuna, magisque necessaria apparebunt: verbi gratia, præscribit ei, ne solus unquam cum sola versetur, ut orationes augeat, corporis macerationem subeat aliquam, quodq; præcipuum est, ut frequenter confiteatur, aliaque similia. quæ si pœnitens recipiat in se, poterit absolvi.

Contra verò si ab illa diligentia, quam vel ille, vel alius Confessarius jamdiu adhibuit, non se emendaverit, non absolvatur, donec impedimentum sustulerit, vel nisi quid aliud à nobis acceperit, quod convenire videatur, ad quos in tali negotio recurret, ut factum nobiscum expendat, ita tamen, ut nulla fiat mentio peccantis.

Occasiones particulares quorundam peccatorum.

Alterius generis occasiones, quæ videlicet ex conditione peccantium sumuntur, ea facta sunt, quæ etiamsi per se licent, tamen probabiliter timetur, ne is qui confitetur, in eadem ipsa, quæ olim admisit, peccata relapsurus sit, si in eisdem operibus, in quibus antea versatus est, perseveret: tales ob mundi corruptelam plurimi solent in castris esse, mercaturam sequi, Magistratus obire, Advocati, & Procuratoris officia exercere, aliaque id genus; quæ dum quis tractat, fit sæpè ut vocibus blasphemis, furtis, injustitia, calumniis, odiis, fraudibus, peri-

Digitized by Google

perjuriis, & aliis ejusdem farinæ sceleribus, quibus Deus offenditur, tantam sibi eorum consuetudinem asciverit, ut conjectari liceat, si in eisdem officiis maneat, cum se rursus eædem illæ oblaturæ sint occasiones, quod fortiorem animum ad resistendum peccatis non opponet, quàm hactenus fecerit: quodque inde sequitur, in idem lutum ex integro prolabetur: Omnes qui sunt hujusmodi, secundùm B. Augustinum, *cap. Consideret de panit. dist. 5. sumptum ex lib. de vera & falsa pœn. cap. 14. & 15. qui est inter opera Aug.* vel negotium ipsis periculosum deponant, vel saltem absque licentia & obedientia pii ac probati Sacerdotis non exerceant: qui quidem hominem eo modo constitutum absolvere non debet, si existimat ad eadem peccata rediturum, quamdiu in antiqua occasione perseverat: sed æquum est, ut vitæ emendatio, & quædam illius approbatio per temporis intervallum expectetur. Atqui hic vigilandum est eò diligentius, quò manifestum est hac in parte Confessarios incuria sua maximam præbere causam, cur in omnibus fere opificiis, & exercitationibus publicis peccata gravissima inveniantur, & abusus intolerabiles, sine quibus multi hodie existimant, nec res etiam per se æquissimas rectè exerceri posse.

Exempli gratia, in Magistratu adeundo, & aliis officiis assumendis, multa juramenta reperiuntur, quæ servari debeant; quæ tamen postea non servantur.

Inter Consiliarios, Advocatos, Procuratores, clientum perniciei ac damnis incumbitur, contra id, quod propria conscientia dictat faciendum.

Idem fit in bello, ubi duellis locus datur, ubi odiis, homicidiis plena sunt omnia. Inter ludendum maledicta vigent, rapinæ, quæstus meretricii. Apud mercatores hæc regnant: usuræ, mercium fraudes, cùm vel eas miscent, vel malas pro bonis in manum porrigunt; multoque pluris quàm pretium justum est, eas distrahunt; nec desunt perjuria, mendacia, vectigalium fraudulenta aversio, aliaque ejus ordinis permulta.

Plerique opifices festis æquè, ac profanis diebus ita occupantur, ut nunquam neque cultui divino vacent, neque

Digitized by Google

que conciones frequentent, nec se solum, sed ad similem modum totam distentam familiam habeant.

Quam ob rem magno numero inveniet Confessarius inter eos, qui talia exercent, omnem vitam ferè in peccatis mortalibus duxisse, qui quidem absolutionis capaces existimari non debent, nisi diligentia prius accedat, qua simul & ab involucris hujusmodi liberentur, & fortiores contra peccatum reddantur.

Plurimi nunquam ut oportet sunt Confessi.

Quòd si Confessarius posuerit majorem industriam in iis examinandis, non dubium est, quin plures deprehendet, qui nunquam, ut oportuit Sacramento Pœnitentiæ peccata sua expiarint, quod cum fuerit ab eo animadversum, ostendat eis præterquam, quod de emendatione majorem probationem facere debebunt, vel opificii genus in quo sunt, deserere, etiam totius vitæ confessionem instituere, ac studio vehementi in salutem suam incumbere tenebuntur.

Officia quæ relinquenda pœnitenti.

Multò magis Confessarius circa ea officiorum, actionumque discrimina extirpanda adlaborare debet, quæ nullam vel necessitatem Reipubl. vel utilitatem secum ferunt; quæ quamvis ex priori ordine rerum non sit (illæ enim per se ad peccatum mortale inducunt, ac propterea necessario à quovis homine quocumque in statu relinqui debent) nihilominus tamen ad malè agendum inflectunt, ac facillimo negotio sæpissime ad diversa peccata trahunt, ut choreis interesse, agere cum blasphemis, versari cum scurris, malorum se sodalitatibus hominum adjungere, tabernas frequentare, otio indulgere, similesque actiones, in quibus ut plurimum peccare mortaliter homines solent, qui quidem ante non debent absolvi, nisi animo abalienato penitus illa ipsa se deserturos esse polliceantur.

Et quidem si probabiliter sibi Confessarius persuadeat, posse se fidem primæ vel secundæ à pœnitente sibi promissionis factæ dare, quòd scilicet occasionem auferat, pote-

Digitized by Google

poterit eum promissionis intuitu absolvere, sin autem fidem semel atque iterum fregerit, ac tertiò jam idem polliceatur, absolutionem differat, usque dum reipsa videat pœnitentem se omni peccato liberasse, in quo prius vixerat.

Contractus qui deserendi.

Eos præterea, qui contractus nostris Conciliis Provincialibus nominatim prohibitos, vel per se aliàs illicitos exercent, non absolvat, nisi prius rescindantur, satisfactioque conveniens pro eis præstetur. Si contractus dubii sint, antequam absolvat, ad Pœnitentiarium majorem rem totam rejiciat, qui quidem illius explicationem ampliorem penes nos inveniet: sed hoc tempore si pœnitens sufficientem dederit cautionem, quòd futuræ definitioni sententiæque acquiescet, poterit eum absolvere, & ad communionem admittere.

Jubilæi tempore qui non absolvendi.

Sed ne quidem Jubilæi alicujus tempore, qui ea, quæ ex edicto publico, monitoriove Papali, vel Archiepiscopali notificare tenebantur, subticuerint, nullo modo absolvantur, nisi denuntiationem ritè prius fecerint, ac omnibus ad quæ ob damnum inde secutum obligati sunt, satisfecerint. Cæterum, ante restitutionem, debitamque satisfactionem eos non absolvant, qui aliquatenus ad tale quid adstricti sunt, modo id facere possint: eos tamen excipimus, qui ex gravi, periculosaque infirmitate decumbunt, quibus tamen præcipiat Confessarius, oneretque ut, quàm primùm poterint, satisfaciant.

Postquam Confessarius omnibus his præscriptis remediis diligenter usus fuerit, si impedimentum aliquod non videat, ob quod negare vel differre debeat absolutionem; dicat pœnitenti, ut de peccatis omnibus, confessus est, reliquisque in universum, quæ verbo, cogitatione, opere, vel omissione commisit, quorum non recordatur, culpam humiliter suam dicat, confessionemque claudat.

Quod ubi factum est, Confessarius ei, maximè si talis est, qui rarius confiteri solet, peccatorum gravitatem osten-

Digitized by Google

ostendat, quibus eum noverit magis involutum, iisque remediis contra eadem armet & muniat, quæ convenientissima esse judicabit. Proderit autem hac in parte Methodum Confessariorum bene tenere, vel Directorium, atque ejusmodi argumenti libros sibi facere familiares.

Deinde si fuerit necessarium, injunget ei; ut satisfaciat & restituat, rem, famam, vel honorem, quæ proximo abstulerit; tum ubi præscripserit salutarem pœnitentiam, quemadmodum infra dicetur, eum absolvet.

Absolutio excommunicationis quomodo concedenda.

Si fortè pœnitens aliquam censuram incurrerit, à qua eum absolvere possit, antequam conferat absolutionem à peccatis, eam debet, quæ à censuris datur, præmittere. multum autem juvat ad cautelam, si semper eadem præmittatur, quatenus scilicet potestatem habet, ac pœnitentem indigere arbitratur. Similiter si pœnitens casu aliquo reservato teneatur, nisi licentiam absolvendi habeat, eum non absolvat; aliàs enim in excommunicationem incideret à Synodo nostra Diœcesana latam. Nec ipsi Regulares, quantumvis privilegio, quod *Mare magnum* vocant, vel aliis quibusvis indultis gaudeant, à prædictis casibus absque peculiari nostra licentia absolvere possunt: quemadmodum Gregorii XIII. Pont. Max. Sanctitas ex Cardinalium consilio, ad quos Concilii Tridentini interpretatio pertinet, declaravit.

Multo minus sese ingerent ad absolvendum à casibus in Bulla in Cœna Domini contentis, vel aliis Sedi Apostolicæ reservatis.

Atqui ut omnes, qui in nostra versantur Diœcesi, unam, eandemque absolvendi formam observent, hoc quo sequitur modo absolutionem proferent. Sed interim admonemus omnes seriò, ne verba ea omittant, in quibus tota absolutionis vis consistit, videlicet: *Ego te absolvo.* Hic itaque omnibus sit præfixus absolvendi modus.

Ab-

Digitized by Google

Absolutionis formula.

Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis omnibus peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam, Amen.

Indulgentiam, absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & misericors Dominus, Amen.

Dominus noster JESUS *Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, si quod incurristi, quantum possum, & indiges.*

Deinde:

Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Passio Domini nostri JESU *Christi, merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen.*

In satisfactionibus, vel pœnitentiis Confessarius circumspectus esse debet, ne adeò leves illæ sint, & faciles, ut potestas clavium in contemptum veniat, ipseque particeps fiat, & consors aliorum peccatorum, neque nimis graves, aut longæ jubeantur, ut vel recusent eas exequi, vel etiamsi acceptas habent, postea tamen plenè non perficiant.

Canones pœnitentiales ad unguem Confessarius teneat.

Idcirco Confessarius Canones pœnitentiales ad unguem sciat oportet: nam quamvis illi possint & debeant, secundum prudentis, & morati Confessarii arbitrium mitigari, prout pœnitentis contritio, personarum qualitas, diversaque conditio, aliæque circumstantiæ ostendent, utilissimum tamen est semper ipsos Canones præ oculis habere, adque eos tamquam ad amussim respicere, quantum conveniens erit: & quidem Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitenti nonnunquam articulos in iis

Digitized by Google

explicatos tractabit, ut sic ad majorem dolorem adducatur, pœnitentiamque leviusculam, quam ipsi dedit, alacrius exequatur: & interim hæc quoque perspicietur utilitas, quæ proficiscitur ex benignitate, quam hodie sancta mater Ecclesia cum pœnitentibus observat, quando disciplinæ Ecclesiasticæ rigorem eis tantopere moderatur.

Pœnitentiæ quomodo peccatis respondebunt.

Curet etiam, ut satisfactiones peccatis commissis respondeant. Itaque adversum peccata carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque similia imponet, quæ macerare, ac castigare possunt carnem. Contra avaritiæ peccata, præter restitutiones, quæ fieri debent, opponet opera misericordiæ pro facultate & modo cujusque. Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini humiliato fortitudinem, animique constantiam acquiret. Præcipiet contra negligentiam in iis ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum, conciones sacras, tum etiam, ut ad certum tempus Scholas, & Catechistas Christianæ religionis frequentent. Remissis hominibus, quique in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigidè se gerunt, præcipiet, ut adeant templa, divinisque officiis assistant, multasque usurpent orationes.

Blasphemis quales injungendæ pœnitentiæ.

At verò blasphemis, & sacrilega lingua in Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœnitentias graves & difficiles injungent, quæque culpæ gravitati respondeant, qua in re Canonibus sacris, Pontificiis Decretis, Concilio Lateranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese conformabunt. Verùm hac in parte integro judicio & personarum delectu utentur: non enim omnibus omnia conveniunt: quare non mandent pauperibus, ut liberaliter tribuant eleemosynas, neque iis, qui diurnis sudoribus victum sibi, suisque quæritant, jejunia prolixa, ac simile judicium in reliquis pœnitentiis usurpabunt & sequentur. Videndum est etiam, ut qui publicis vel scandalis,

Digitized by Google

dalis, vel sceleribus delinquunt, non absolvantur, priusquam satisfactionem item publicam, ac pœnitentiam peccato congruentem iis injunxerint, ut simul cum emendatione vitæ malefacta publica, benefactis resarciant; qua in causa Concilii Tridentini præscriptum observabunt, ac institutionem nostram super hac re in Primo. ac Tertio Provinciali nostro latam, qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas non commutabunt, nisi expressam à nobis hujus rei habeant potestatem.

Sacerdos ab omni avaritiæ suspicione abesse debet,

Ut liberior sit Confessarius in exequendo officio, quod illi cum pœnitente est, majoreque apud eundem in auctoritate habeatur, in decernendis iis omnibus, quæ ad pœnitentis salutem referuntur, non solum fugiet studiosè avaritiam, sed etiam omnem ejus, vel minimam suspicionem. Nominatim autem pecunias, vel aliquid hujusmodi pro confessionum audientia non petet, etiamsi occasio se præbeat: ac ne signum quidem, vel minimum ejus ostendat: quin potius voce, & reipsa declaret animum se prorsus abhorrentem à talibus habere. Cùm pœnitenti jubebit, ut Missæ Sacrificium faciat uspiam peragi, nec rectè, nec obliquè significet, quasi velit ipse celebrare, vel in sua Ecclesia, aut Monasterio curare celebrari.

Idem faciat in satisfactionibus iis, cum pœnitens, vel debita incerta reddere pauperibus, vel pro votorum commutatione aliquid solvere debebit.

Sed neque pecunias, aliave, quæ à pœnitente restituenda sunt, propriis dominis in se provinciam reddendi assumat: nisi necessitas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non prodatur: quòd cùm erit ab eo factum, curet, ut is cui rem restituit, chirographum suum in testimonium ei tribuat, ut illud pœnitenti consignet, ac planè eo modo procedat, ut omnem speciem, ac signum avaritiæ subterfugiat.

Confessionis secretum quomodo servandum.

Præ omnibus autem Confessarius caveat, ne verbis, vel signis, vel quocunq; alio modo, peccatorem, vel pec-

Digitized by Google

catum ipsum, vel aliquam circumstantiam personæ, cum qua peccatum est, prodat; denique verbum nullum ex ore ejus excidat, ex quo aliquo modo in peccati quantumvis leviſſimi, quod in confessione dictum sit; notitiam veniri possit.

Cumque pro rei alicujus controversæ, quæ in confessionem incidit, clariore definitione consilium ab aliquo petendum erit, summa ad id prudentia adhibeatur, necesse est: tractetur igitur, vel cum iis hominibus, ac modo tali, ut is, qui peccatum commisit, nullo modo deprehendi possit. Ideoque consultum videtur, ut nullam planè apud alios mentionem faciat ullo tempore peccatorum, quæ in confessione audiverit: quod si postea necessitate coactus, cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui contingat; id quod nisi præfata venia faciat, & ipsum colloquium obtinebit vim confessionis, quantum ad secreti silentium attinet. Si pœnitens à Confessario postulet testimonium sibi dari, quo se ejus confessionem audiviſſe fateatur, quòd illud dicat se velle Pastori suo ostendere, quod semper in confessione Paschali facere tenetur, eam secundùm formam, quæ infra ponitur, scribat. Atqui eo quòd attestationum harum multa exemplaria impressa singulis dabuntur Confessariis, curet Confessarius, ut suas præ manibus habeat, nullisque eas tradat, nisi quorum confessiones audiverit. Attestationis formula hæc erit: *Anno, die, talis Mensis, Sacramentum pœnitentiæ administravi N. habitanti in parochia N.*

Scribat in primo albo diem quo pœnitens confessus fuerit, secundo mensem, tertio nomen & cognomen, quarto parochiam in qua pœnitens habitat. In calce Confessarius nomen & cognomen suum scribat cum titulo beneficii, vel officii Ecclesiastici, à quo communiter denominari solet, veluti, Rector, Vicerector, Canonicus, vel Sacellanus Ecclesiæ N. vel si Regularis sit habitans in Monasterio N. Atqui quicquid in attestationum albis scribendum est, totum id ipsiusmet Confessarii manu scribatur, vel saltem dies, mensis, ac ipsius Confessarii subscriptio. Utile præterea erat si Confessarii omnes in tabulis nomen & cognomen scribant eorum, quibus dictas

Digitized by Google

ctas atteſtationes ſubſcriptas tradiderunt, ſerventque eas tabulas penes ſe, vel poſt octavam Paſchæ nobis, aut ſi in Diœceſi ſint, Vicariis noſtris forenſibus exhibeant, idque ut exactius animadvertere poſſimus, num fraus aliqua in dictis atteſtationibus à non confeſſo quodam facta ſit.

Pro majore Confeſſariorum inſtructione, atque in juvandis eorum animabus, quibus Pœnitentiæ Sacramentum adminiſtrarunt, ut certa quadam forma utantur, qua pœnitentes in gratia accepta perſeverare, ac progreſſum facere doceant, infra ſcriptas adjunximus admonitiones.

Confeſſarij erga pœnitentes quales eſſe debeant.

Confeſſarii omnes, quemadmodum Patres ſpirituales decet, circa pœnitentes ſuos ſummam prudentiam adhibeant, neceſſe eſt, ut inſtruantur, diriganturque paulatim ad virtutes Chriſtiano homine dignas. Peculiariter autem induſtriam & ſtudium ſuum erga eos magis explicare debebunt, qui in Patres ſibi Confeſſarios ſuos cooptant, ut ad eos in dubiis & controverſis ſuæ conſcientiæ rebus quotidiè, tum pro conſilio, tum pro expiandis peccatis poſſint accurrere. Qui quidem ad eum modum filios ſuos ſpirituales in bono propoſito confirmare nitantur, ut conſtantiſſimè ſibi proponant potius, quàm divinam Majeſtatem offendant mortaliter, non ſolum bona ac honores, ſed etiam vitam profundere, vivumque præſeferant, & ſalutare deſiderium ſecundum ſanctiſſimam Dei voluntatem totam vitam ſuam expendere.

Confeſſarij finem, ob quem ſunt creati, ſuis pœnitentibus proponant.

Quare finem, ob quem creatus eſt homo, eis ob oculos crebro ponant; qui quidem eſt ſervire & obedire in hac vita divinæ Majeſtati, & in altera in omnem æternitatem eadem frui, aliaque ſimilia; ac proinde debere hominem exſuſcitare animum, & vires ſibi ſumere, ſalutique ſuæ cooperari, atque eatenus rebus omnibus uti, vel

Digitized by Google

abstinere, quatenus ad hunc finem consequendum adminiculo, vel impedimento esse possint; ad extremum, huc se totos actionesque suas, atque universa quæ in hac vita possident destinare, ita ut in victu, vestitu, consuetudine vitæ, negotiis, omnibusque aliis exercitationibus ita sese gerant, ut omnia quasi quædam adjumenta eis esse possint ad ultimum finem, cui conditi sunt, consequendum. Cæterum, ipsi pœnitentes paratos sese exhibeant, non solum in earum rerum usu prudentiæ, ac salutari consilio Confessarii libenter acquiescere, verùm etiam si ille omnia planè vel aliqua ex iis quæ habent deserenda esse judicet, causa salutis eorum semper ei obediant. Confessarius tamen juxta uniuscujusque conditionem ac statum ad finem supradictum eos diriget.

Proponat eis etiam modum orandi, ut feret singulorum capacitas, & pro religiosa consuetudine omnes nitantur bis saltem in die facere preces ad Dominum, manè videlicet cùm surgunt, ac vesperi dum cubitum concedunt.

Deinde exhortabitur eos, ut singulis diebus Sacrum audiant, & diebus Dominicis divina officia frequentent.

Particulatim verò modum eis præscribet orationes mentales faciendi, sive viri, sive mulieres sint, modò tamen capaces sint: rudioribus autem ostendet quomodo Rosarium sive Corona, Officium Beatæ Virginis, septem Psalmi pœnitentiales, aut similes aliæ orationes legi debeant.

Quod amplius est, omnes suæ fidei concreditos eò inducet, ut examen conscientiæ quotidiè faciant: tempus autem huic rei accommodatum erit, dum vesperi signo publico campanæ simul cum tota familia ad preces invitatur. Admoneat quoque eos de frequenti confessione & communione, paulatim eos secundùm B. Augustini consilium in sanctam eam consuetudinem adducat, ut diebus Dominicis communicent. (*August. epist.* 119. *ad Januar. & in lib. de Eccles. dog. c.* 53. *& de consec. dist.* 2. *cap. quotidiè.*) Quando autem aliquem nacti erunt, quem ad hoc præstandum esse videant inidoneum, conabuntur

eum

Digitized by Google

eum paulatim, ac veluti, per gradus quosdam eò evehere. Primò hortabúntur, ut quando omnes debent percipere venerabile Sacramentum, etiam festis toto anno celebrioribus, præter ipsum diem solennem Paschæ quo debent omnes communicare, scil. festo Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, Omnium Sanctorum, Natalis Domini, deinde etiam Dominica in capite Quadragesimæ, pro indulgentiis acquirendis, ac præparatione ad sanctum Quadragesimale jejunium: paulò post superaddat aliquot dies: postea hortetur, ut singulis mensibus semel id præstet. Quod si fiat, facilè ad communionem octiduanam erit progredi.

Quomodo dies festos impendere docere debeat Confessarius.

Speciali cura eos admonebit Confessarius, ut dies festos in honorem, servitiumque Divinum impendant, quod ut commodius fiat, auctor eis erit, ut alicui Societati sese associent, quæ ex instituto proprio dies festos in orationibus, piisque operibus expendit: veluti est ea, quam *Scholam vitæ Christianæ dicunt*. In universum autem patres, matresve familias admoneat, ut familiam suam ad Dei honorem instituant, ac liberorum suorum curam eximiam habeant, qui interim dabunt operam, ut visitent scholas, ubi doctrina Christiana docetur, modo ducant una secum eos festis diebus ad conciones, ad Vespertinas preces, ad prælectiones sacras, modo ad frequentem confessionem & communionem eos accommodent. Si qui ex filiis uxorem duxerint, curabunt parentes, ut opera maritorum etiam illæ Sacramenta frequentent: vel si uxores sint, cum maritis similiter agant: qua in re in memoriam eis reducant quod S. Paulus ait: 1. Cor. 7. *Maritus bonus* (inquiens) *sæpè uxorem Christo lucratur, & similiter virum.* Eis qui literas norint, suadebunt, ut libros aliquos pios & sanctè scriptos emant (si modò facultas suppetat) quos & ipsi legant, ac faciant legi à tota familia circa vesperam, præcipuè diebus festis: tales sunt, Vitæ Sanctorum Patrum, Gerson de imitatione Chri-

Digitized by Google

sti, Opera F. Ludovici Granatensis Exercitia Vitæ Spiritualis & Rosarium Gasparis Loartis, Practica Orationis Spiritualis P. Matthiæ Cappucini, Introductio ad vitam devotam Francis. de Sales, Androtii & P. Gaudier Soc. JESU, Thom. à Kempis, P. Arias & Jul. Fatius Soc. JESU, Lanspergii & Hierem. Drexelii Societ. JESU opuscula, & alii similes.

Divites quomodo admonendi.

Sæpiùs divitibus in mentem redigant, eos dispensatores esse divitiarum quas possident, quibus ordinem ac statum suum sustentare & alere possint, verùm id Christianè, modesteque faciendum esse, ut non solum in usu divitiarum non supra quam eorum vires ferunt, sed potius infra aliquid expendere cernantur, quod etiam Gentiles olim non solum verbis, sed etiam domesticis exemplis ostenderunt. Porrò in eleemosynis liberaliter faciendis studeant excellere, ad hoc enim obliganturac ne fortè aberrent à modo convenienti, hominum religiosè pieque sentientium consilium in his sequantur.

Postremò secundùm uniuscujusque modum & conditionem, omnibus & singulis ea præscribant adjumenta, quæ maximè necessaria, utiliaque esse judicabunt, ut in via mandatorum Dei sui ambulent ac proficiant.

IN-

Digitized by Google

INSTRUCTIO

pro

CONFESSARIIS.

Reverendis Pastoribus & Confessariis pacem & dilectionem in Domino, apprecatur FRANCISCUS DE SALES, Episcopus Genevensis.

DIlectissimi in Christo Fratres, officium, quod exercetis, cum primis excellens est, quod à Deo ad animas judicandas constituti sitis, idque eo majore cum auctoritate, quod quas rectè profertis in terra, sententiæ ratæ in cœlo habeantur. Ora vestra canales & tubi sunt, per quos è cœlo in terram super homines bonæ voluntatis pax desluit: voces vestræ magni JESU *sunt tubæ, à quibus iniquitatis, quæ mystica Jericho est, muri ad terram concidunt & dejiciuntur. Magna certè & incomparabilis hominum excellentia est, quod ad hanc dignitatem evehantur, ad quam ne Angeli quidem vocantur & assumuntur. Cui enim Ordini & Choro Angelorum dictum est aliquando:* Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis? *Hoc tamen dictum est Apostolis, & in ipsorum persona omnibus, qui per legitimam successionem eamdem authoritatem & potestatem accipient. Cum ergo ad admirabile & eximium hoc officium assumpti sitis, noctes & dies eidem intendere, & ipsum curare debetis, & ego non modicam muneris mei partem ei curando applicare. Unde cum abhinc aliquot mensibus non paucas observationes & considerationes, quas vobis, ad hoc exercitium bene & prout oportet obeundum perutiles, & commodas fore arbitror, collegissem: visum mihi fuit ex iis nonnullas vobis hic obiter proponere, quod non modicum hinc vos sperem fructum collecturos.*

Digitized by Google

CAPUT I.

De Confessarii dispositione.

SIngularem conscientiæ puritatem & munditiem habete; quòd aliorum emundare & purgare conscientias studeatis; ne vetus illud Proverbium vos comprehendat, & in vos quadret: *Medice cura teipsum*, & illud Apostoli: *In quo alios dijudicas, teipsum condemnas.* Ergo vocati ad aliorum confessiones excipiendas, si in peccati mortalis statu agatis (quod Deus avertat) prius ipsi vestrum confiteri peccatum debetis, & ab eo absolvi, aut si fortè præ Confessarii defectu, commodè id facere non possitis; sanctam saltem in animo vestro contritionem excitare debetis.

Ardens animarum juvandarum desiderium & zelum habetote, & illarum præsertim, quæ resipiscere volunt, & pœnitentiam vitæ prioris agere, Deumque rogate, ut illarum conversioni & profectui spirituali cooperari dignetur & promovere.

Memineritis, ipsos pœnitentes, cum primùm confiteri incipiunt, vos Patres nominare, ac proinde paternum erga eos animum & affectum vos habere debere, summo cum amore eos excipiendo, eorum stupiditatem, ignorantiam, imbecillitatem, tergiversationem, & alias imperfectiones patienter & æquo animo supportando, & nunquam ab ipsis juvandis instruendisque præ defatigatione cessando, quamdiu aliqua emendationis spes in illis apparet; juxta illud S. Bernardi dicentis: Onus Pastorum non circa animas fortes & valentes, sed debiles versari: fortes enim satis per se sine ullius subsidio incedunt, at imbecilliores oves ferendæ sunt. Sic, tametsi filius prodigus nudus plane, sordidus & fœtidus jam inde ab hara porcorum rediret, benignus tamen pater eum complectitur, amanter exosculatur, & super collum ejus ruens lacrymatur, quod illius esset pater, & cor paternum erga filios teneriori soleat affectu commoveri.

Habetote præterea prudentiam medicorum (nam & peccata morbi sunt & plagæ spirituales) & pœnitentis

vestri

vestri dispositionem & statum accuratè dispicite, ut pro illius necessitate & qualitate remedium ei adhibeatis. Si ergo, verbi gratia, pudore & verecundia eum laborare perspiciatis, animum illi & fiducium addite, dicendo & ostendendo, non magis, quam illum, vos Angelum esse, minimè videri vobis mirum homines peccare: confessionem & pœnitentiam infinito majorem homini honorem adferre, quam peccatum attulerat confusionem: Deum primò, ac dein Confessarios, non æstimare homines juxta id quod olim fuere, sed juxta id quod sunt modò: peccata denique in confessione declarata apud Deum & Confessarium, velut sepulta esse, adeò ut nulla ipsorum memoria superstit.

Sin pœnitentem impudentem & omnis apprehensionis expertem videatis, declarate & ostendite, ipsum coram Deo ipso hic sese prosternere & versari, hac in actione & opere de æterna illius salute controverti; de nulla re in mortis hora tam exactam eum rationem redditurum quam de confessionibus malè institutis: denique in absolutione, mortis ac passionis Dominicæ pretium ac meritum pœnitentibus applicari & impendi.

Si illum timidum, dejectum, & de peccatorum suorum venia aliquo modo desperantem videatis, jacentem erigite, & corroborate, dicendo, quam Deo sit gratum & volupe, magnos peccatores pœnitentiam agentes videre: deinde, quo nostra miseria & iniquitas major est, eo id in majorem divinæ misericordiæ gloriam tendere: Dominum JESUM in crucem actum, Deum Patrem pro sui crucifixoribus orasse, ut hac ratione nos edoceret, tametsi illum propriis manibus cruci affixissemus, ipsum hanc nobis noxam nihilominus libentissime condonaturum. Deum tanti pœnitentiam facere, ut etiam minima, dummodo vera sit, omnia peccatorum genera illum faciat oblivisci, adeò ut, si damnati & cacodæmones illam habère possent, universa illorum peccata condonarentur: illustrissimos item, sanctos, insignes & notabiles fuisse peccatores, puto S. Petrum, Matthæum, Magdalenam, Davidem, & alios innumeros. Postremò majorem divinæ bonitati, & Domini nostri JESU Christi

morti

morti & passioni, injuriam fieri non posse, quàm si quis de venia peccatorum suorum consequenda desperet, ad hæc juxta quemdam fidei articulum teneri nos credere, esse in Ecclesia remissionem peccatorum, ut certi simus, ac minimè dubitemus, illam tunc nos consecuturos, cùm ad Sacramentum illud confugimus, quod hac de causa in Ecclesia sua Dominus instituit.

Si denique peccatorem perplexum & anxium esse deprehendatis, quod aut peccata sua plenè planeque declarare nequeat, aut conscientiam suam bene examinare non potuerit, opem vestram illi offerte, eumque certum reddite, vos, mediante Dei gratia, effecturos, ut nihilominus bonam sanctamque Confessionem instituat. Ante omnia verò, erga quoslibet peccatores, benignos, benevolos & discretos vos exhibete, & in primis erga mulieres, ut in peccatis infamibus aperiendis & confitendis ipsis auxilio sitis. Nam

Primò, si seipsi sponte accusent & culpent, quascumque demum inhonestates proferant, nullo modo eas vobis molestas accidere, aut miras vobis insolentesve videri ostendite, quoadusque confessio absoluta sit: nam tum demum placidè amicabiliterque eos edocete, quâ honestiori phrasi & verbis, id genus materias posthac possint exprimere.

Secundò, si in his peccatis inhonestis exponendis suam accusationem variis excusationibus, pretextibus & exemplis colorent & implicent, patienter illos ferte, non turbate usque dum omnia exposuerint, tum demum eos quoad hoc peccatum interrogare incipite, quò posthac perfectiùs & distinctiùs peccata sua declarent, benignè eis ostendendo & aperiendo, quasnam sese excusando commiserint superfluitates, impertinentias & imperfectiones, dum accusationem suam palliabant & colorabant: ita tamen, ut nullatenus eos reprehendatis aut objurgetis.

Tertiò, si quam eos difficultatem sentire videatis in peccatis illis inhonestis per se aperiendis, vos illos circa leviora interrogare incipite, uti sunt, an voluptatem aliquam è rerum inhonestarum auditu perceperint, in-

hone-

Digitized by Google

honestas cogitationes habuerint: itaque paulatim ex uno ad aliud gradu facto, ex auditu inquam ad cogitationes, à cogitationibus ad desideria, voluntates, opera ipsa, prout quidem ipsi sese patefacient, descendendo, animabis & adhortaberis eos ad semper ulterius procedendum, his aut aliis id genus verbis eos subinde compellando: quàm tu felix es, quod benè riteque confitearis! credas velim, Deum magnam tibi gratiam facere; vides Spiritum sanctum mentem tibi propius tangere; ut bonam confessionem instituere te faciat; animosè fili, intrepidè & liberè peccata tua aperi, noli propterea tristis esse aut distorqueri; non multò post ingens gaudium senties, quod sic ritè confessus sis, nec ob ullam omninò rem voles, quin conscientiam tuam liquidè & sincerè aperuisses, in mortis hora magnæ tibi consolationi erit, quod humilem hanc confessionem feceris. Benedicat Dominus cor tuum, quod ad sese accusandum tam benè dispositum est, itaque paulatim & suaviter animas eorum compelletis ad perfectè peccata sua detegenda.

Quartò, si quando in eos pœnitentes incidetis, qui ob enormia, quæ admisere peccata, uti sunt, incantationes, veneficia, concubitus cum diabolo, bestialitates, homicidia sanguinaria, & aliæ hujusmodi abominationes, mirum in modum suis in conscientiis percelluntur, agitantur, & consternantur; omni modo eos relevare & consolari debetis, magnam Dei misericordiam apud eos deprædicando, utpote quæ ad ipsis ignoscendum infinities major est, quam universa mundi peccata ad illos damnandos, operamque vestram & auxilium illis addicite, quacunque in re & quoties illa opus habebunt ad animæ suæ salutem operandam.

CA-

CAPUT II.

De dispositione exteriore.

SI quod sit Sacramentum, in cujus administratione proferenda sit ab administrante gravitas & majestas, certè ipsum Pœnitentiæ summam exigit, cùm in eo à parte Dei Judices deputati & constituti simus. Hoc ergo administrabitis induti & togam & superpelliceum, stolam habentes in collo, & pileum in capite, in apparenti & conspicuo Ecclesiæ loco considentes, facie amicabili simul & gravi, quam per nullos novos gestus aut signa exteriora, quæ aliquam aversionem, indignationem aut demonstrationem animi indicent, unquam debetis invitare, ne quam iis qui eos videbunt, occasionem detis suspicandi, pœnitentem aliquid displicens aut execrabile vobis referre.

Dabitis operam, ut pœnitens faciem suam ita convertat, ut vestram ad latus habeat; ita ut nec vos videat, neq; vobis rectà in aurem, sed ad latus illius, loquatur.

CAPUT III.

De Interrogationibus, quæ pœnitenti proponendæ ante, quàm se accuset.

POEnitens ergo ubi accesserit, ante omnia rogandus est, cujus sit status & conditionis, videlicet an conjugatus sit, necne, Ecclesiasticus, an non, Religiosus aut sæcularis, advocatus an causidicus, opifex mechanicus an operarius mercenarius; nam pro diversitate status diversimodè cum eo procedendum erit.

Sciendum præterea, num intentionem habeat hanc benè se & ritè de omnibus peccatis suis accusandi, nihil eorum ut studio & volenter celet; item, peccatum penitus deserendi ex animo & detestandi, denique faciendi quod sibi salutis suæ procurandæ causa injungetur. Quod si illam intentionem & voluntatem non habeat, in hoc

hoc manendum est, & eam ut habeat, si quo modo fieri potest, allaborandum; si verò eam habere nolit, dimittendus est, prius illi declarato, quam periculoso & misero in statu agat.

CAPUT IV.

Quarum se rerum pœnitens accusare debeat.

INtolerabilis certè abusus est, peccatores nullum omnino peccatum in confessione per se declarare, nisi in quantum à Confessariis interrogantur. Docendi ergo sunt, ut seipsi primò accusent in iis in quibus poterunt, ac deinde per interrogationes & scisitationes adjuvandi ulterius erunt.

Non satis est, pœnitentem peccati sui genus tantum aperire, dicendo, verbi gratia, quod homicidium, luxuriæ peccatum aut furtum commiserit; sed necesse præterea, ut illius speciem explicet, exempli causa; an patrem, aut matrem interfecerit, & hoc dicitur parricidium, an in templo aliquem necarit, hoc namque sacrilegium est, an Ecclesiasticum aliquem de medio sustulerit, hoc namque parricidium spirituale est, & quisquis hoc commisit, ipso facto est excommunicatus. Idem & in peccato fornicationis locum habet: si enim virginem quis deflorarit, stuprum est; si conjugatam aliquam cognoverit, adulterium est; & ita de reliquis peccatis.

Nec solum ipsa peccati species inquirenda, verum etiam quoties peccatum ipsum commissum sit, ut nimirum pœnitens se accuset, dicendo quoties tale aut tale peccatum admiserit, aut quoties plus minus, quàm poterit proximè, prout illius recordabitur, aut saltem dicendo, quamdiu in peccatis suis hæserit & perseveraverit, & quàm valdè ei deditus & addictus sit. Etenim multum interest inter eum qui nonnisi semel blasphemare solèt. Examinandus præterea pœnitens est circa varios peccati alicujus gradus: exempli gratia, magna certè differentia

Digitized by Google

ferentia est inter iraſci & calumnias proferre, pugnos infringere, baculo ferire, aut gladio, quæ varii peccati iracundiæ sunt gradus. Magnum quoque discrimen est inter carnalem intuitum & inhonestum contactum, & copulam carnalem, quamquam necesse non sit, eum qui aliquod opus malum absolutum confessus est, confiteri & alia, quæ ad prius illud faciendum necessaria requiruntur, & prævia sunt, unde qui sese accusavit, quod puellam semel violavit, non tenetur aperire facta & actus, quos interea dum alterum illud opus fieret, aut disponeretur, intermiscuit: satis ea quippe intelliguntur & præsupponuntur, etiamsi non exprimantur, & illarum rerum accusatio in actionis finalis & ultimata peccati confessione continetur.

Idem dico de peccatis, quorum malitia in una & eadem actione duplicari & multiplicari potest, v. g. qui aureum furatur, peccatum unum facit, qui duos, etiam nonnisi unum facit, & quidem ejusdem speciei: tamen secundi hujus peccati malitia duplex est, respectu prioris. Pari modo fieri potest, ut pravo quod datur exemplo unus duntaxat scandalizetur, & alio malo exemplo ejusdem speciei triginta aut quadraginta scandalizentur, cùm tamen nulla sit inter utrumque peccatum proportio. Quapropter, quàm fieri proximè potest, facti quantitas particulariter est exprimenda, item quàm multi una sola actione scandalizati sint, & ita consequenter de aliis peccatis, quorum malitia crescit aut minuitur pro objecti aut materiæ quantitate.

Quin etiam profundius penetrandum, & pœnitens examinandus circa desideria & voluntates purè interiores, qualia, v. g. forent desiderium & voluntas vindictæ, alicujus libidinis, & similium operum committendorum, etenim mali hi affectus peccatum sunt.

Etiam longius progrediendum, & excutiendæ inquirendæque ipsæ malæ cogitationes, esto nulla desideria nec voluntas peccandi post eas secuta sint. Exempli causa, qui intra semetipsum de adversarii & inimici sui morte, ruina & infortunio cogitare gaudet, & inde voluptatem aliquam haurit, esto hujusmodi ei de facto contingere

Digitized by Google

gere nolit, si tamen voluntariè & datâ operâ aliquam ex hujusmodi imaginationibus & cogitationibus delectationem & voluptatem capit contra charitatem delinquit, & illius se rei debet accusare. Idem judicium est de eo qui voluntariè, utque aliquo modo sese recreet, in cogitationibus & imaginationibus circa voluptates carnales diutius sese detinet, iisque oblectatur : internè namque contra castitatem peccat, cujus peccati se reum fateri debet, & ipsum confiteri : nam esto corpus peccato applicare noluerit, cor tamen & animam ei applicuit ; porrò peccatum magis in cordis applicatione, quàm corporis consistit, ac nullo modo licitum est studio sese in peccato oblectare, tam per actiones corporis, quam cordis. Dixi studio & datâ operâ, eò quod malæ cogitationes, quæ nobis invitis illubentibus, & non totaliter advertentibus & reflectentibus adveniunt, nequaquam sunt peccatum, aut saltem non sunt mortale.

Denique requiritur quoque, ut pœnitens alienorum se peccatorum accuset, idque ad exemplum Davidis : si enim malo suo exemplo, aut aliter, quempiam ad peccandum pellexerit, culpa reus est, & hoc ipsum propriè appellatur scandalum, attamen è contrà pœnitens inhibendus & impediendus est, ne suos in peccato complices, socios & cooperatores nominet aut detegat, quantum quidem fieri potest.

CAPUT V.

Confessarius sollicitè advertat, ne quem absolvat qui gratiæ Dei sit incapax.

VIdeat deinde Confessarius, num pœnitens absolutionis accipiendæ sit capax ; nam hæc certis quibusdam hominibus impertienda non est, quorum hic aliquot vobis genera recensebo, è quibus reliqua, quæ ejusdem notæ sunt, facili negotio colligetis. Tales sunt :

Primò, qui excommunicatione majore & reservata innodati sunt : quos sine auctoritate superioris Confessarius

Digitized by Google

illicitum est absolvere; nisi fortè illa huic reservata non esset.

Secundò, qui aliquod habent peccatum Pontifici aut Episcopo reservatum; sine illorum nequeunt auctoritate absolvi: remittendi ergo sunt ad eos, qui absolvendi potestatem habent, aut exspectare jubendi, quoadusque (si facilè fieri id potest) ea sit impetrata.

Tertiò, falsarii, falsitestes, fures, usurarij, bonorum, titulorum, jurium, & honorum alienorum usurpatores ac detentores; detentores item legatorum piorum, eleemosynarum, primitiarum, decimarum, litium falsarum patroni aut intentatores, iniqui calumniatores, detractores, & in genere, quotquot in proximum noxii & injurii sunt, absolvi nequeunt, nisi quam fieri potest optimè, injuriam & noxiam reparent, aut saltem reipsa se reparaturos promittant.

Quartò, conjugati, qui ob differentionem aliquam à se invicem disjuncti vivunt, aut conjugii debitum reddere detrectant absovi nequeunt, quamdiu in maligna adhuc voluntate & intentione perseverant.

Quintò, Ecclesiastici qui malis artibus aut viis sua beneficia adepti sunt, aut qui plura incompatibilia sacerdotia sine dispensatione legitima possident, aut qui sine sufficienti & legitima causa in Ecclesia sua non residunt, aut quibus solenne est Horas Canonicas non recitare, nec Sacerdotum ritu vestiri, absolvi prorsus non debent, nisi remedium se adhibituros, & omnes hos defectus emendaturos promittant.

Sextò, concubinarij, adulteri, ebriosi absolvi non debent, nisi summum concipiant & faciant propositum, non solùm peccata sua relinquendi, verùm etiam occasiones eorumdem: concubinarii quidem ac adulteri suas focarias & pellices, quas à se removere & ablegare debent; ebriosi verò cauponas, blasphemi lusum; quod intellige de iis qui quandam horum peccatorum admittendorum usum ac consuetudinem jam assumpsere: itaque sæpiùs in illa recidunt.

Septimò denique, dissidentes ab invicem inimici, qui aliquo odio, rancore, inimicitia æmulum prosequun-

Digitized by Google

quuntur, absolutionis non sunt capaces, nisi ex sua parte velint ignoscere, & cum inimicis suis in gratiam redire.

CAPUT VI.

Quomodo restitutio & reparatio bonorum & honoris alieni pœnitentibus persolvenda sit.

UBi ergo Confessarius conscientiæ pœnitentis sui statum probè perspectum habuerit, id constituere ac disponere ipse à parte sua debet, quod ad illum gratiæ divinæ capacem reddendum requiri, ac necessarium esse videt, tam circa ea quæ ad honorum alienorum restitutionem, & gravaminum, damnorum & injuriarum, quæ commisit, reparationem spectant, quàm ea quæ ad vitæ ejus emendationem & peccandi occasionum fugam ablegationémque requiruntur.

Quod autem ad reparationes & restitutiones proximò faciendas spectat, inquirenda ratio est (siquidem fieri potest) ut illæ ita clanculò & secretò fiant, ut pœnitens nullam inde infamiam contrahat. Unde, si res sit furto sublata, ipsa ēst aut propria restituenda, aut aliud ei æquivalens, idque per aliquem discretum virum, qui restituentem nec nominet, nec aliquo modo indicet, si falsi sit criminis accusatio aut simulatio, magna dexteritate procurandum est, ut pœnitens, quasi aliud agens, & commoda quæsita opportunitate, eos apud quos de proximo malè locutus fuerat, ad aliter de eo sentiendum inducat, dicens contrarium ejus quod ante dixerat, nulla superioris sermonis mentione facta, vel eum simulando.

Sed quod ad usuras, iniquas lites, & alia id genus intricatiora conscientiæ gravamina pertinet, singulari & magna quadam opus est prudentia, ad illorum restitutionem procurandam aut pœnitenti suadendam. Undè si hanc Confessarius prudentiam non habeat, magna cum suavitate pœnitentem roget, ut aliquod sibi tempus ad maturius & per otium de ea re cogitandum concedat, atque interim ipse alios doctiores consulat, uti sunt territo-

Digitized by Google

rii cujusque Commissarii, qui, si quidem res requirat & promereatur, nos aut Vicarium nostrum generalem super ea re consulent. Verùm super omnia conandum, ne qui consuluntur, aliquo modo aut ex indagine, aut certis signis & verbis cognoscant vel conjiciant quis ille sit de quo agitur, nisi ipse expressam Confessario ad hoc facultatem aut copiam prius fecerit, imò, ne tum quidem, videlicet illo consentiente, id faciendum est, nisi summa necessitate exigente, & pœnitente extra & post confessionem id Confessario requirente.

CAPUT VII.

De Casibus reservatis, deque Confessione eorum, qui in evidenti mortis periculo & articulo versantur.

POrro casus Pontifici summo reservati satis multi sunt; at horum plerique sunt hujusmodi, ut trans montes, & Alpes nisi quam rarissimè, aut ferè nunquam, adveniant; qui autem hic contingere & habere locum possunt, non adeò multi sunt. Sunt enim tantùm quinque, præter eos qui in Bulla cœnæ Domini continentur.

Primus est, Ecclesiasticum & Clericum è malitia ac voluntariè occidere, aut graviter etiam percutere. Dixi, *graviter*: nam cum læsio aut percussio levis est, & injuria non tanti momenti, ab Episcopo percutiens poterit absolvi, nisi percussio, tametsi in se levis, valdè scandalosa fuerit, quando v. g. percussus est Sacerdos celebrans, aut in loco & conventu hominum honorabili, frequenti, & admodum conspicuo.

Secundus est, Simonia & condescentia realis.

Tertius, peccatum duelli, quo tenentur tam ad ipsum provocantes, invitantes, quam ipsi duellantes & certantes.

Quartus, clausuri monasteriorum Religiosarum recluſarum effractio & violatio, quando mala intentione & fine hæc violatio fit.

Quintus, violatio immunitatum Ecclesiæ, qui casus quia-

quintus cùm ad discernendum & distinguendum difficilis sit, & non sæpius contingat, & nonnisi per actiones publicas, vix in confessione privata deciditur, quin prius extra illam ab Episcopis eorumve Vicariis sit decisus.

Casus Bullæ Cœnæ Domini, qui trans Alpes habere locum possunt, sunt etiam pauciſſimi.

Primus est hæresis, schisma, librorum hæreticorum lectio, Bullarum & litterarum Apostolicarum falsatio.

Secundus, libertatum, immunitatum & privilegiorum Ecclesiæ, bonorum & hominum Ecclesiasticorum, & Clericorum, quæ voluntariè fit, violatio; bonorum Ecclesiasticorum, in quantum talia sunt, iniqua usurpatio.

Casus, quos nobis privatim reservavimus, sunt item numero pauci.

Primò, quod ad primum Decalogi præceptum spectat, reservavimus nobis magiam, veneficia, incantationes, ligularum (ut vocant) constrictiones, quæ ad matrimonii effectum impediendum fieri solent.

Secundò, quod ad quartum, reservavimus nobis parricidium, quod fit, dum aut pater, aut mater, aut socer, aut socrus occiditur aut percutitur.

Tertiò, quod ad quintum, reservavimus nobis homicidium voluntariè & deliberatè commissum.

Quartò, quod ad sextum, reservavimus nobis bestialitatem, Sodomiam, incestum in primo & secundo gradu, sacrilegium quod cum Monialibus & Religiosis Virginibus rem habendo committitur, filiarum ac feminarum raptum & violationem.

Quintò, & quantum ad septimum præceptum spectat, reservavimus nobis voluntarium domuum alienarum incensionem, ac rerum sacrarum direptionem, expilationem ac furtum.

Porrò in casibus reservatis, duas vos regulas observare oportet.

Prima est, pœnitentes qui eosdem commiserint, consolari, nec illos ad desperationem adigere. Sed modestè ad eos quibus potestatem à reservatis absolvendi dedimus, quales per omnes diœceseos partes & loca satis fre-

Digitized by Google

quentes constituimus, remittere, nam tametsi à Casibus Papæ Romano reservatis absolvere hi nequeant, semper tamen modum & rationem ipsis suggerent, qua absolutionem ab iisdem consequi valeant.

Secunda est, in casu extremæ necessitatis, & articulo mortis, omnes & quilibet Sacerdotes, esto ad audiendas confessiones admissi non sint, cujuscumque demum generis aut qualitatis sint, ab omnibus omninò peccatis, qualiacunque ea sint absolvere & possunt, & debent. Imò qui in sua ægritudine Confessarium evocari jussit, si deinde paulò post loquendi facultate privetur, nullum doloris aut contritionis dare signum potest; ob simplex hoc confitendi desiderium quod habuit, absolvendus est. Imò, quod amplius est, absolutione item donandus is est, qui tametsi Sacerdotem evocari non jusserit, eum tamen aut videns, aut audiens aliquod quo se absolutionem obtinere velle ostendat, indicium signumve dat.

CAPUT VIII.

Quomodo pœnitentiæ Confitentibus sint imponendæ, & qualia pœnitentibus consilia danda sint.

COnfessarius lenibus, placidis & consolatoriis verbis pœnitenti pœnitentiam imponat oportet, & tum maximè, cùm eum contritum & de commissis extremè dolentem conspicit; semper quoque eum interroget, num eam libenter sit executurus. Etenim si illum ab ea aversiorem, & idcircò nonnihil turbatum videat, satius longè foret aliam faciliorem ei imponere: cum plerumque multò sit melius ac consultius pœnitentes placidè ac leniter (ita tamen ut peccatis ipsorum Confessarius non aduletur) quàm durè & asperè habere. Nihilominus pœnitenti Confessarius indicare non omittat, ipsum pro peccatorum & scelerum suorum gravitate, longè graviorem quidem pœnitentiam promereri, sed eam mitigatam, ut, quæ illi jam injungitur, eo majore cum humilitate & devotione exequatur.

Pœni-

Digitized by Google

Pœnitentiæ non sint intricatæ, id est, è variis precum & orationum generibus compositæ & conflatæ, v.g. non injungentur tria *Pater noster*, Hymnus unus, variæ Orationes & Collectæ, Antiphona, & Psalmi: nec per varias debent Actiones & opera diffundi, verbi gratia, non injungantur tres dies quibus eleemosyna erogetur, ut tribus feriis sextis jejunetur, sacrum unum celebrari jubeatur, quinquies flagellis in corpus animadvertatur. Duo namque ex hac operum & orationum diversitate sequuntur incommoda; primum, quod pœnitens eorumdem obliviscatur, unde ei postea scrupuli subnascuntur. Alterum, quod magis attendat aut cogitet, ad quidnam dicere aut facere debeat, quam ad id quod dicit aut facit: & interim, dum in memoria recogitat & investigat quidnam sibi faciendum sit, aut in Officio suo quærit, quidnam recitandum, devotio omnis refrigescit. Satius ergò & melius est, injungere orationes, quæ omnes ejusdem generis sunt, verbi gratia, omnes sint *Pater noster*, aut omnes Psalmi, & quidem se mutuo consequentes, quos hinc inde sparsos conquirere unum post alium non oportet.

Adhæc non inutile erit, pœnitenti aliqua ex his quæ sequuntur in pœnitentiam præscribere; verbi causa, ut hunc vel illum librum legat, quem ad pœnitentem juvandum Confessarius maximè expedire judicaverit; ut anno uno durante singulis mensibus confessionem instituat, ut in aliquam Sodalitatem se faciat inscribi: & hujusmodi opera non modò ad præteritorum peccatorum punitionem ac castigationem faciunt, verùm etiam præservant, ne post hac in similia aliave incidat.

Hæc autem sunt consilia quæ Confessarius in genere præscribere & injungere debet: inter quæ hæc existimo præ aliis utiliora magisque proficua, ut videlicet sæpissime Confessionis & sacratissimæ Eucharistiæ Sacramenta usurpet, bonum probatumque sibi Confessarium ordinarium deligat; concionibus & verbi divini prædicationi frequens intersit, libros pios & spirituales habeat ac legat (atque inter ceteros eos quos Ludovicus Granatensis composuit) malorum improborumque fugiat con-

Digitized by Google

sortia, bonorum verò consectetur, Deum sæpe per orationem alloquatur, vesperi cum cubitum concedit, examen conscientiæ faciat, sæpe quoque de morte, extremo judicio, cælesti gloria, & inferni suppliciis cogitet, sanctas imagines (uti Domini in crucem fixi, & alias) & habeat, & sæpissime exosculetur.

CAPUT IX.

Quomodo danda sit Absolutio.

HOc in facto, antequam pœnitenti sanctam absolutionem conferatis, eum rogabitis, num humiliter postulet peccata sibi sua remitti, & quum gratiam hanc à merito mortis & passionis Domini nostri JESU Christi exspectet, num etiam voluntatem habeat & proposuerit posthac in timore & in obedientia Dei sui vivere. Deinde ei significare poteritis, absolutionis suæ sententiam, quam hic in terra super eum pronuntiabitis, in cœlo approbandam & pro rata habendam. Angelos & universos cœli cives eructaturos & jubilaturos, dum eum in gratiam Dei restitutum videbunt: proinde aliter posthac vitam instituere procuret, ut in mortis suæ hora confessionis hujus fructum recolligere valeat, cumque conscientiam suam jam in sanguine Agni immaculati JESU Christi laverit, operam det, ne eam posthac amplius ullo flagitio commaculet.

His aut aliis ejus generis verbis consolatoriis prolatis, pileo sublato caput aperietis, ad preces quæ Absolutioni præmittuntur, recitandas. Quamquam (ut doctè prudenterque advertit Doctor Emmanuel Sà) in confessionibus eorum qui confessionem sæpius instituunt, omnes quæ absolutionem præcurrunt aut subsequuntur, orationes deprecationesque licitè possint omitti, & simpliciter sufficiat dicendo: *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Idem quoque observandum erit, quando multi sunt audiendi. Tunc quippe prudenter absolutio abbreviabitur, dicendo solum: *Dominus noster* JESUS *Christus te absolvat, & ego*

Digitized by Google

ego auctoritate ipsius, absolvo te ab omnibus peccatis tuis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

Pari modo cum magna pœnitentium qui sæpius confessiones faciunt, adest multitudo, moneri possunt, ut, suum *Confiteor* separatim & sibi dicant, antequam se Confessario sistant; ut immediatè cum ad Confessarium venerint, & signum crucis efformarint, statim à sui accusatione incipiant. Hac quippe ratione nihil omittitur essentiale, & magnum fit temporis compendium.

R. P. Valerius Reginaldus Soc. JESU, SS. Theol. in Dolano Collegio Professor, jam recenter evulgavit librum *de Prudentia Confessariorum*, qui non contemnendam legentibus utilitatem pariet.

Hos viginti quinque articulos dignos censui, Fratres, quos, quia aliis pluribus occupationibus impeditus fui, melius componere atque explicare non potui, uti nec reliqua quæ huc faciunt, scripto committere. Interim animam meam divinæ misericordiæ commendate, quemadmodum ipse à parte mea sanctam illius vobis benedictionem ex corde exopto.

Digitized by Google

DAMNATI CASUS,

ab

ALEXANDRO

Div. Provid. Papa VII. Felic. Record.

Novitia ac Pernicioſæ Doctrinæ Probabiliſtarum.

Die 24. Septembris, 1665.

Sanctus D.N. audivit non ſine magno animi ſui mœrore complures opiniones Chriſtianæ diſciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum ſuſcitari, partim noviter prodire: & ſummam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excreſcere, per quam in rebus ad conſcientiam pertinentibus modus opinandi irrepſit alienus omninò ab Evangelica ſimplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem ſi pro recta regula fideles in praxi ſequerentur, ingens irreptura eſſet vitæ Chriſtianæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam ſalutis, quam ſuprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam eſſe definivit, in animarum perniciem dilatari, ſeu verius perverti contingeret, idem Sanctiſſimus D.N. utoves ſibi creditas ab ejuſmodi ſpatioſa, lataque per quam itur ad perditionem, via, pro Paſtorali ſollicitudine in rectam ſemitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, & deinde Eminentiſſimis & Reverendiſſimis D D. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus ſeriò commiſit: qui tantum negotium ſtrenuè aggreſſi, eique ſedulò incumbentes, & maturè diſcuſſis uſque ad hunc diem infraſcriptis propoſitionibus, ſuper unaquaque ipſarum ſua ſuffragia Sanctitati Suæ ſingillatim expoſuerunt.

Propoſitio I. Homo nullo unquam vitæ ſuæ tempore tene-

Digitized by Google

tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.

II. Vir Equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

III. Sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

IV. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.

V. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare si probare non possis.

VI. Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proindè non est denunciandus.

VII. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est: si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

VIII. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post decretum Urbani VIII.

IX. Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendii sibi retentâ.

X. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere & sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmatâ, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

XI. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

XII. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis

Digitized by Google

copis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

XIII. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari, Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

XIV. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

XV. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

XVI. Qui beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

XVII. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi religioso, vel ejus religioni, publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

XVIII. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

XIX. Non peccat maritus occidens propria authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

XX. Restitutio à Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

XXI. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio litterarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

XXII. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecunia interveniente non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

XXIII. Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobe-

Digitized by Google

obedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

XXIV. Mollities, Sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in confessione, se procurasse pollutionem.

XXV. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem non explicando copulam.

XXVI. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex pecuniam accipere proferenda sententia in favorem unius præ alio.

XXVII. Si liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.

XXVIII. Populus non peccat etiamsi absque ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit, & decrevit, prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum, tamquam scandalosas, esse damnandas, &, prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit, (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

JOANNES LUPUS *Sanctæ Romanæ & universalis inquisitionis Not. &c.*

Loco † sigilli.

DAM.

Digitized by Google

DAMNATI CASUS;

ab

ALEXANDRO

Div. Provid. Papa VII. Felic. Record.

Die 18. *Martii*, 1666.

SAnctiſſimus D. N. poſt latum Decretum die XXIV. Septembris proximè elapſi, quo viginti octo Propoſitiones damnatæ fuerunt, examinatis ſedulò, & accuratè uſque ad hanc diem infraſcriptis aliis quadrageſimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magiſtros, ac per Eminentiſſimos, & Reverendiſſimos D. D. Cardinales adverſus hæreticam pravitatem Generales Inquiſitores, eorum ſuffragia ſingillatim ſuper unaquaque ipſarum audivit.

Propoſitio XXIX. In die Jejunii, qui ſæpiùs modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit Jejunium.

XXX. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione Jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum Jejunio.

XXXI. Excuſantur abſolutè à Præcepto Jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamſi iter neceſſarium non ſit, & etiamſi iter unius diei conficiant.

XXXII. Non eſt evidens, quod conſuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadrageſima obliget.

XXXIII. Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque Eleëmoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui beneficii fecerit.

XXXIV. In

Digitized by Google

XXXIV. In die Palmarum recitans Officium Paschale, satisfacit Præcepto.

XXXV. Unico Officio potest quis satisfacere duplici Præcepto pro die præsenti, & crastino.

XXXVI. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

XXXVII. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

XXXVIII. Mandatum Tridentini, factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non Præceptum.

XXXIX. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

XL. Est probabilis opinio, quæ dicit esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

XLI. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *Regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tœdio magno concubinarium afficerent; & alia famula nimis difficilè inveniretur.

XLII. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

XLIII. Annuum legatum pro Anima relictum, non durat plus quam per decem annos.

XLIV. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

XLV. Libri prohibiti donec expurgentur, possunt retineri, usque dùm adhibita diligentia corrigantur.

Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm, tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet. Ita ut quicumque illas, aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputati-

Digitized by Google

putativè, publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam specialis, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Jannes Lupus, Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Not.

Loco † sigilli.

Anno à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quarta, die verò 23. mensis Martii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D.N.D. Alexandri, Divina Providentia Papæ VII. anno undecimo, supradictum decretum affixum & publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Carolum Melanum ejusdem Sanctiss. D.N. Papæ, & Sanctissimæ Inquisitionis Cursorem.

Juxta Exemplar impressum ROMÆ, in Typographia Rever. Cameræ Apostolicæ, 1666.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google